F

QVINTVS
HORATIVS
FLACCVS
CVM NOTIS
JOSEPHI JVVENCII
E SOC. JESV.

PARS PRIMA.

ROMAE MDCCCXXXVIII.
EX TYPOGRAPHIA VEN. HOSPITII APOSTOLICI
APVD PETRVM AVRELIVM.
Cum Facultate, ac Privilegio.

VITA Q. HORATII FLACCI.

Natus est HORATIUS, anno ab Urbe condita 689. Venusiae in Apulia, patre libertino, at locuplete; a quo Romam ductus, et inter Senatorum Equitumque pueros liberaliter est educatus. Annos natus admodum 19. Athenas petiit. Ibi Philosophiae operam dabat, cum Brutus, Caesare percusso, fugiens in Macedoniam, illum Athenis abstraxit, et militum Tribunum in suo exercitu esse iussit. Commisso ad Philippos praelio, in quo caesus est Brutus, fugam arripuit Horatius; ac Romam, facto ad Palinurum Italiae promontorium naufragio, vix appulit. Mox, inopia cogente, versus factitare coepit; quos legerunt Virgilius, et Varius poetarum in Urbe tum principes, ac Maecenati, viro nobili, summa apud Augustum gratia, et eruditorum patrono, laudavere. Is Horatium vocat, probat, ac paucis post mensibus in suorum numero esse iubet: simulque ipsi veniam ab Octavio Caesare, qui postea Augustus dictus est, impetrat, quod Bruti, et Cassii partes secutus esset. Fuit ipsi quoque Augusto carissimus et acceptissimus. Obiit anno aetatis 57. U. C. 746. eodem quo Maecenas; iuxta quem in Esquiliis conditus est. Quod ingenium, qui mores, quae religio viri fuerit, e scriptis patet. Corpore obesum, brevem, lippum, praecanum ipse se fuisse commemorat.

DE HORATIO TESTIMONIA VETERVM.

OVIDIUS lib. 4. Trist. Eleg. 10.

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

PERSIUS Sat. I.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia ludit,
Callidus excuso populum suspendere naso.

QUINTILIANUS lib. 10. c. 1.

Lyricorum Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando; et plenus est jucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax.

DE METRIS HORATIANIS

SEU

VARIIS CARMINUM GENERIBUS

Quibus constant Odae Horatii.

Primum genus est earum, quibus sunt omnes versus Choriambici Asclepiadei Tetrametri, qualis est Ode 1. lib. 1. *Maecenas atavis, etc.* Vocantur Choriambici, quia in illis praecipuum locum obtinet pes Choriambus, qui componitur ex Choraeo, sive Trochaeo, et Iambo, idest ex longa et brevi, brevi et longa. Asclepiadei vocantur ab auctore; inventus enim fertur iste versus ab quodam Asclepiade. Tetrametri denique, quia pedes 4. habent; quorum 1. est Spondaeus 2. et 3. Choriambus 4. Pyrrhichius, constans e 2. brevibus. Porro longas syllabas lineis longis superne positis notavimus; breves nulla.

Maēcē | nās atavīs | ēdite Rē | gibus.

Potest etiam aliquis eumdem versum metiri aliter, si nempe interponatur caesura in medio.

Maēcē | nās ata | vīs | ēdite | Regibus.

Porro cum Ode huiusmodi versibus ita constat, vocatur Monocōlos: quae vox Graeca significat esse partes omnes unius formae ac speciei. Quando duplicis generis sunt versus in Ode, vocatur illa Dicōlos: quando triplicis, Tricōlos: quadruplicis, Tetracōlos, etc.

Rursum, quando versus iidem, et eiusdem generis recurrunt, si alternis id fiat, idest, si post alterum quemque versum, vocatur Ode Distrophos (quae vox Graeca id significat); si post tertium quemque versum, Tristrophos; si post quartum, Tetrastrophos: quia ille ordo versuum, qui identidem revertitur, Graecis est, *Strophe*, Gallis, *Stance*, *Couplet.*

Denique si pes nullus, nulla syllaba desit, aut abundet, versus vocatur Acatalectus; si desit una syllaba, vocatur Catalectus: si pes totus desit, Brachycatalectus: si abundet unus pes, Hypercatalectus, vel Hypermeter.

II. Genus Odarum est earum, in quibus primi quique tres versus sunt Hendecasyllabi (hoc est undecim syllabarum) Sapphici (a Sappho inventi); Acatalecti, sive quibus nihil deest; Pentametri, sive quinque pedibus constantes; quorum 1. est Trochaeus, 2. Spondaeus, 3. Dactylus, 4. et 5. Trochaei. Quartus autem quisque versus est Adonius (ab Adone inventus) Dimeter, hoc est 2. constans pedibus, nempe Dactylo, et Spondaeo. Talis est Od. 2. lib. 1.

Iām sa | tis tēr | rīs nivis | ātque | dīrae :

Similes sunt duo sequentes : quartus ;

Tĕrruit | ūrbēm.

Tota Ode est Dicolos Tetrastrophos.

III.Genus. Ode Dicolos Distrophos ; in qua primus quisque versus est Choriambicus Glyconius (ab Glycone inventore) Acatalectus , Trimeter , id est , pedes ternos habens ; quorum primus est Spondaeus , 2. Choriambus , 3. Pyrrhichius, vel Iambus. Secundus vero quisque versus est Asclepiadeus; de quo dictum est in primo genere Odarum. Talis est Ode 3.lib.1.

Sīc tē | Dīva potēns | Cypri ,
Sīc frā | trēs Hele | nae | lūcida | sīdera.

IV.Genus. Ode Dicōlos Distrophos, in qua primus quisque versus est Dactylicus, Archilochius , Heptameter. Dactylicus dicitur, quia in eo maxime regnat pes Dactylus: Archilochius, quia inventus , et usurpatus ab Archiloco, pocta Graeco Lyrico : Heptameter , quia 7. constat pedibus; quorum 4. primi sunt Dactyli , mixtis tamen ad arbitrium , ut in versu Heroico fit , Spondaeis ; tres postremi semper sunt Trochaei. Secundus vero quisque versus Iambicus , Hexameter , Catalectus , constans sex pedibus , dempta una syllaba. Primus est Spondaeus , vel Iambus , 2. Iambus , 3. Spondaeus , 4. 5. et 6. iambi, vel postremus spondaeus. Talis est Od.4.lib.1.

Sōlvitur | ācris hi | ēms grā | tā vice | vēris | ēt Fa | vōni ,
Trahūnt | que sīc | cās mā | chinaē | carī | nas :

Secundus versus aliter dividi potest , nempe interposita in medio versu caesura , et sic tres pedes ultimi erunt Trochaei.

Trahūnt | que sīc | cās | māchi | naē ca | rīnas.

V.Genus. Ode Tricolos Tetrastrophos : in qua primi quique duo versus sunt Asclepiadei ; qualis est in primo genere explicatus. Tertius autem quisque, Pherecratius , ab auctore Pherecrate sic dictus ; Heroicus quia videtur esse pars versus Heroici , seu Hexametri ; Trimeter , quia tres pedes habet , Spondaeum , Dactylum , Spondaeum. Quartus quisque est Glyconius ; de quo dictum in 3. genere. Talis est Ode 12. lib. 1.

O nā | vīs refe | rēnt | īn mare | tē novi
Flūctūs | ō quid a | gīs | fōrtiter | ōccupa
Pōrtūm | nōnne vi | dēs ūt
Nūdūm | rēmigiō | latus.

VI.Genus.Ode Dicolos Tetrastrophos.Primi quique tres versus sunt Asclepiadei ; quartus Glyconius. Talis est Ode 5. l.1.
Scriberis Vario etc.

VII. Genus. Ode Dicolos Distrophos. Primus versus est Hexameter Heroicus; secundus est Dactylicus Alcmanius Tetrameter. Dicitur Dactylicus, quia frequentiores in eo sunt Dactyli; Alcmanius, quia inventus ab Alcmane, Graeco poeta; Tetrameter, quia 4. habet pedes, nempe similes 4. ultimis versus Heroici Hexametri. Talis est Ode 6. libri 1.

Lăudā | būnt ali | i clā | rām Rhodon | āut Mity | lēnēn,
Aūt Ephe | sūm bima | rīsve Co | rīnthī.

VIII. Genus. Ode Dicolos Distrophos. Primus quisque versus est Aristophanius, Dimeter, constans e duobus pedibus, nempe Choriambo, et Bacchio. Pes autem Bacchius ita dicitur, quia in hymnis Bacchi saepe adhibebatur: constat ex una brevi, et 2. longis. Talis est versus Odae 7. lib. 1.

Līdia dīc | per ōmnēs.

Aristophanius appellatur ab auctore illius Aristophane.poeta Comico, apud Graecos celeberrimo. Secundus quisque versus est Alcaicus, (ab Alcaeo inventus) Tetrameter, quia 4. pedes habet. Primus est Epitritus, 2. et 3. Choriambus, 4. Bacchius.

Tē Deōs ō | rō Sybarīm | cūr properēs | amāndō.

Porro pes Epitritus, ita vocatur, quia supra 3. syllabas, unam habet. Quadruplex est 1. ex Iambo et Spondaeo compositus, ut *vo lŭ ptā tēs*, 2. ex Trochaeo, et Spondaeo, ut *cōn ci tā tās*, 3. e Spondaeo, et Iambo, ut *cōm mū ni cānt*, 4. e Spondaeo, et Trochaeo, ut *ēx pē ctā re*. Potest huius Odae primus versus aliter secari; nempe

Līdia | dīc per | ōmnēs.

IX. Genus. Ode Alcaica, Tricolos Tetrastrophos. Dicitur Alcaica, quia inventa fuit ab Alcaeo, Lyrico poeta clarissimo. Primi quique duo versus sunt Iambici Senarii Brachycatalecti: qui appellari quoque possunt Dactylici Pentametri Catalecti. Constant illi ex Iambo, vel Spondaeo, deinde Iambo; postea Spondaeo, tum Anapaesto, deinde Iambo. Si aliter metiaris, ac esse Dactylicos velis, constabunt ex Iambo, vel Spondaeo, tum Iambo, caesura, et duobus Dactylis. Talis est Od. 8. lib. 1.

Vidēs | ut āl | tā stēt | nive cān | didūm
Vidēs | ut āl | tā | stēt nive | cāndidum

Tertius quisque versus est Iambicus dimeter, sive 4. pedibus constans (nam in versibus Iambicis, una mensura 2. pedes complectitur) hypercatalectus, sive abundans una syllaba post 4. pedes.

Sīlvae | labō | rāntēs | gelū | que

Quartus quisque versus est Dactylicus Alcaicus, constans pedibus quatuor, duobus Dactylis, et duobus Trochaeis, vel ultimo spondaeo.

Flūmina | cōnstite | rīnt a | cūtō.

X. Genus. Ode Monocolos; in qua sunt omnes versus Choriambici Alcaici Pentametri; qui constant e Spondaeo, tribus Choriambis, et Pyrrhichio vel Iambo. Talis est Ode 10. lib. 1.

Tū nē | quaēsierīs | scīre nefās | quēm mihi quēm | tībi

Possis etiam metiri versum istum aliter, caesuris interpositis.

Tū nē | quaēsie | rīs | scīre ne | fās | quēm mihi | quēm tibi.

XI. Genus. Ode Dicolos Distrophos: in qua primus quisque versus est Iambicus Dimeter Catalectus, constat enim 4. pedibus; sed una syllaba deest, nempe prima. Talis est Od. 15. l. 2.

Nōn | ebūr | nequ' aū | reūm:

Si velis pendulam, et abundantem syllabam in finem versus reiicere; facies ex Iambico Trochaicum, et sic metiere;

Nōn e | būr ne | qu' āure | ūm:

Secundus versus est Iambicus Trimeter Catalectus, constans 6. pedibus, dempta una syllaba.

Meā | renī | det īn | domō | lacū | nār.

XII. Genus. Ode Dicolos Distrophos: in qua primus quisque versus est Heroicus Hexameter; secundus quisque est Dactylicus Dimeter Hypercatalectus; constans 2. Dactylis, et syllaba. Talis est Ode 6. libri 4.

Dīffū | gēre ni | vēs rede | ūnt iām | grāmina | cāmpis,
Arbori | būsque co | mae.

XIII. Genus. Ode Dicolos Distrophos; in qua primus quisque versus est Iambicus Trimeter, sive sex pedibus constans; secundus Iambicus Dimeter, duabus constans mensuris, sive pedibus 4. Eius generis est Ode 1. Epodon

Ibīs | Libūr | nīs īn | ter āl | ta nā | viūm
Amī | ce prō | pūgnā | cula.

Aliud quoddam genus est huic simile; in quo, pro versu primo Iambico, ponitur Heroicus Hexameter;

Mōllis in | ērtia | cūr tān | tām dīf | fūderit | īmīs
Oblī | viō | nēm sēn | sibūs.

XIV. Genus. Ode Dicolos Distrophos, in qua primus quisque versus est Heroicus Hexameter; secundus vero Archilochius Hexameter Hypercatalectus, constans 4. Iambis, 2. Dactylis, et una syllaba. Talis est Ode 10. Epod.

Hōrrida | tēmpē | stās cae | lūm cōn | trāxit et | imbrēs,
Nivēs | que dē | dūcūnt | Iovēm | nūnc mare|nūnc silu|aē.

Quidam hanc Oden faciunt Tricolon Tristrophon: et secundum versum in duos secant: quorum primus est Iambicus Dimeter;

Nivēs | que dē | dūcūnt | Iovēm:

Alter est Dactylicus Archilochius, de quo dictum in duodecimo genere;

Nūnc mare | nūnc silu | ae.

Huic affine est generi aliud, in quo Dactylicus Archilochius praeponitur Iambico Dimetro: et in primo loco, pro Heroico Hexametro, ponitur Iambicus Trimeter.

Pēttī | nihīl | mē sīc | ut ān | teā | iuvāt
Scrībere | vērsicu | lōs
Amō | re pēr | cūlsūm | gravi

In quo genere, quidam duos illos versus in unum conflant, hoc modo.

Scrībere | vērsicu | lōs | amō | re pēr | cūlsūm | gravī.

XV. Genus. Ode Dicolos Distrophos: cuius primus quisque versus est Heroicus: secundus vero Iambicus. Talis est Ode 11. lib. Epod.

Altera | iām teri | tūr bēl | lis cī | vīlibus | aetās
Suīs | et īp | sa Rō | ma vī | ribūs | ruit.

Ultimum genus est earum in quibus sunt omnes versus Iambici Trimetri. Talis est Ode 17. lib. Epod. *Iam iam efficaci etc.*

Q. HORATII FLACCI ODARVM

LIBER PRIMUS.

ODE I. *a*) *Aliis rebus alios delectari : se poesim ac maxime lyricam adamare.*

MAecenas atavis *b*) edite Regibus ,
O et praesidium , et dulce decus meum!
Sunt , quos *c*) curriculo *d*) pulverem Olympium
Collegisse iuvat : metaque *e*) fervidis
Evitata *f*) rotis *g*) , palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit *h*) ad Deos.

a) Vox haec est Graeca : significat cantilenam quandam, qualis plerumque ad lyram cani solebat. Unde lyrica poesis appellatur. *b*) Qui ortum ducis e Regibus, qui Reges Etruseorum numeras in tuis maioribus. Est autem hic ordo prosapiae : pater, avus, proavus, atavus, abavus, etc. Maecenatem porro prognatum e Regibus fuisse docet etiam Propertius l. 3. *Maecenas Eques Etrusco de sanguine Regum.* Neque apparet quare vox Regis in loco proprie accipienda non sit. *c*) Reperias quosdam quos delectat, excitare pulverem Olympicum curru, hoc est, qui alia re nulla magis oblectantur, quam certaminibus Olympicis, in quibus per campum pulverulentum currus agitantur. Est autem Olympia Graeciae civitas, quam Pisam quoque vocatam fuisse aliqui tradunt. In vicinis huic campis, prope Alphaeum fluvium, certamina curulia incredibili totius Graeciae concursu celebrabantur, quinto quoque anno ineunte, seu post annos quatuor exactos. *d*) Curriculum accipe, vel pro exiguo curru, et veloci, vel pro ipso spatio, in quo currus incitatur. *e*) Felicissimi praedicantur ab hominibus, et Diis terrae dominis simillimi putantur, qui rotis summa velocitate incitatis potuerunt ita circumflectere metam, ut ad eam non impingerent, allíderentque currum, et palmam nobilem ita retulerunt. *f*) In extremo stadio, sive loco ubi currus agitabantur, erant quaedam metae, seu lapideae columellae in acumen desinentes, ad quas cum aurigae venissent, debebant circa illas currum flectere et in eundem, unde currere coeperant, locum reverti. *g*) Rotae prae celeritate saepe ignem concipiunt. *h*) Dicuntur ad

Hunc *i*), si mobilium turba Quiritium *k*)
Certat tergeminis *l*) tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis *m*) verritur areis;
Gaudentem *n*) patrios findere sarculo *o*)
Agros; Attalicis *p*) conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria *q*)
Myrtoum *r*) pavidus nauta secet mare.
Luctantem *s*) Icariis *t*) fluctibus Africum *u*)

Deos evehi, Caelum tangere, in Caelo esse, quibus aliquid bene, ac feliciter evenit, qui honorem eximium aliquem consequuntur. *i*) Si unus quispiam a populo Rom. qui levis est ac parum in suo favore constans, maximis honoribus certatim ornatur, et supra ceteros cives attollitur: si alius aliquis frumenta totius pene Africae in suis ipsius horreis condidit, dum ibi relictos a patre agros colere gaudet: neutrum illorum unquam ab instituto vitae genere, nimirum ab honoribus ambiendis, ab colendis agris, dimovere poteris, eisque persuadere ut nauticam artem plenam periculi, et pavoris exerceant, ac navi se committant in mari Myrtoo; quamvis hanc illis conditionem offeras, ut opes Attalicis similes possideant; quamvis opes Regis Attali ipsis promittas. *k*) Romani dicti sunt Quirites a Curibus, primaria urbe Sabinorum, Sabinis in partem regni, et Urbis vocatis; Livius l. 1. *l*) Tergeminus idem est ac triplex: ita Geryon, cui tria dicuntur fuisse corpora, tergeminus a Virgilio vocatur. Triplices autem honores vel sunt honores maximi (numerus enim ternarius perfectionem rei alicuius saepe significat) vel ter repetiti, vel tres maxime insignes, nempe Aedilitas maior, Praetura, et Consulatus. *m*) Africa dicta quoque est Lybia: frumenti ferax erat. Area est locus ubi teritur, et verritur frumentum. Est autem hyperbole, cum ille agricola dicitur quidquid est in Africa frumenti suis unius horreis condere. *n*) Refer hoc participium, ad, *illum si, etc.* hoc sensu; illum, idest, aliquem alium gaudentem vita rustica, nunquam dimoveas, etc *o*) Sarculum est rusticum instrumentum, genus rastri, quo segetes novellae purgantur, atque herbae inutiles scalpendo eliduntur. *p*) Attalus fuit Rex Pergami in Asia ditissimus, ita ut eius opes in proverbium abierint. *q*) Navi e trabibus, in insula Cypro sectis, facta. *r*) Est pars Aegaei maris: nomen ei factum, vel a Myrtoo Oenomai Regis Arcadiae auriga, quem ille in hoc mare praecipitem deiecit, vel a muliere quadam Myrtone. *s*) At Mercator, qui timet ventum Africum cum fluctibus Icarii maris veluti certantem, eosque huc illuc impellentem, laudat ille quidem rusticam vi-

Mercator metuens, otium, et oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati *x)*.
Est, qui *y)* nec veteris pocula Massici *z)*,
Nec partem solido *a)* demere de die
Spernit; nunc viridi membra *b)* sub arbuto *c)*
Stratus, nunc ad aquae lene caput *d)* sacrae.
Multos *e)* castra iuvant, et lituo *f)* tubae
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata *g)*. Manet sub love *h)* frigido
Venator, tenerae coniugis immemor;
Seu visa *i)* est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes *k)* Marsus *l)* aper plagas.

tam, et urbanam, ut otiosam ac tutam, idem tamen, quia paupertatem pati non potest, naves naufragio laceratas reficit, resarcitque, ut iterum se mari committat: adeo abstinere a mercatura nequit. *t)* Mare Icarium est pars Aegaei: in quam Icarus Daedali filius, solutis a Sole pennis, decidisse fertur. *u)* Vehementior est, ac procellosus ventus flans ab Africa, et occasu hiberno. *x)* Graeca est phrasis: qui nullis periculis ac tempestatibus doceri potest, ut patiatur paupertatem, et careat lucro quod navigatione, licet periculosa, colligit. *y)* Alius genio et voluptatibus indulget, nec spernit, hoc est, libenter potat vinum generosum, quale Massicum est: neque spernit, hoc est, non recusat, partem aliquam de solido, idest integro die re•care, quam scilicet epulis tribuat, nunc humi stratus sub aliqua viridi arbuscula, nunc ad fontem sacrum leni murmure aquas fundentem. *z)* Massicus mons est in Campania Itala, ubi vites optimae.

a) Non particulam tantum diei carpere, ut ceteri (nam Romani cibum fere non sumebant nisi sub vesperam) sed bonam partem de solido, et medio die capere, et diem frangere integrum quasi duas in partes, ita ut una detur negotiis, altera compotationi. *b)* Phrasis Graeca: habens membra strata. *c)* Arbutus est quaedam arbuscula, citro similis. *d)* Aquae caput et origo, est ipse fons: sacri autem erant fontes apud antiquos; et Numen aliquod iis inesse putabatur. *e)* Multis bellum placet. *f)* Lituus est buccina longior et incurva, sonum acutiorem edens. *g)* Ea vox patiendi significationem hic habet. Matres autem bella execrantur, quia orbantur filiis. *h)* Sub aere frigido, sub dio. Iupiter apud poetas sumitur pro Caelo, aere, et vento. *i)* Sive canes fideles viderint cervam; seu aper in plagas, et retia inciderit. *k)* Retia fiunt e funiculis rotundis.

Me *m*) doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis. Me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris *n*) chori ,
Secernunt *o*) populo ; si neque *p*) tibias
Euterpe *q*) cohibet , nec Polyhymnia
Lesboum *r*) refugit tendere barbiton.
Quod si me Lyricis vatibus inseres *s*) ,
Sublimi *t*) feriam sidera vertice.

ODE II. *Clades quibus Romanos vexarunt Superi ob necem Caesaris. Octavius unus est qui iacentem Remp. erigere possit.*

IAm satis terris nivis , atque dirae
Grandinis misit Pater *a*), et rubenti *b*)
Dextera sacras *c*) iaculatus *d*) arces ,
Terruit Urbem :

l) Marsi, populi sunt Italiae: Marsus aper ponitur pro quolibet apro; forte quia in ea regione frequentiores erant. *m*) Ego mihi videor esse ipsis Superis aequalis, hoc est, beatissimus , si possum habere frontem hedera redimitam; quod praemium est doctorum Poetarum. Hedera autem coronabantur poetae : quia erant in tutela Bacchi, cui sacra hedera. *n*) Satyri, sunt agrestes Dii, caprinis pedibus, protervi ac saltationi chorisque deditî. Chorus autem est canentium, et saltantium multitudo. *o*) Separant a plebe; supra vulgus profanum me attollunt; reliquis hominibus praestantiorem faciunt, et excelsiorem. *p*) Si quidem Euterpe libenter patiatur me tibiis, quarum est inventrix, uti ; modo eas mihi non prohibeat : modo Polyhymnia (una etiam e Musis , odarum et hymnorum auctor) non vetet , me barbiti fila contendere, eaque pulsare : id est, si mihi faveant Musae. *q*) Musae novem vulgo recensentur: Calliope, Clio, Erato, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Euterpe, Polyhymnia, et Urania. *r*) Lesbos est insula maris Aegaei, ex qua oriundi Alcaeus , et Sappho, insignes lyrico carmine. Est autem barbytos, seu barbitus, lyrae quoddam genus. *s*) Adnumeres , ascribas. *t*) Ero similis Superis; beatissimum esse me arbitrabor. Porro constat istam odem scriptam non fuisse, nisi post alias multas, quibus id iam erat assecutus Horatius, ut inter lyricos vates numerari iure posset : fuit autem posita primo omnium loco : quia dedicatio quaedam videtur esse, qua suos carminum libros Maecenati offert.

a) Iupiter , hominum Deorumque Pater a Poetis vocatus. *b*) Rubentibus fulminibus armata. *c*) Templa , sacrarum aedium culmina. *d*) Coniecto fulmine demolitus.

Terruit gentes *e*), grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae, nova monstra questae,
Omne quum Proteus *f*) pecus egit altos
Visere *g*) montes;
Piscium et summa genus haesit ulmo,
Nota *h*) quae sedes fuerat columbis:
Et superiecto *i*) pavidae natarunt
Aequore damae.
Vidimus flavum *k*) Tiberim, retortis *l*)
Littore Etrusco violenter undis,
Ire deiectum *m*) monumenta Regis *n*)
Templaque Vestae *o*);
Iliae *p*) dum se nimium querenti
Iactat ultorem: vagus *q*) et sinistra *r*)

e) Fecit ut gentes timerent ne rediret diluvium; quo tempore Pyrrha, Deucalionis uxor, conquesta est de prodigiis, et monstris antea inauditis, quae tum contingebant, v. g. quod pisces in montibus, et summis arboribus degerent, etc. *f*) Marinus Deus Neptuni filius, qui belluas marinas, quas Phocas Poetae vocant, pascit *g*) Graeca locutio: idest, duxit ad visendos montes. *h*) Qua in sede, quibus in ulmis norant, solebant prius columbae considere. Videtur autem loqui de columbis sylvestribus, quas vulgo palumbes vocamus. *i*) Super terras effuso: vel, ipsis natantibus superiniecto. *k*) Propter arenas turbidas quas volvebat. *l*) Undas suas retorquentem ab Etrusco littore, seu mari Tyrrheno, in quod defluebas, et eas retro in suum fontem, Romam versus, adverso flumine referentem, ut Romam deiiceret, auctus et intumescens undis tum refluentibus. Roma quatuor admodum leucis distat ab Tyrrheno littore. *m*) *Deiectum*, est hic in supino, ut, *ire lusum*. *n*) Sepulcrum Numae Pompilii, Romanorum Regis secundi. Joan. Bond. exponit, domum in qua olim Numa Pompilius habitabat, quae Regia vocabatur. *o*) Dea Vesta igni praesidebat, qui perpetuus in eius templo servabatur, et alebatur a Vestalibus Virginibus. *p*) Romuli mater, eadem Rhea quoque et Sylvia nuncupata, Tiberis uxor fuisse dicitur, quia Tiberi, Amulii iussu, submersa est; alii proiectam in Anienem volunt. Ab ea Iulius Caesar duxit originem, unus scilicet e Romuli nepotibus. Hanc igitur fingit Horatius graviter questam esse de Caesaris nece apud Tiberim suum maritum, qui illi promiserat se ipsius ultorem fore, Urbemque destructurum. *q*) Errans extra alveum. *r*) Exitiali, perniciosa, propter undas extra ri-

Labitur ripa, Iove non probante *s)*,
Uxorius *t*) amnis.
Audiet *u*), cives acuisse ferrum,
Quo graves *x*) Persae melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara iuventus.
Quem *y*) vocet Divum populus ruentis
Imperi rebus? Prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem *z*)
Carmina Vestam?
Cui dabit *a*) partes scelus expiandi
Iupiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentes *b*) humeros amictus
Augur *c*) Apollo.

pam effusas. Adde quod Roma Tiberi currenti erat ad sinistram adeoque ab ea parte plus damni attulit. *s*) Volente Romam plecti, non perire, et scelus hoc ab Augusto tandem expiari: vel, non probante templa everti. *t*) Uxori nimium obsequens. *u*) Iuventus olim nascitura, et rarior propter bella civilia patrum scelere suscepta, in quibus multi viri perierant, audiet Romanos acuisse, et in se convertisse arma, quae melius ab iis in Persas fuissent versa. Bellum civile describit, quasi praecipuam poenam, quae ob Caesarem interfectum divinitus imposita fuerit; et ingeniose Octavio adulatur, qui Caesaris nepos, et heres. *x*) Bellicosi, infensi Romanis, quos ante annos paucos, Crasso caeso, deleverant, ann. U.C. 701. Porro Persas pro Parthis ponit, qui Persarum vetus regnum tunc obtinebant. *y*) Quem e Superis populus implorabit, ad fulciendam Rempublicam ruentem? *z*) Quia dolebat Iulium Caesarem, suum sacerdotem, indigna peremptum nece. Caesarem Vestae sacerdotem fuisse auctor est Ovid. 3. Fast.

a) Cuinam Iupiter dabit munus, et provinciam expiandi scelus a Romanis susceptum in Caesaris nece? Expiare autem scelus, est delere illud, ac purgare: porro expiavit necem Caesaris Octavius, interfectis eius percussoribus, etc. *b*) Nube tectos habens humeros candidos. Locutio Graeca; ut, *pulcher vultum*, id est, *secundum vultum*. Deos porro aliqua nube obvolutos Poetae solent exhibere, cum in terras labuntur. *c*) Qui auguriis, et divinationibus praesides. Augures proprie ex avium cantu, interdum etiam e pastu, et volatu futura praedicebant, ac voluntatem Deorum scrutabantur. Apollinem primo loco implorat; quia Aeneae, ac Troianis,

Sive tu mavis, Erycina *d*) ridens,
Quam Iocus circumvolat, et Cupido;
Sive neglectum *e*) genus, et nepotes
    Respicis auctor,
Heu! nimis longo satiate ludo;
Quem iuvat *f*) clamor, galeaeque leves *g*),
Acer *h*) et Mauri peditis cruentum
    Vultus in hostem
Sive *i*) mutata iuvenem figura,
Ales *k*) in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens *l*) vocari
    Caesaris ultor;
Serus in Caelum redeas *m*), diuque
Laetus intersis *n*) populo Quirini,

eorumque nepotibus Romanis amicior ferebatur. Huc adde quod Augustus Apollinis filius esse iactabatur. Svet.c.94.Oct. *d*) Venus, sic dicta ab Erice monte Siciliae, ubi praecipue colebatur. Eam invocat, ut matrem Aeneae, a quo Iuliorum familia. *e*) Seu tu, o Mars, auctor et parens Romauorum (quia pater es Romuli, unde illi orti sunt) respicis, et curas gentem tuam, quam videris neglexisse, quippe qui tam diuturno bello civili eam vexasti, ut cruento isto ludo possis esse iam satiatus. *f*) Qui delectaris clamoribus bellicis, etc. *g*) Politae, tersae. *h*) Et qui gaudes videre Maurum peditem truci vultu irruentem in hostem cruentum. Mauri sunt Africae populi circa montem Atlantem: eorum regio Mauritania dicitur, Hispaniae opposita. De Mauris autem hoc in loco praecipue meminit, quorum fortitudo in bellis recentibus contra Iugurtham, et Iubam, etc. perspecta fuerat. *i*) Sive tu, o Mercuri qui Maiae filius es, exuta Dei figura quam in Olympo geris, imitaris in terris iuvenem Octavium, hoc est, eius humanam figuram induis, et sub eius vultu nobis appares. *k*) Alatus. Dantur alae sive talaria Mercurio, quia Deorum nuncius est, ac interpres. Favebat ille quoque Romanis, ut olim Troianis, et idoneus Horatio visus est qui Augusti vultum indueret, ob excellens ingenium eiusdem bonis artibus excultum, quarum praeses Mercurius est. *l*) Volens, probans. Dederat operam Octavius, ut lex ferretur de Caesaris nece vindicanda; eamque in se provinciam praecipue susceperat, ab eo videlicet in familiam, et nomen adoptatus. *m*) Mercurium alloquitur, quem e Caelo delapsum sub Augusti apparere vultu fingit, ingeniose, et more poetico. *n*) Diu

Neve te nostris vitiis iniquum *o*)
Ocior aura *p*)
Tollat. Hic magnos *q*) potius triumphos,
Hic ames dici Pater *r*), atque Princeps
Neu sinas Medos *s*) equitare *t*) inultos
Te duce *u*), Caesar.

ODE III. *Optat Virgilio Athenas naviganti prosperum iter, et vacuum periculis, quibus infesta solet esse navigatio : hinc invehitur in eum qui nauticam artem invenit.*

SIc *a*) te Diva potens *b*) Cypri,
Sic fratres Helenae *c*), lucida sidera,

verseris in populo Romano. Quirinus nomen est Romuli. *o*) Inimicum, aegre nostra vitia ferentem. *p*) Nec citius avoles; ne te repentinus aliquis turbo e terris in Caelum revehat. *q*) Ama potius hic triumphare, quam in Caelo feriari. *r*) Augustus postea Senatus-Consulto Pater Patriae appellatus est. Invitat igitur eum vates ad nomen hoc dulcissimum promerendum. *s*) Parthos intelligit, qui, ut diximus, Crassum, et Romanos paucis ante annis magna pugna deleverant. Medi autem vocantur, quia haec regio, primum a Medis, deinde a Persis, postremo ab ipsis Parthis occupata fuit. *t*) Parthi maxime ex equis pugnabant. *u*) Te Rempub. administrante. Ex illis facile potest intelligi quo anno scripta fuerit haec Ode : nimirum paulo post pugnam Philippensem, in qua, caesis Bruto et Cassio, rerum summa Octavium spectare videbatur. Consule Indicem II. Odarum.

a) Navim, qua Virgilius vehitur, alloquitur. Sic, est in hoc loco, utinam; vel, si est particula comparativa, subaudiendum est aliquid illi respondens; v.g. sic te, o navis, servent Superi, et regant, ut ego vere istud, et ex animo opto, vel, ut navem, qua veherer, servari vellem, etc. *b*) Venus, Cypri domina. Cyprus est insula maris mediterranei e regione Ciliciae: in ea maxime Venus colebatur. Nautae Venerem invocabant: quia cum esset nata e maris spuma, ut fabulantur Poetae, in mare ius quoddam habere credebatur. *c*) Castor et Pollux. Apparent saepe in locis palustribus, et in mari quidam ignes erratici, et fatui, quorum alii sursum feruntur, alii deorsum: eos Castorem, et Pollucem appellabant, et credebant esse nautis salutares, si

Ventorumque regat Pater *d*),
Obstrictis *e*) aliis, praeter Iapyga *f*),
Navis: quae tibi creditum *g*)
Debes *h*) Virgilium, finibus *i*) Atticis
Reddas incolumem, precor;
Et serves animae dimidium *k*) meae.
Illi robur *l*), et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit praecipitem *m*) Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas *n*), nec rabiem Noti *o*);
Quo non *p*) arbiter Adriae

gemini simul apparerent. *d*) Aeolus. *e*) Inclusis, et alligatis. Alludit ad Homeri fabulam, qui narrat ventos omnes datos esse Ulyssi ab Aeolo, inclusos et constrictos in utribus, praeter Zephyrum a quo in patriam Ulysses deferretur: cum autem socii Ulyssis male curiosi utres aperuissent, elapsos repente ventos, procellas concitasse, etc. *f*) Iapyx est ventus ex Apulia flans, opportunus navibus ex Italia in Graeciam solventibus. Apulia, vel eius aliqua pars dicta est olim Iapyga. Hinc Virgilius Garganum, Apuliae montem, vocat Iapyga, item equum pernicem, quales erant Apuli, lib. 11. Aen. *g*) Tuae veluti fidei commissum, et quasi apud te depositum. *h*) Debes incolumen servare, et restituere, ut debitor pecuniam sibi creditam debet reddere. *i*) Virgilius Athenas navigabat, ut ibi Aeneidem suam perpoliret; verum hinc seductus in Italiam ab Augusto qui Romam redibat ex Oriente, paulo post obiit, anno aetat. 51. *k*) Ad vim amoris significandam, dicuntur amici unam, et eandem habere animam, quae in duobus corporibus veluti dimidiata versetur. *l*) Dura quercus. Habebat ille pectus conflatum e ligno durissimo, aut aerea lorica munitum, id est, erat audacissimus, et fortissimus. *m*) Africus ventus est procellosus flans ab occasu hiberno. Aquilo est vehemens item ventus flans ab Septentrione: illi duo venti oppositi decertant, ac tempestates movent. *n*) Stellae quaedam sunt pluviam inferentes: visuntur in Tauri capite. Fabulis proditum est eas Atlantis fuisse filias, quae fratris sui Hyantis a leone interfecti necem cum inconsolabiliter flerent, mutatae sunt in stellas, quae lacrymas etiam et aquas videntur amare. Suculae ab Latinis vocantur, ab humore, et succo, seu pluvia. o) Notus est ventus flans a Meridie; Auster etiam dicitur. *p*) Quo nullus est potentior arbiter, et dominus Adriae, seu fluctus, et procellas at-

Maior, tollere, seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum *q*)
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, et
Infames scopulos Acroceraunia *r*)?
Nequidquam Deus abscidit *s*)
Prudens Oceano dissociabili *t*)
Terras, si tamen impiae *u*)
Non tangenda rates transiliunt vada *x*).
Audax omnia *y*) perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas *z*).
Audax Iapeti *a*) genus
Ignem fraude mala gentibus intulit:
Post ignem aetheria domo
Subductum *b*), macies, et nova *c*) febrium

tollere velit, seu componere, et sedare: interdum enim est lenis, et placidus hic ventus. Adria sumitur hic pro toto sinu, et mari Adriatico: interdum significat urbem Italiae, in faucibus eiusdem sinus Adriatici. *q*) Genus mortis, quod aliud alio quasi gradatim acerbius, et gravius est; vel, incursionem, et impetum mortis; vel, vicinitatem; morti enim sunt proximi, qui navigant. *r*) Sunt scopuli quidam Epiri, ob naufragia quae ad eos fiebant, famosi: ἄκρος graece significat, altus; κεραυνός, fulmen: altissimi cum scopuli saepe feriuntur fulmine: hinc illis factum nomen. *s*) Separavit: frustra, inquit Horatius, Deus consulto terras a mari separaverat, siquidem homines navibus mare quasi coniungunt terris, ac pervium faciunt. *t*) Quem decuit disiungi a terris, et nullam cum iis veluti habere societatem. Sunt qui vocem hanc velint activa in hoc loco significatione positam, *dissociabili*, pro *dissociante*, Oceano separante, et intercludente gentes alias ab aliis. Sic frigus *penetrabile* dicitur, id est, penetrans. *u*) Quae contra Dei vetitum faciunt. *x*) Maria, littora. Vadum proprie locus est, in quo alta non est aqua, quam pedibus facile transmittas, quale est maris littus. *y*) Adire pericula omnia, et perferre. *z*) Proprie est id quod non licet facere: vel quod fieri non potest. Praeceps fertur ad omnia scelerata, et difficilia.

a) Prometheus Iapeti filius, qui cum ope Minervae Caelum conscendisset, affixa taeda rotis currus solaris, ignem furatus, eum hominibus impertivit. *b*) Furto sublatum. *c*) Antea inau-

Terris incubuit *d*) cohors ;
Semotique prius tarda *e*) necessitas
Leti , corripuit gradum *f*).
Expertus *g*) vacuum Daedalus aera ,
Pennis non homini datis :
Perrupit Acheronta *h*) Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est.
Caelum ipsum petimus *i*) stultitia *k*) , neque
Per nostrum *l*) patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

ODE IV. *Sextium hortatur , ut genio indulgeat , proposita veris amoenitate , et communi necessitate moriendi.*

Solvitur *a*) acris hiems grata vice *b*) veris, et
Favoni *c*) ;
Trahuntque *d*) siccas machinae carinas :
Ac neque iam stabulis gaudet *e*) pecus, aut arator igni ;

dita, nondum visa. *d*) Invasit, obsedit, atque oppressit. *e*) Tardius et quasi ex longinquo venientis. *f*) Acceleravit, i. e. citius homines, quam antea , mortem obiere. *g*) Subaudi , *est*. Ausus est se committere aeri, volare alis cera compactis. Daedalus, faber et architectus ingeniosissimus , naves primus fabricavit, iis addidit vela, navi effugit e Labyrintho Cretensi , etc. Unde nata est de illius pennis, et volatu fabula. *h*) Acheron est Inferorum fluvius. Sensus est : Hercules ad ipsos usque Inferos penetravit , non sine labore ; ut inde Cerberum extraheret. *i*) Caelum oppugnarunt olim Gigantes ; et Superos impii omnes lacessunt peccando , ac provocant. *k*) Propter nostram amentiam : tanta est hominum insania ! *l*) Impedimus nostris sceleribus , quominus iratus nobis Iupiter deponat fulmina , in nostrum caput vibranda.

a) Mitescit , deponit suum rigorem, et acerbitatem. *b*) Vicissitudine, reditu stato et solemni veris. *c*) Favonius, idem ac Zephyrus, flat ab occasu. *d*) Naves per hiemem in portu quiescunt, vel etiam in sicco littore sedent ; exacta hieme, machinis et funibus e littore in aquam trahuntur , ut navigatio repetatur. Carina , pars navis infima. *e*) Non amplius peco-

Nec prata canis albicant *f)* pruinis.
Iam Cytherea *g)* choros *h)* ducit Venus, imminente Luna *i)*;
Iunctaeque Nymphis Gratiae *k)* decentes
Alterno *l)* terram quatiunt pede; dum graves *m)* Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum *n)* caput impedire *o)* myrto,
Aut flore, terrae quem ferunt solutae *p)*.
Nunc et in umbrosis Fauno *q)* decet immolare lucis
Seu poscat agnam *r)*, sive malit haedum.
Pallida mors aequo *s)* pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres: o beate Sexti *t)*,

ra in stabulis continentur, ut fit in hieme. *f)* Albescunt. *g)* Venus ita vocatur ab insula, quae adiacet Peloponneso, contra Cretam: ea nunc *Cerigo* dicitur, olym Cythera: ibi Venus colebatur. *h)* Nymphas in orbem saltantes ducit. *i)* Incumbente ipsarum capiti, supra caput lucente, noctu. *k)* Charites graeca voce dicuntur: tres numerantur, Aglaia, Euphrosyna, et Thalia. *l)* Nunc hoc, nunc illo; ut fit a saltantibus. *m)* Dum Vulcanus, qui fulmina Iovis fabricatur cum Cyclopibus in Aetnaeis fornacibus, eorum officinas multo igne succendit, ut prope urere illas velle videatur; graves vocat, id est, laboriosas. Erant autem Cyclopes gigantes quidam, et Vulcani ministri; sic vocabantur, quia unum oculum rotundum gerebant in media fronte; a duplici voce Graeca, quarum una circulum, sive orbem, altera oculum significat. *n)* Unguentis, et aromatibus delibutum. *o)* Implicare, coronare. *p)* Laxatae ob vernum calorem: frigus terram constringit, calor contra solvit, atque aperit. *q)* Faunus fuit rusticorum Deus; idem forte ac Pan. *r)* Legunt nonnulli, *agna*, et *haedo*, subaudiendo, *fieri*: seu poscat agna, sive haedo sibi fieri, hoc est, sacrificari. *s)* Aequali: deiicit, ac deturbat aeque viles pauperum domunculas, ac superbas turritasque Regum aedes: vel aeque audet ingredi in aedes divitum ac pauperum: qui enim aliquam domum petunt, solent, si protervi audacesque sunt pedibus et calcibus fores pulsare. *t)* Iste Sextius Brutum in civili bello secutus fuerat: ut Sextium Augustus demerere-

Vitae summa *u*) brevis spem nos vetat inchoare longam.

Iam te *x*) premet nox, fabulaeque Manes,

Et domus exilis *y*) Plutonia: quo simul *z*) mearis,

Non regna *aa*) vini sortiere talis *bb*).

ODE V. *Alios Agrippae laudes, et priscorum heroum celebraturos ait; sibi argumenta tam gravia non convenire.*

Scriberis *a*) Vario *b*) fortis, et hostium *c*)

tur, Consulem sibi substituit; ac paulo post Horatius hanc ad ipsum oden videtur scripsisse, anno Urbis conditae 731. Unde in quibusdam libris legitur haec odae inscriptio, *Ad Sextium Consularem.* Consularis autem est, qui Consul fuit; idcirco beatus appellatur ab Horatio. *u*) Spatium, mora vitae: numerus brevis dierum, et annorum, quibus vivimus, prohibet nos ea suscipere, et sperare, quae nonnisi longo tempore perfici possunt, ac vetat ampla et vasta moliri consilia. *x*) Brevi te mors, quae tota tenebrosa et necti similis est, opprimet, ac Inferi, qui merae sunt fabulae, vel, de quibus tam multae fabulae narrantur. Manes autem sunt proprie hominum animae, quas ad Inferos descendere putabant, ibique vel detrudi in Tartarum (erat is infimus, ac teterrimus inferorum locus) cruciandas; vel in Elisium (qui locus erat in iisdem Inferis amoenissimus) beandas abduci, aliquas etiam inde ad Caelum transferri, Deorum in numerum reponendas. *y*) Exigua, misera. *z*) Quam in domum simul atque migraveris. Poetae post voculam, *simul*, non semper addunt *ac*, vel, *atque*, sed omittunt saepius. *aa*) Non sorte, et talorum iactu, eligeris in convivio rex vini. Romani aliquem in conviviis statuebant velut regem et arbitrum convivii, qui praeciperet quoties, et quantum quisque biberet. Hunc autem sortiebantur alea missa. *bb*) Talorum iactu. Vid. l. 2. od. 5. ubi de talis, et alea fusius agitur in notis.

a) Varius (erat ille Poeta nobilis ea tempestate Horatii, et Virgilii amicus) te fortem scribet, hoc est, laudabit res a te fortiter gestis. *b*) Pro, scriberis a Vario. Locutio est Graecorum propria, qui dandi casum usurpant pro casu auferendi cum praepositione, post verbum passivum. *c*) Sexti Pompeii: erat ille Pompeii Magni filius, quem Octavius in freto Siculo vicit, anno U. C. 718. ope maxime, et consiliis Agrippae, qui praefectus universae classi tunc erat, ac rostrata post victoriam

Victor, Maeonii *d*) carminis alite *e*),
Quam rem cumque *f*) ferox navibus, aut equis
Miles, te duce, gesserit.
Nos, Agrippa *g*), neque haec dicere, nec gravem
Pelidae *h*) stomachum *i*) cedere nescii,
Nec cursus *k*) duplicis *l*) per mare Ulyssei *m*),
Nec saevam *n*) Pelopis domum,

corona donatus est. Vide Indicem II. Odarum, ubi haec fuse describuntur. Vel Antonii, quem quinto post victum Sext. Pompeium anno debellavit, ad Actium, Epiri promontorium, eodem Agrippa praesertim adiuvante. *d*) Maeonium carmen est carmen grande, et heroicum, quali usus est Homerus, qui Maeonides dictus est, vel a patre Maeone, vel a patria Maeonia, quae est regio Asiae minoris, eadem ac Lydia. *e*) Qui Varius est ales, idest, cycnus Homerici carminis, seu, qui instar cycni est inter poetas heroicos, quorum princeps Homerus. Poetae eximii cum cycnis vulgo comparantur. Passeratius legendum putat, *aliti*, nempe Vario aliti: quam lectionem probat, ac tuetur Lambinus. Si legas, ut vulgo, *alite*, subaudies praepositionem, *ab*. Quidam, *alite*, explicat, penna, calamo, stylo Homerico; alii, fausto omine, eodem auspicio, quo sua carmina Homerus scripsit. *f*) Quamcumque rem. Ista vox, *quicumque*, solet a poetis dividi. Vocatur haec figura, Tmesis. *g*) Fuit amicus Augusti, et eius gener, vir bello strenuus, et ob modestiam Augusto percarus. *h*) Achillis, qui Pelei, et Thetidis filius fuit. *i*) Iram. Achillis, iratus Agamemnoni Graecorum Regi, pugnare cum Troianis multos annos detrectavit, neque ullis precibus a sententia dimoveri potuit: unde hic dicitur, *cedere nescius*. Ea res multas clades Graecis attulit; et bellum usque in decennium extraxit. Demum ubi Achilles vidit suum amicum Patroclum ab Hectore interfectum, ad bellum se retulit, quod caeso Hectore confecit. *k*) Navigationem, errores. *l*) Callidi, subdoli, aliud dicentis, aliud sentientis. *m*) A nominativo Ulysseus, qui derivatus est ab Graeca voce tertiae declinationis contractorum. *Ulyssei*, est hic trisyllabum; alias dissyllabum est. *n*) Caedibus et parricidiis infamem. Tantalus, Phrygiae Rex filium Pelopem interfecit: Atreus, filius Pelopis, Thyestis sui fratris filios interemit; Aegystus Thyestis filius Atreum, deinde Agamemnonem Atrei filium neci dedit: Orestes Agamemnonis filius matrem Clytemnestram peremit. Porro ista tragica facinora, erant vulgo tragoediarum a Romanis poetis, et forte a Vario ipso scriptarum argumenta: quibus tractandis imparem se fatetur Horatius,

Conamur *o*), tenues grandia: dum pudor *p*),
Imbellisque lyrae Musa potens *q*) vetat,
Laudes egregii Caesaris, et tuas,
Culpa *r*) deterere *s*) ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina *t*)
Digne scripserit? Aut pulvere Troio
Nigrum Merionen *u*)? Aut ope Palladis
Tydiden *x*) Superis parem?

ODE VI. *Tiburtinum agrum commendat, ubi villam habebat Plancus amoenissimam: in quam cum secessisset, moerens ab Augusto se negligi, eum Horatius consolatur.*

Laudabunt alii claram Rhodon, *a*), aut Mitylenen *b*),
Aut Ephesum *c*), bimarisve Corinthi *d*)
Moenia, vel Baccho Thebas *e*) vel Apolline
Delphos *f*)

ut Epico carmini. Nec temere suspicari possis per Pelopem, Atreum, Thyestem, adumbrari Brutum, Cassium, Sex: Pompeium, etc. sicut per Martem, de quo infra meminit, Octavium; per Merionen ipsum Agrippam. *o*) Non conamur haec dicere, quae sunt a te praeclare gesta, ut neque alia grandia carminum argumenta; cum adeo tenues poetae simus. *p*) Verecundia, et meae tenuitatis conscientia. *q*) Musa domina, et moderatrix meae imbellis lyrae. *r*) Corrumpere, et obscurare. *s*) Propter imbecillitatem, et imperitiam meam. *t*) Dura, solida, impenetrabili, instar adamantis. *u*) Meriones fuit Idomenei Cretensium Regis socius, dux fortissimus, et in bello Troiano clarissimus. *x*) Diomedem, Tydei filium, qui Martem ipsum in eodem bello vulnerasse ab Homero scribitur et Venerem, Palladia ope in primis fretus.

a) Rhodus est insula, et civitas maris Mediterranei, vicina Cypro, e regione Ciliciae. *b*) Urbs est primaria insulae Lesbi, in mari Aegaeo. *c*) Urbs est minoris Asiae, Dianae templo celebris. *d*) Corinthus est urbs Achaiae in Graecia, posita fere in medio isthmi Peloponnesiaci, hinc Ionium, inde Aegaeum mare prospiciens; unde *bimaris* appellatur, quasi utrimque mari cincta. *e*) Thebae, urbs Boeotiae in Graecia (alia enim est eiusdem nominis in Aegypto) Bacchi patria. *f*) Delphi, urbs Phocidis prope Parnassum: in ea celeberrimum Apol-

Insignes, aut Thessala Tempe *g*).
Sunt, quibus unum opus est, intactae Palladis urbem *h*)
Carmine perpetuo *i*) celebrare, et
Undique *k*) decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus *l*), in Iunonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, *m*) ditesque Mycenas *n*).
Me nec tam patiens Lacedaemon *o*),
Nec tam Larissae *p*) percussit *q*) campus opimae,
Quam domus Albuneae *r*) resonantis,

linis templum fuit. *g*) Neutro genere, et plurali numero haec vox effertur: locum in Thessalia significat, vallibus, sylvis, et hortis amoenissimis inclytum. *h*) Athenas, cuius urbis praeses Pallas. *i*) Vel, in omni quodcumqne tandem scribant, carmine; vel, in carmine aliquo uno, continuo, et non interrupto, ita ut aliud nihil praeter Athenas laudent. *k*) Coronare semper frontem oliva. Poetae coronare vulgo solebant caput hedera, interdum myrto etc. illi laudatores Athenarum, oliva. Sensus est: qui in omni carmine aucupantur locum, et occasionem laudandi Athenas. Minerva olivam primum invenit; ac suum, urbisque Atheniensis, insigne esse voluit. Legunt aliqui hunc versum ita; *undique decerptae frondi praeponere olivam*, et *undique*, explicant undecumque; praeponunt olivam omnibus frondibus, undecumque, id est, ex qualibet arbore sumptis; olivam aliis omnibus arboribus praeferunt. *l*) Multi Poetae. *m*) Neutrius generis est in singulari: masculini vero in plurali. Urbs clarissima Peloponnesi. Hippium Argos dictum, ad aliarum eiusdem nuncupationis urbium discrimen, quod agrum haberet equis pascendis idoneum: ibi Iuno maxime colebatur. *n*) Mycenae urbs est Peloponnesi, prope Argos; ubi regnavit Agamemnon. *o*) Civitas in Peloponneso amplissima, alio nomine Sparta nuncupata, ubi regnavit Menelaus, Lycurgus floruit, et cives severissimis legibus instituit, ad omnium laborum in civili pariter, ac militari vita patientiam. *p*) Civitatis in Thessalia; unde Achilles oriundus. *q*) Movit, affecit; non tam mihi placuit. *r*) Nomen est fontis, et sylvae, in Italia prope fluvium Anienem: domus igitur Albuneae, vel est sedes ipsa fontis, et locus unde

Et praeceps Anio *s*), et Tiburni *t*) lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus *u*) ut obscuro detergit nubila Caelo
Saepe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitaeque labores
Molli, Plance *x*), mero; seu te fulgentia signis *y*)
Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer *z*) Salamina, *a*) patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyaeo *b*)
Tempora *c*) populea *d*) fertur vinxisse corona,
Sic tristes affatus amicos:

manat, vel, villa ad fontem extructa. *s*) Flumen Italiae, in agro Tiburtino, qui praeceps ex edito loco defluit in subjectam vallem. *t*) Viri nomen est, qui Tibur civitatem Italiae condidit, in amoenissimo loco ubi luci, et pomaria rivis errantibus rigata. Porro lucus Tiburni, est lucus ab ipso Tiburno consitus, vel in Tiburni herois memoriam de more consecratus. *u*) Caelum serenum, et candidum efficiens. *x*) Plancus iste ab Antonio, quem secutus fuerat, rediit ad Augustum, circa ann. U. C. 722. a quo cum negligeretur, et a rebus gerendis amoveretur, eum Horatius in Tiburtina sua villa degentem consolatur. Extant Planci litterae ad Ciceronem plurimae. *y*) Vexillis militaribus; sive militiae, sive domi tuae eris. *z*) Telamonis filius Ajacis frater, qui cum Troja capta, rediret in patriam Salamina, indignatus Telamon quod Teucer Ajacis fratris sui, qui inimicorum injuriis exagitatus, et in furorem versus sibi violentas manus attulerat, necem non ultus esset, eum Salamine expulit: unde in Cyprum navigans ibi consedit, urbemque condidit, quam Salamina etiam appellavit.

a) Salamin, sive Salamina, est insula et urbs maris Aegaei, e regione Atticae, Telamonis regia. *b*) Bacchus dictus est Lyaeus, quia solvit curas; a verbo Graeco λυω, quod solvere significat. *c*) Caput. *d*) E frondibus populi arboris contexta; quae arbor cum Herculi sacra esset, a viris fortibus, aut ab iis qui rem periculosam susciperent, adhiberi solebat, quasi ad invocandum Herculem. Is devicto Cerbero, ab Inferis populum arborem ex Acheronte secum detulisse primus fertur, eaque se coronasse; unde illius exemplo victores

Quo nos cumque feret melior *e*) fortuna parente,
Ibimus, o socii, comitesque.
Nil desperandum Teucro duce, et auspice *f*) Teucro.
Certus *g*) enim promisit Apollo,
Ambiguam tellure nova *h*) Salamina futuram.
O fortes, peioraque *i*) passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus *k*) aequor.

ODE VII. *Increpat Lydiam quod Sybarin juvenem ab omnibus honestis, quae decerent, occupationibus, revocet.*

LYdia dic, per omnes
Te Deos oro, Sybarim cur properes amando
Perdere? cur apricum *a*)
Oderit *b*) campum, patiens *c*) pulveris, atque Solis?

populea fronde coronati fuerunt. *e*) Mihi amicior, et aequior, quam ipse pater, a quo pellimur patria: a fortuna enim ductus est in Cyprum, ubi regnum tenuit diu, ac suis posteris reliquit. *f*) Auspex, ille dicebatur a Romanis, qui sumebat auspicia; vel, cujus ductu, nomine, auspiciis, aliquid gerebatur; erant autem auspicia, signa quaedam Deorum voluntatis et favoris, ut quidem putabant Ethnici, et praesagia futurorum sumpta ex avium cantu, volatu, pastu; quasi avispicia, seu avium inspectiones. *g*) Verax, qui certa et eventura promittit. *h*) Condendam a nobis in regione nova (nempe in insula Cypro) Salaminam urbem, quae ambigua erit: id est, quae quia nomen idem habebit atque illa, ubi pater meus regnat, dubios homines faciet, cum de Salamina urbe sermo erit, utra sit ambarum, an haec quae est in insula Salamina, an quae in Cypro. *i*) Graviora pericula. *k*) Iterum nos aequori committemus; navigationem repetemus.

a) Soli expositum. Significat campus Martius: erat ingens quaedam planities Marti sacra, sub moenibus Romae, ubi juventus Romana se exercebat. *b*) Non vacet exercitationibus usitatis in isto campo. *c*) Qui pati potes: solem, et

Cur neque militaris *d*)
Inter aequales *e*) equitet, Gallica *f*) nec lupatis *g*)
Temperet ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere *h*)? Cur olivum *i*)
Sanguine viperino
Cautius vitat? Neque iam livida *k*) gestat armis
Brachia, saepe disco *l*)
Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet *m*), ut marinae

pulverem, vel qui deberet pati, ob aetatem et robur. *d*) Militum in morem; ut hominem militarem decet. *e*) Ejusdem aetatis adolescentes. *f*) Neque equorum Gallicorum (erant illi praestantissimi) ora habenis flectat ac regat. *g*) Lupatum, vel lupatus est frenum asperrimum; ab lupinorum dentium similitudine dictum, qui acuti sunt, et inaequales. *h*) Erat campus Martius prope Tiberim: abluebant autem se in Tiberi, ad abstergendum sudorem, post illas exercitationes collectum. *i*) Luctaturi nuda corpora oleo tingebant, vel unguento quodam ex oleo et cera facto, quod ceroma vocabatur; ut essent robustiores, nitidiores, et minus idonei captantibus. *k*) Livor est color, pallidum inter et sanguineum. Sensus est; cur non gestat arma, quorum pondere brachia essent illi trita, et livida? Posset enim ea commode gestare, qui tam saepe jaculum, aut discum expedivit, id est, projecit trans finem, hoc est, ultra metam: nobilis, idest, spectandus ob eam rem cum magna roboris, et industriae laude. Possunt etiam isti versus ita exponi: cur non gestat amplius, sive movet, agitatque brachia livida armis? Discum et jaculum intellige, quae ludentium arma sunt. Livida autem vocat, id est, solibus perusta, et subnigra, sudore diffluentia, etc. nudabant enim brachia in ejusmodi ludis. Cur non est nobilis disco, et jaculo trans finem expedito? Hoc est, cur palmam, et laudem inter aequales non refert, vibrando discum, et jaculum ultra terminum? *l*) Discus erat circulus quidam solidus e plumbo, aere, ferro; quem, ope lori circumvoluti, ad certum terminum vibrabant. *m*) Cur abditus domi sedet ut Achilles, qui sub, idest, paulo ante bellum Trojanum, quo Troja excisa est et extincta, delituit muliebri veste occultatus (nempe in aula Lycomedis Regis insulae Scyri) ne virilis vestis eum proderet, atque ita protraheretur ad bellum Trojanum, ubi cum Lyciis cohortibus dimi-

Filium dicunt Thetidis sub lacrymosa Troiae
Funera ; ne virilis
Cultus in caedem , et Lycias *n*) proriperet
catervas ?

ODE VIII. *Hyeme esse indulgendum genio.*

VIdes, ut alta stet *a*) nive candidum
Soracte *b*); nec iam sustineant onus *c*)
Silvae laborantes ; geluque
Flumina constiterint *d*) acuto ?
Dissolve *e*) frigus , ligna super foco
Large reponens , atque benignius *f*)
Deprome quadrimum *g*) Sabina *h*) ,
O Thaliarche *i*), merum diota *k*).
Permitte *l*) Divis cetera : qui simul *m*)

caret ; eum abdiderat Mater Thetis , maris Dea, cum in fatis esse cognovisset, periturum, si Trojam peteret, Ovid 13. Met. Detexit autem Achillem Ulysses in hunc modum; venit in aulam Lycomedis, habitum atque os mercatoris gerens ; et inter taenias , armillas , et alias id genus merces puellis idoneas , ensem , et arma miscuit , quae Achilles cum avide arripuisset, agnitus est. *n*) Lycia est regio Asiae minoris ; cujus populi opem tulere Trojanis contra Achillem, et Graecos. Lyciorum duces erant Sarpedon , et Glaucus, ab Homero celebrati.

a) Totum sit candidum multa nive , vel, totum sit opertum nive , et quasi rigescat. *b*) Mons est non procul Roma , cujus in spelunca diu latuisse dicitur S. Sylvester Pontifex Maximus , a quo Constantinus M. sacro fonte tinctus esse dicitur : unde nunc mons S. Sylvestri vocatur. *c*) Nivis, pruinae : ut arborum rami prae nive deprimantur , ac frangantur . *d*) Immota sint , gelu constricta non fluant. *e*) Mitiga frigus , quod quasi contractum , et constrictum est ; solve igne multo , et laxa ; calor laxat omnia ; frigus astringit. *f*) Largius , liberalius. Large apponi ligna jubet, largius vina ; facete pro suo more. *g*) Quatuor annos natum, a 4 annis conditum. *h*) Vasa fictilia maxime fiebant apud Sabinos in Italia. *i*) Quis iste Thaliarchus fuerit , et quare amicus Horatii , obscurum est. *k*) Vox Graeca est : significat vas duabus ansis , quasi duabus auribus , instructum. *l*) Relinque alia negotia Superum curae ; tu id unum cura, quomodo beatus , et hilaris vivas. *m*) Qui statim atque compressere , com-

Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes; nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quaerere; et
Quem sors *n*) dierum cumque dabit, lucro
Appone, nec dulces Camenas *o*)
Sperne puer, neque tu choreas:
Donec virenti *p*) canities abest
Morosa. Nunc et campus *q*), et areae *r*),
Lenesque sub noctem susurri *s*)
Composita *t*) repetantur *u*) hora.

ODE IX. *Laudes Mercurii.*

MErcuri *a*), facunde, nepos Atlantis,
Qui feros cultus *b*) hominum recentum
Voce *c*) formasti catus *d*), et decorae
More *e*) palaestrae *f*):
Te canam, magni Iovis, et Deorum
Nuntium, curvaeque *g*) lyrae parentem *h*);

posucre ventos antea decertantes inter se in mari turbido; alta quoque pax terras tenet, et silvarum arbores agitari desinunt: ita providentiam notat. *n*) Quicumque dies dabitur tibi a fortuna hunc numera in lucro, et ad summam aliorum vitae dierum appone, adde. *o*) Musae, et studia litterarum, poni possunt inter oblectationes honestae juventutis. *p*) Tibi adhuc juveni, et viridem aetatem agenti. *q*) Martius, vide Od. 7. *r*) Urbis plateae: aprica loca, et patentia. *s*) Intellige confabulationes vespertinas cum amicis. *t*) Praefinita, condicta, et constituta. *u*) Iterentur, frequententur.

a) Erat Mercurius filius Jovis, et Majae Atlantis filiae; eloquentiae, commercii, et furum praeses. *b*) Mores barbaros hominum recens natorum, in mundi primordiis. *c*) Eloquentiae arte, quae est ars vocis, et sermonis. *d*) Ingeniosus, vafer, cautus. *e*) Inducendo consuetudinem palaestrae, quae fingit corpora ad motus decoros, et habiles. Itaque animos eloquentia, corpora palaestra formasti. *f*) Est palaestra exercitatio quaelibet corporis, in cursu, luctatione, etc. vel locus cjusmodi exercitationi addictus. *g*) Quia lyram primo confecit Mercurius ex incurvo testudinis tergo, et testa.

Callidum *i)*, quidquid placuit, iocoso *k)*
Condere furto.
Te *l)*, boves *m)* olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.
Quin et Atridas *n)*, duce te *o)*, superbos,
Ilio *p)* dives *q)* Priamus relicto,
Thessalosque *r)* ignes, et iniqua *s)* Troiae
Castra fefellit *t)*.
Tu pias *u)* laetis animas reponis
Sedibus; virgaque *x)* levem *y)* coerces *z)*

h) Auctorem, inventorem. *i)* Graeca locutio: qui callidus es ad abscondendum quidquid libuit furari per jocum. *k)* Non quia indiges rebus quas furaris; sed quia sic ingenium et calliditatem ostendis. *l)* Apollo, cum olim te puerum asperioribus verbis terrere conaretur, minitans aliquid mali, nisi sibi redderes vaccas quas ipsi furto abdideras, non potui risum continere, cum se quoque vidit exutum sagittis, et pharetra sua, quam ipsi clam surripueras. *m)* Apollo iratum Jovem fugiens in terras venit, ubi cum premeretur inopia, coactus est boves Admeti Regis Thessaliae mercede pascere. *n)* Menelaum, et Agamemnonem, Atrei filios, qui, si vidissent Priamum subeuntem Graecorum castra, gravius aliquid in eum forte statuissent. *o)* Priamus, ut Hectoris filii sui, ab Achille caesi, corpus pretio redimeret, duce Mercurio. qui eum obscura nebula sepsit, profectus est in Graecorum castra, et per medias excubias ad Achillis tentorium penetrans, eum precibus inflexit, eodemque duce quo venerat, Trojam incolumis se recepit. Vid. Homerum lib. Iliad. ultimo. *p)* Troja. *q)* Currum auro, et muneribus onustum agens. *r)* Graecorum excubitores. Solent vigiles ubi excubant, ignem excitare. Est Thessalia regio Graeciae. *s)* Inimica. *t)* Latuit; a nemine visus, detectusque penetravit. Graeco more, *fallere* sumitur pro, *ignorari*. *u)* Animas piorum corpore solutas, morte obita. *x)* Caduceo; est bacillus quidam, medius inter duos angues hinc inde implexos, et sibi obversos r insigne est pacis. Ajunt Mercurium, cum iter faceret, incidisse in duos angues inter se pugnantes humi; eum virgam, quam gestabat manu, mediam inter illos posuisse; statimque serpentes a pugna destitisse. Haec origo Caducaei: nisi malis ad veram Moysis virgam illam portentorum artificem referre: constat enim Ethnicos multa e sacris libris

Aurea turbam, Superis *aa*) Deorum
Gratus, et imis.

ODE X. *Leuconoen, curiosam mulierem, admonet, ut, omissa inani futurorum cura, praesentibus bonis fruatur.*

TU ne quaesieris *a*), scire nefas *b*), quem mihi, quem tibi
Finem *c*) Di dederint, Leuconoe; nec Babylonios *d*)
Tentaris numeros. Ut melius *e*), quidquid erit, pati!
Seu plures hiemes *f*), seu tribuit Iupiter ultimam,
Quae nunc *g*) oppositis debilitat pumicibus mare

imitando duxisse. *y*) Animas corporis mole exutas. *z*) Cogis, et compellis in eundem quasi gregem; ut oves pastor pedo congregat. *aa*) Superis, ut Jovi etc. imis, ut Plutoni, etc.

a) Cave ne curiose inquiras. *b*) Nefas est scire, sciri nequit. *c*) Vitae metam. *d*) Noli adhibere numeros et calculos, quibus utuntur Babylonii mathematici, ad astrorum cursus metiendos, et suas divinationes peragendas. Chaldaei, seu Babylonii, erant astrologiae peritissimi, et divinandi scientiam profitebantur. Porro scientia illa divinandi maxime continetur numeris, sive computationibus, quibus astrorum cursus, et motus numeratur, etc. *e*) Ut melius patiaris quidquid eveniet. Graeca est locutio: particula enim non una ex iis, quae significant *ut*, apud Graecos jungitur cum infinitivo. Quidam sic explicant eas voces; ut melius pati, id est quandoquidem est melius, et consultius pati quidquid erit, id est, ferre animo aequo quidquid eveniat. *f*) Plures annos ad vivendum dederit. De hieme porro tunc saeviente pluribus disserit Horatius, quod, cum esset forte asperior, ab ea sibi Leuconoe magis timeret, quae vivendi desiderio tenebatur, et astrologos de suae vitae diuturnitate consuluerat. *g*) Per pumices intellige scopulos marinis fluctibus exesos, instar pumicis, et excavatos. Sententia est: quae hiems frangit fluctus maris Tyrrheni, qui alliduntur, et concidunt ad oppositos scopulos. Porro Italia porrigitur intra duo maria, Tyrrhenum, et Adriaticum, Tyrrhenum

Tyrrhenum; sapias *h)*, vina liques *i*), et spatio *k*) brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur *l*), fugerit invida
Aetas ; carpe *m*) diem, quam minimum credula postero.

ODE XI. *Priscos Heroas, maxime Romanos, laudat, quibus Caesarem Augustum anteponit.*

QUem virum *a*), aut heroa, lyra, vel acri *b)*
Tibia sumis celebrare, Clio ?
Quem Deum ? Cuius recinit *c*) iocosa *d*)
Nomen imago ,
Aut in umbrosis Heliconis *e)* oris,
Aut super Pindo, gelidove in Haemo ?

est illud , quod Galliam et Hispaniam respicit: vocatur etiam mare inferum : Adriaticus vero sinus illi oppositus, mare superum. *h)* Sapienter utere praesenti hora. *i)* Percoles: Percolare vina, est ea per colum, hoc est, sacculum, seu tenue linum transmittere, ut quidquid est crassius secernatur : ita fiebant vina leniora , et delicatiora. *k*) Cogitatione tam brevis spatii ad vivendum nobis concessi, amputa spem longioris vitae , et felicitatis : vel , in tam brevi spatio vitae, noli sperare diuturnam esse posse voluptatum usuram ; cum vita brevis adeo sit. *l*) Dum haec tecum loquor ; dum haec ad te scribo , aetas et tempus invidens nostrae felicitati jam effugerit ; vitae pars aliqua transiit , mors propior est facta. *m*) Hoc die , ejusque voluptatibus , nulla interposita mora , fruere ; parum fidens diei crastinae, quae incerta. Metaphora ducitur a floribus , aut fructibus , qui non omnes simul , sed paulatim singuli leguntur.

a) Ordo est : o Clio , quem virum, quem heroa, quem Deum tibi celebrandum sumis lyra , vel tibia, etc. Clio est una e Musis. *b)* Cujus sonus est acutior. *c)* Canendo iterat . *d)* Echo, quae imago quaedam vocis est, eam reddens, et emissam repraesentans , quasi ludendo et garriendo cum eo qui loquitur. *e)* Helicon est mons Boeotiae in Graecia, Musis sacer : ut Pindus, et Haemus, ille in Thessalia, hic in Thracia.

Unde vocalem *f*) temere insecutae
Orphea silvae,
Arte materna *g*) rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos
Blandum *h*) et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius? Dicam solitis parentem *i*)
Laudibus, qui res hominum ac Deorum,
Qui mare, ac terras, variisque mundum
Temperat *k*) horis *l*),
Unde *m*) nil maius generatur ipso,
Nec viget *n*) quidquam simile, aut secundum *o*):
Proximos illi tamen occupavit *p*)
Pallas honores.
Proeliis *q*) audax neque te silebo,
Liber; et saevis inimica virgo *r*)

f) Quo ex Haemo voce suavissima canentem Orpheum silvae certatim, et ordine nullo sunt secutae. *Orphea* porro est accusativus Graecus tertiae contractorum. *g*) Musica. Erat filius Calliopes unius e Musis, quae canendi peritissima. *h*) Graecum idioma; id est, potentem ducere blanda voce, e canorae citharae nervis quercus auritas, hoc est sentientes vocis suavitatem, quasi si fuissent auribus praeditae. *i*) Jovem, qui Deorum hominumque pater vocabatur: quem initio suorum carminum solebant poetae laudare, et invocare: vel, *solitis*, id est, notis et pervagatis. *k*) Moderatur. *l*) Horae saepe significant quatuor anni tempestates: unde Homerus appellat horam veris, pro vere etc. Possunt etiam hic intelligi horae diurnae, et nocturnae, quae quasi mundum dividunt ac temperant. *m*) Ex quo Jove, nullus ipsius liberorum est patri aequalis. Vel, *unde*, id est, quare, itaque, hoc sensu: quia rerum est summus opifex, et moderator, ideo nihil est ipsi simile aut par. *n*) Existit, vivit. *o*) Prope par. *p*) Etsi omnia infinito prope intervallo distent a Jove, tamen post illum proxime, et maxime laudatur Pallas. Legunt aliqui, *occupabit*, id est, in hac ode mea, obtinebit locum a Jove proximum, et honorem; post Jovem prima laudabitur. *q*) Ordo est: nec vero te silebo, o Liber, id est, Bacche, qui es in proeliis audax. Bacchus Liber appellatur, quia vinum libertatem magnam affert dicendi quidlibet, ac faciendi. Celebratur apud poetas Bacchi contra Gigantes pugnantis audacia, et fortitudo. *r*) Diana, quae venatione ferarum dele

Belluis ; nec te, metuende certa *s*),
    Phoebe sagitta.
Dicam et Alciden *t*), puerosque Ledae *u*) ;
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem : quorum *x*) simul *y*) alba *z*) nautis
    Stella refulget,
Defluit *a*) saxis agitatus humor ;
Concidunt venti, fugiuntque nubes ;
Et minax *b*), Dî sic voluere, ponto
    Unda recumbit.
Romulum post hos prius, an quietum
Pompilî *c*) regnum memorem ; an superbos
Tarquinî *d*) fasces *e*), dubito, an Catonis *f*)
    Nobile letum.

ctatur. *s*) Quae semper scopum ferit. *t*) Herculem: sic appellatur a voce Graeca, quae robur significat ; vel ab Alcaeo ejus avo. *u*) Castorem, et Pollucem, Ledae Tyndari uxoris filios ; ita tamen ut Castor patrem Tyndarum; Pollux Jovem haberet. Hic, nempe Castor, nobilis fuit superare, id est, celebris fuit quia superabat omnes equestri et curuli certamine ; ille vero, nempe ejus frater Pollux, cestu et pugnis ; crudos enim pugnos ad luctam adhibebant Graeci pugiles. *x*) Castor, et Pollux inter astra relati a Jove fuerunt, et nunc *Gemini* dicuntur ab Astrologis, estque illud signum e duodecim Zodiaci signis tertium. Nautis favere, et praeesse mari putabantur, adeoque apparere sub figura stellarum duarum, seu potius erraticorum ignium, qui e marinis vaporibus concreti, apparent aliquando navigantibus, et serenitatem portendere creduntur. *y*) Simul atque. *z*) Serenitatis index: prospera et felix.

a) Aqua, vi tempestatis agitata, et scopulis injecta, ex illis defluit. *b*) Intumescens, ac tempestatem, naufragiumque veluti minitans unda residet, sternitur, ac in mare recidit. *c*) Numa Pompilius Rex secundus Romanorum fuit, pacis et religionis amans. *d*) Duo fuerunt Tarquinii, Reges Romani, alter Priscus, sive senior dictus ; alter superbus, et Regum Rom. ultimus, homo nequam, et crudelis, quem proinde Horatius hic laudatum nolit. De Prisco igitur sermo est, qui cum Reges Etruscorum vicisset; ab iis sumpsit regiae dignitatis insignia, trabeam, fasces, et Romanis Regibus utenda dedit. Superbos vocat fasces, quia regiae potentiae, ac majestatis insignia sunt. *e*) Sunt collecti in fasciculum bacilli,

Regulum g), et Scauros h), animaeque magnae
Prodigum Paullum, i), superante Poeno k)
Gratus l) insigni referam Camena
Fabriciumque m).
Hunc n), et intonsis o) Curium p) capillis
Utilem bello tulit q), et Camillum r)
Saeva s) paupertas, et avitus t) apto u)
Cum Lare x) fundus y).
Crescit, occulto velut arbor aevo z),
Fama Marcelli a): micat inter omnes

in quibus mediis extat securis. Romanis Regibus, ac postea Cousulibus Praetoribusque praeferebantur a lictore: significabant potestatem animadvertendi in reos, vel poena leviori, quam notabant virgae, seu bacilli teretes, et minuti: vel graviori, quam securis indicabat. f) Catonem Uticensem intelligit, M. Porcii Catonis nepotem, ita dictum ab Utica, urbe Africae, ubi manus ipse sibi violentas attulit, ne veniret in manus Caesari, postquam audivit Pompejanos ab eo profligates. g) Dux fuit Romanorum, qui captus ab Carthaginensibus, et Romam de captivis permutandis missus, suasit ne id fieret, ipseque, ut promiserat, rediit ad Poenos, qui eum resectis palpebris, diuturna vigilia necaverunt. h) Illustres illi fuerunt ob magna in Rempublicam merita. i) Aemilius Paulus, Consul Romanus, ad Cannas cum Hannibale pugnavit: caeso collega suo Varrone, et Romanorum millibus fere 50, ipse fortiter perire cum illis maluit, quam fuga vitam servare. k) Hannibale victore. l) Memor illorum virtutis; aut etiam Romanis non injucundus, qui me libenter audient de illis heroibus dicentem. m) Ille ter Consul fuit; insigni frugalitate, et abstinentia, bella gravia cum Pyrrho gessit. n) Fabricium. o) Alii legunt *incomptis*, ut viros militares decet. p) Unus e priscis Romanis fuit, insigni abstinentia, et frugalitate; aurum a Samnitibus oblatum repudiavit, cum diceret malle se divitibus imperare, quam divitem esse. q) Protulit, eduxit ad Reip. gloriam, educavit. r) Is Gallos, incensa Roma Capitolium obsidentes, fugavit; eosdem Romam redeuntes magna strage ad fluvium Anienem cecidit; quintus Dictator fuit. s) Aspera, fortis, et laboriosa. t) Ab avis et majoribus relictus. u) Qui conveniret exiguo fundo, avis frugalibus et parcis, minime sumptuosa domo. x) Domo: Lar proprie est Deus domesticus, custos domus. y) Praedium, Villa. z) Temporis progressu: nemine sentiente crescit arbor.

a) Non videtur Horatius Marcellum hunc laudare, qui cum

Iulium sidus *b*), velut inter ignes *c*)
Luna minores.
Gentis humanae Pater *d*), atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data *e*): tu secundo *f*)
Caesare regnes.
Ille seu Parthos Latio *g*) imminentes,
Egerit *h*) iusto domitos triumpho,
Sive subiectos Orientis orae,
Seras *i*) et Indos;
Te minor laetum regat aequus Orbem:
Tu gravi curru quaties *k*) Olympum;
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis *l*).

Hannibale pugnavit, Syracusas cepit, etc. ejus enim fama non crescebat sensim instar arboris, creverat sane, et corroborata erat vetustate: neque dici potest crevisse in ejus posteris, qui profecto illius Marcelli, quinquies Consulis, totque rebus praeclare contra Carthaginenses gestis inclyti, laudes non aequaverant. Celebrat igitur hoc in loco Marcellum, Octaviae filium, nepotem et generum Augusti; qui cum esset admodum adolescens, et omni dote ornatissimus, sensim, ut arbor, ad veterum Marcellorum gloriam et famam surgebat. Obiit ille paucis post Actiacam pugnam annis, vix annum vigesimum ingressus, ann. ab U. C. 731. Augusti, et Romae luctu incredibili. *b*) Julium Caesarem significat, sub cujus mortem apparuit in Caelo stella crinita per dies septem, et anima ejus esse credita est, quae Caelo recepta foret Nota gradationem. Incipit laudare Augusti familiam a Marcello, egregiae spei Principe, pergit ad Julium Caesarem, quem Marcello, ut par est, imo ceteris heroibus superioribus anteponit: demum in Augusto ipso desinit, quem a Jove secundum dicit. Non poterat Augustus laudari splendidius, quod unum hac in Ode videtur spectavisse. *c*) Stellas. *d*) Jovem intelligit, Saturni filium, etc. *e*) A fatis commissa. Fato enim subesse Jovem credebant. *f*) Secundum a te locum obtinente; ita ut tu primus orbis moderator sis, ille sit subjectus uni tibi, et secundus, te solo minor, major ceteris Regibus, etc. *g*) Romano Imperio, cujus prima sedes Roma, in Latio. Parthi autem diuturna cum Romanis bella gessere. Vide indicem Odarum Chronologicum. *h*) Repulerit; vel, in triumpho duxerit. *i*) Seres populi erant ubi nunc fere Sina ponitur: apud eos bombyces multi; hinc telae sericae. *k*) Fulminabis, et tonabis. *l*) Silvis sacris, quae impii profanas fecerint.

ODE XII. *Sub allegoria navis, Remp. alloquitur eamque a bello civili renovando deterret.*

O Navis *a*) ! Referent in mare te novi *b*)
Fluctus ? O quid agis ? Fortiter occupa
Portum *c*). Nonne vides, ut
Nudum *d*) remigio latus ,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennaeque gemunt *e*) ? Iam sine funibus
Vix durare *f*) carinae *g*)
Possunt imperiosius *h*)
Aequor: non tibi sunt integra lintea ;
Non Dî, quos *i*) iterum pressa voces malo :
Quamvis pontica *k*) pinus ,
Silvae filia nobilis,

a) Quidam recentiores interpretes existimant Horatium alloqui navim eam, qua rediens e Macedonia naufragium fecerat ad Palinurum, Italiae promontorium , et in qua nonnulli e suis amicis redituri erant in Graeciam ad reliquias pugnae Philippensis colligendas , et civile bellum instaurandum: sed nihil afferunt , quare videatur discedendum a Quintiliani, et veterum pene omnium sententia , qui censent navim hanc mere allegoricam esse. Ac sane si ageretur de vera navi , quis vector eam malo , remis , etc. destitutam voluisset conscendere? Nonne merito nugari Horatius censeretur qui tanto verborum apparatu persuadere illi .conaretur , ut saucia , et lacera in portu se contineret ? Eam ab antiquitate, et nobilitate laudaret, etc. quae si allegorice accipiantur , nempe pro Roma , et republica , plena sunt dignitatis , et elegantiae. *b*) Nova bella civilia . Ergone, o Romani, de istaurando bello cogitatis ? Caesis Bruto, et Cassio in Macedonia, nondum penitus extinctum fuit civile bellum : vide 2. Odarum Indicem chronologicum. *c*) Pacem , concordiam ; Augusti clementiam. *d*) Destituti estis militibus , ut navis remigibus. *e*) Laborant ac fatiscunt , venti vim non ferentes. *f*) Perferre diutius . *g*) Trabes , e quibus ima pars navis conficitur , pro ipsis navibus sumuntur, *h*) Impotentius , gravius agitatum , et navim pro arbitrio huc illuc trahens jactansque. *i*) Quos Deos oppressa malis invocare possit : duces exercitum , et Reip. Principes innuit ; qui omnes ferme caesi. *k*) Pontus est Regio Asiae minoris, in qua optimae arbores ad naves construendas nascebantur. Sensus est quamvis sis navis optima, et fi-

Iactes et genus, et nomen inutile;
Nil pictis *l*) timidus navita puppibus
Fidit, Tu, nisi ventis
Debes ludibrium *m*), cave.
Nuper *n*) sollicitum quae mihi taedium *o*)
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa *p*) nitentes
Vites aequora Cycladas.

ODE XIII. *Nerei vaticinium de Troiae excidio.*

Pastor *a*) cum traheret *b*) per freta navibus

cta ex arboribus silvae celeberrimae, tamen contra tempestatis vim mihi ista nobilitas valet. *l*) Nihil pictae Deorum statuae, nihil sculptae, et caelatae rerum aliarum imagines, quibus tua puppis ornatur, nihil, inquam, securitatis haec inania ornamenta afferunt timidis nautis: hoc est; Romanos antiquitas, et nobilitas sua non potest jam a servitute, et Augusti dominatu vindicare. Solebant in puppibus imagines Deorum pingi, quorum in tutela navis foret; nec non aliae res quaedam, ut Tritones, Syrenes, etc. *m*) Locutio est Graeca: nisi velis esse ventis ludibrio. Illi debere risum, et ludibrium a Graecis dicuntur, qui ridendi, et illudendi sint. *n*) O Roma, o Resp. quae mihi tantum dolorem nuper attulisti, cum ego pro tua libertate pugnarem (contra Octavium enim steterat Horatius, et Pompejanas partes amplexus fuerat) at nunc esse quietam velim, et sub Augusto pacatam desiderio, curoque non leviter; ergo fuge, quaeso, arma et civiles motus, ut scopulos maris, et Cycladas nautae fugiunt. *o*) Quasi ipsum taeduisset, ac porro nunc poeniteret arma tulisse contra Augustum. *p*) Aequora fusa, et currentia inter nitentes Cycladas. Cyclades insulae sunt Maris Aegaei, sic dictae, quia in orbem, et circulum videntur esse dispositae: sunt autem scopulis plenae, ad quos allisi fluctus edunt spumam albicantem, hinc nitentes dicuntur. Recte autem de Cycladibus, et Aegeo meminit; non solum quia pars ista maris est admodum periculosa, propter scopulos, et frequentes insulas; verum etiam quia Graeciae adjacet, ubi prima belli civilis alea quasi jacta fuerat.

a) Paris; ita vocatur hic ab Horatio, quia Priamus eum in silvis exponi jusserat, cum admonitus fuisset ipsum aliquando patriae exitialem fore: tamen Hecuba ejus mater illum

Idaeis c) Helenen d) perfidus e) hospitam
Ingrato f) celeres obruit otio g)
Ventos, ut caneret fera h)
Nereus i) fata. Mala k) ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,
Coniurata l) tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Heu, heu! Quantus equis, quantus adest m) viris
Sudor! Quanta moves n) funera Dardanae o)
Genti! Jam galeam Pallas p) et aegida q)
Currusque, et rabiem parat r).
Nequidquam, Veneris praesidio s) ferox t),
Pectes caesariem; grataque feminis

clam inter pastores educari et servari jussit; jam grandior a patre agnitus, et acceptus. In Graeciam missus est, ut Hesionen, sororem suam, a Menelao repeteret. b) Trojam abduceret. c) Fabricatis in Ida, monte prope Trojam. d) Jovis, seu Tyndari, et Ledae filia fuit, Menelai Graecorum Regis uxor, a Paride rapta, et Trojam abducta. e) Quia cum fuisset Paris exceptus amice a Menelao, uxorem illi suam blanditiis deceptam abstulit. f) Id est, otio molesto, vel Paridi festinanti, vel ipsis ventis, qui gaudent perpetuo motu. g) Silere invitos jussit, et quiescere. h) Luctuosa, feralia. i) Deus maris praeses, Oceani, et Tethios filius, Doridis maritus, pater Nympharum maris, quae ab eo Nereides vocantur. k) O Pari, ducis tuam domum Helenam malis avibus; id est, infaustis auspiciis: sumebantur enim auspicia ex avium cantu, volatu, etc. vide Oden 6. l) Solemni sacramento se obligatura ad Helenam a se divellendam, et evertendam Trojam (ubi Priamus jamdiu regnat) nisi eam reddas. m) Instat, imminet; id est, quantum laboris subeundum brevi erit! n) Praeparans, machinaris. o) Trojanae. Dardanus, Jovis et Electrae filius ab Italia ubi fratrem interfecerat, in Prhygiam veniens, Trojam coepit condere. p) Minerva eadem et scientiarum, et belli praeses. Graecis praecipue favebat, ut Venus Trojanis. q) Aegis erat scutum, caprinis pellibus tectum, cujus in medio visebatur Medusae caput, horridum anguibus, Diis vulgo tribuitur, maxime Jovi, et Palladi. r) Concipit bellicum furorem. s) Orta inter Deas Junonem, Palladem, et Venerem controversia de praestantia formae, Paris adhuc inter pastores degens, judex adhibitus, causam Veneri adjudicavit. Hinc odium Junonis et Palladis in Trojam, et Veneris favor erga eosdem. t) Au-

Imbelli cithara carmina divides *u*):
    Nequidquam thalamo *x*) graves
Hastas et calami *y*) spicula Gnossii *z*)
Vitabis, strepitumque *a*), et celerem sequi *b*)
Aiacem *c*): tamen, heu! Serus adulteros
    Crines pulvere collines *d*).
Non Laertiaden *e*) exitium tuae
Gentis; non Pylium *f*) Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius *g*)
    Teucer, te Sthenelus *h*) sciens *i*)
Pugnae: sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen *k*) quoque
Nosces. Ecce furit *l*) te reperire atrox
    Tydides *m*), melior patre:
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor *n*),

dax, fidens. *u*) Aliud carmen uni feminae, aliud canes alteri; vel carmina, percussis aliis atque aliis citharae nervis, modulaberis; vel, nunc voce, nunc lyra canes. *x*) Frustra continebis te in cubiculo tuo, et thalamo, ut fugias, et vites hastas hostium, et jacula. *y*) Arundinis, sagittae. *z*) Cretensis. Gnossus est urbs in Creta insula; erant autem Cretenses periti jaculandi.

a) Belli tumultum. *b*) In te persequendo, *c*) Duplex Ajax fuit, alter a Patre Telamone, dictus Telamonius, qui cum Achillis a Paride caesi arma peteret, victus est Ulyssis eloquentia, et in furorem actus, gladio se confodit. Lege Ov. 13. Metam. Alter Ajax, ab Oileo Patre, Oileus cognominatus est. Ejus crimina, et necem vide in Odis. *d*) Foedabis; interemptus serius quam deceret ad Trojae utilitatem, in terra volutaberis. Adulteros crines vocat, nempe comptos cultosque studiosius ut parum casti solent. Paris a Pyrrho Achillis filio interfectus est. *e*) Ulyssem, Laertae filium, qui ad expugnandam Trojam momenti plurimum attulit suis consiliis, et dolis; ut Nestor, sapientia. *f*) Oriundum ex Pylo urbe Peloponnesi. *g*) Oriundus e Salamine, insula, et urbe prope Athenas, de qua plura vide Od. 6, *h*) Dux unus Graecorum, Diomedis socius, vir fortissimus. *i*) Pugnabant Graeci vulgo e curribus, alter in curru stans, alter equos flectens ac regens, utrumque a Stheneo egregie fieri Nereus dicit, sive pugnandum e curru sit, sive equis imperitandum. *k*) Vide Oden 5. *l*) Ardet, vehementer cupit te reperire, ac tecum pugnare, *m*) Diomedes, Tydeo patre fortior. Supra Od. 5. *n*) Omittens

Sublimi *o*) fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae *p*).
Iracunda *q*) diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum, classis Achillei.
Post certas *r*) hiemes uret Achaicus *s*)
Ignis Pergameas domos.

ODE XIV. *Tyndaridem, quam satyricis quibusdam versibus offenderat, placare conatur: causam irae, qua fuerat abreptus, tribuens.*

O Matre pulcra filia pulcrior,
Quem *a*) criminosis *b*) cumque voles modum
Pones *c*) iambis, sive flamma,
Sive mari libet *d*) Adriano.
Non *e*) Dindymene *f*), non adytis *g*) quatit *h*)

gramen, lupum fugit. *o*) Anhelitum ex alto pectore vix trahens, prae metu, et identidem caput, ut fit, attollens. *p*) Helenae, cui te fortem, et impavidum jactaveras. *q*) Achillis classis, quae ob iram sui ducis ab Agamemnone dissidentis recusabit pugnare contra Trojanos, in causa erit cui in plures annos, Ilii ruina, et Iliadum differatur. Achillei autem est genitivus, ab Achilleus, Achillei: hic trium syllabarum; alias duarum est. Achilli Briseidem eripuerat Agamemnon: hinc Achillis ira, et otium a bello. Cum tamen amicum suum Patroclum ab Hectore interemptum vidisset, ad bellum se retulit, Hectorem occidit, quo caeso capta et incensa fuit Troja. Ipse quomodo perierit, leges in Ode 5. lib. 4. *r*) Post certum annorum numerum. *s*) Graecus, a Graecis immissus. Achaia pars est Graeciae.

a) Abolebis, quacumque voles poena, scriptos in te jambos; eos tolles e medio quocumque modo libuerit: statues de illis ut libebit. Quem criminosis cumque, pro, quemcumque criminosis, etc. *b*) Maledicis. *c*) Finem, exitum. *d*) Subaudi, eos punire, et mulctare: seu in ignem, seu in aquam libet conjicere. De Adriano mari, vide Oden 3. *e*) Excusat se, quia elatus iracundia scripsit istos versus: offensus forte ab ipsa Tyndaride. Sententia est; non ita suos sacerdotes Cybele, Apollo, Bacchus agitant, ut iracundia homines quatit. *f*) Cybele, sic dicta a Dindymo, Phrigiae monte, ubi colebatur a Coryban-

Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber *i*) aeque *k*), non acuta
Si geminant *l*) Corybantes aera,
Tristes ut irae : quas neque Noricus *m*)
Deterret *n*) ensis, nec mare naufragum,
Nec saevus ignis, nec tremendo
Iupiter ipse ruens tumultu *o*).
Fertur *p*) Prometheus addere principi *q*)
Limo coactus *r*) particulam undique
Desectam, et insani *s*) leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.
Irae Thyesten *t*) exitio gravi
Stravere ; et altis *u*) urbibus ultimae

tibus, qui aera, sive aereas pelves, ac lebetes, aenea tympana, pulsabant, rotabantque corpus furentium instar. *g*) In adytis ; adyta sunt templi penetralia, quo profanis hominibus adire non licet. Intelligitur templum Delphicum, quod incolebat, et ubi reddebat oracula Apollo, Pythius dictus, a serpente Pythone quem interemerat : hinc Apollo dicitur hic *Incola Pythius*. *h*) In furorem agit. *i*) Bacchus. *k*) Similiter, tanto furore. *l*) Ictu repetito quatiunt. Corybantes porro erant Sacerdotes Cybeles, quae Jovem recens natum, ut Saturno filios devoranti subduceret, alendum iis in Creta insula tradidit. Ne vero Saturnus vagientem audire Jovem posset, pulsabant aera, etc. *m*) Noricum regio est Germaniae, ubi nunc fere Bavaria ; in ea regione procudebantur enses optimi, ob praestantis ferri venas uberes. *n*) Exterret; sistit ac retinet, Iratum hominem non retardat metus periculi, et mortis. *o*) Quem tonitru excitat. *p*) Dicitur Prometheus, cum homines e limo fingeret, coactus fuisse addere ad lutum illud princeps, sive primigenium, unde illorum corpora compegerat, particulam ab omnibus animalibus desectam et decisam; et a leone sumpsisse vim, hoc est, iracundiam, et rabiem, eamque in hominis stomacho posuisse. *q*) Vel nobiliori, vel meliori et exquisitiori. *r*) Quia dotes omnes naturae in fingendis animalibus consumpserat: itaque coactus est ab iisdem animalibus aliquid veluti resecare, quod homini tribueret. *s*) Furiosi, praeter modum iracundi. *t*) Gravi exitio perculit Thyesten ira fratris ipsius Atrei: dolens enim Atreus a Thyeste oblatum uxori suae stuprum, ipsius filius coctum patri epulandum apposuit, etc. *u*) Eadem iracundia fuit causa postrema, et gravissima, cur celeberrimae urbes penitus everterentur, et victor

Stetere caussae, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce *x*) mentem. Me quoque *y*) pectoris
Tentavit in dulci iuventa
Fervor, et in celeres iambos
Misit *z*) furentem: nunc ego mitibus
Mutare *aa*) quaero tristia; dum mihi
Fias recantatis *bb*) amica *cc*)
Opprobriis, animumque reddas *dd*).

ODE XV. *Tyndaridem invitat in suam villam, in Lucretili monte sitam.*

VElox *a*) amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus *b*), et igneam
Defendit *c*) aestatem capellis
Usque *d*) meis, pluviosque ventos.
Impune *e*) tutum per nemus arbutos *f*)

miles, ac insolens, aratrum duci, et solcos imprimi juberet, in eo loco ubi moenia illarum steterant. Ita eversae sunt Troja, Numantia, Carthago, etc. Idcirco autem urbis eversae solum jubebant arari, ut intelligeretur ibi non amplius fore urbem, sed agrum; ut spes omnis restituendae urbis tolleretur. *x*) Iram mitiga. *y*) Aestus iracundiae, me, utpote juvenem, impulit, etc. *z*) Suasit mihi ut jambos scriberem. Celeres vocat, quia jambus ex brevi et longa constat, atque adeo celeriter pronunciatur, *aa*) Loco tristium versuum, et maledicorum, placidos, et mites cupio scribere, et retractare probra quae in te dixi. *bb*) Retractatis, revocatis. Recantare interdum est eadem canere iterum; interdum, ut hoc in loco, contraria cantare, et prius dicta condemnare. *cc*) Benevola, placata. *dd*) Bono me animo esse jubeas; moerorem meum detergas.

a) Faunus saepe, relicto monte Arcadiae Lycaeo venit in Lucretilem, Sabinorum in Italia montem. *b*) Idem, ac Pan, Satyrorum, ac Deorum rusticorum princeps: velox dicitur, quia caprinos habebat pedes: cursuque, ac saltu delectari ferebantur Fauni, ac Satyri. *c*) Arcet, prohibet ne aestas immodico aestu meas capellas vexet. *d*) Semper, *e*) Sine luporum, aut rei alterius noxiae metu. *f*) Est arbutus, quaedam arbor

Quaerunt latentes, et thyma deviae *g*)
  Olentis *h*) uxores *i*) mariti ;
    Nec virides metuunt colubras,
Nec Martiales *k*) Haeduleae *l*) lupos ;
Utcumque *m*) dulci, Tyndari, fistula *n*)
  Valles, et Usticae *o*) cubantis
    Levia *p*) personuere saxa.
Dî me tuentur *q*) ; Dîs pietas mea,
Et Musa cordi est. Hic *r*) tibi copia
  Manabit ab plenum benigno
    Ruris honorum opulenta cornu *s*).
Hic in reducta *t*) valle Caniculae *u*)
Vitabis aestus, et fide *x*) Teia

humilior. *g*) Huc illuc temere vagantes. *h*) Capri, qui vir gregis a Virgilio vocatur, estque olidum animal, et foetens. *i*) Capellae. *k*) Audaces, crudeles, ideoque in Martis fide ac tutela. *l*) Haeduleae, hoc est parvi haedi, teneri ac recentes: sic *hinnuleus*, ab Horatio dicitur alibi, pro *hinnulus*. Mendose legitur in quibusdam, *haedilia*, haedorum ovilia: secunda quippe syllaba producitur, quam hic ratio carminis brevem esse jubet: licet hanc lectionem aliquo modo defendat Lambinus, *m*) Quotiescumque, ubicumque. *n*) Fauni. *o*) Mons, seu collis fuit, Lucretili vicinus: cubans dicitur, hoc est, leniter declivis, et fere jacens. Altissimi enim montes videntur stare: humiles, et dimissi jacere. *p*) Polita, atque adeo ad vocem fistulae geminandam idonea. *q*) Atque adeo nihil timebis domi meae. *r*) Ex hac mea villa fluet tibi ad plenum, id est, ad satietatem, copia et abundantia omnium frugum et fructuum (qui sunt honores opulenti ruris et ornamenta velut) ex uberrimo Amaltheae cornu. *s*) Fabulis proditum est Jovem a Nymphis nutritum esse lacte cujusdam caprae, Amaltheae nuncupatae. Eas ut remuneraretur Jupiter, edixit ut ex illius caprae cornu resecto, omnes fruges et fructus in perpetuum manarent. Hinc cornu copiae vocatum est. *t*) Separata tantisper a reliqua villa, secretiori, et solitaria. *u*) Canicula, seu canis minor, est sidus, quo oriente graviores aestus saeviunt: appellatur etiam Sirius. *x*) Fides aliquando significat citharae chordam et nervum; estque tunc declinationis tertiae. *Teia*, idest Anacreontica; compones versus, quales scripsit Anacreon Poeta Graecus venustissimus, oriundus Teo urbe Joniae.

Dices laborantes in uno *y*)
Penelopen, vitreamque *z*) Circen *aa*)
Hic innocentis *bb*) pocula Lesbii
Duces *cc*) sub umbra : nec Semeleius *dd*)
Cum Matre confundet Thyoneus
Proelia ; nec metues protervos *ee*).

ODE XVI. *Vino utilius nihil: moderate tamen eo utendum.*

NUllam, Vare *a*), sacra *b*) vite prius severis *c*) arborem,
Circa mite solum Tiburis, et moenia Catili *d*):
Siccis *e*) omnia nam dura Deus proposuit; neque
Mordaces aliter *f*) diffugiunt sollicitudines.

y) Viri unius, nempe Ulyssis, amore implicatas, Circen, quae illum retinere frustra conata est, ac Penelopen ejusdem uxorem, castitatis fama notam. *z*) Dolosam et instar vitri fragilem : virum enim veneno peremerat. *aa*) Veneficam famosam, quae Ulyssem tempestate jactatum excepit in Italia, ejusque socios in porcos transformavit; Virgil. l. 7. Homer. l. 10. Odys. *bb*) Vini e Lesbo, insula Aegaei maris, advecti, quod sine periculo ebrietatis largius potatur. *cc*) Hauries, ex amphora educes, *dd*) Bacchus vocatur Semelejus quia ejus mater fuit Semele ; Thyoneus, quia ipse furorem ebrietate provocat, Graeca enim ea vox est Θυωνευς, et significat furentem ac praecipitem. Sententia est : non Mars cum Baccho proelia committet : non venietur a poculis et ebrietate ad arma, et vulnera. *ee*) Viros parum modestos, et continentes.

a) Quintilius Varus Horatii amicus fuit : is forte, qui cum suis legionibus in Germania caesus est, aut aliquis Poeta, ejusdem nominis. *b*) Baccho consecrata : vel sacram vitem vocat ; idest, egregiam, divinam. *c*) Potius plantaveris: noli arborem aliam potius plantare, et serere, quam vitem. *d*) Hoc est circa Tibur. Catilus enim, Amphiarai Thebani filius, hanc Italiae urbem fundavit, cum fratribus Tiburno, vel Tibure, et Corace: Tiburnus natu maximus nomen urbi dedit: in ea Varus habitabat, aut villam habebat non procul. *e*) Quam vino non utuntur, abstemiis. Sententia est. Superi voluerunt ut omnia succederent infeliciter hominibus siccis. *f*) Quam vino.

Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat *g*)?
Quis non te *h*) potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
At ne *i*) quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis *k*) rixa super mero *l*)
Debellata *m*): monet *n*) Sithoniis non levis Evius *o*);
Cum fas *p*), atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te *q*), candide Bassareu *r*)

g) Queritur; cum dolore commemorat. *h*) Subaudi, *crepat*. Quis non potius laudat Bacchum? Crepare aliquid, est de illa re loqui cum vehementiori cupiditate et affectu, seu doloris, seu laetitiae. *i*) Verum admonet homines pugna Centaurorum cum Lapithis; commissa in vino, et ebrietate, ne quis transiliat modum in Liberi, seu Bacchi muneribus sumendis; hoc est; in vino potando; ne quis immodice bibat, et justo largius. *k*) Lapithae et Centauri, erant populi Thessaliae; qui, cum Pirithous Hippodamiam duceret, invitati ad epulum, rixam ebrii moverunt, in qua multi utrinque periere. *l*) Inter vina, et pocula. *m*) Pugnata, confecta. *n*) Docet etiam nos modice vino utendum esse. Evius, idest, Bacchus, non levis, hoc est, gravis, noxius, exitialis. Sithoniis, Thraciae populis. Mala per vinum Thracibus importata nos admonent cavendum esse ab ebrietate. *o*) Bacchus ita vocatus est a gemina voce Graeca, quae significat, *Euge fili*, quam a Jove tum pronunciatam volunt, cum Bacchus in Gigantes rem strenue gereret, eosque mutatus in leonem, e Caelo detruderet. *p*) Cum illi Sithonii, sive Thraces, ebrii et avidi explendarum libidinum, discernunt exiguo fine fas et nefas, hoc est, ponunt exiguum limitem et discrimen inter fas, seu quod licitum est, et nefas seu quod est illicitum; honestum, et turpe confundunt, et exiguo limite utrumque separant. *q*) O Bacche, non movebo tuas statuas, ac deripiam e suo loco, te invito ac repugnante. *r*) Est vocativus Graecus, a *Bassareus*, quod Bacchi est nomen a voce Hebrea, *Bassar*, quae vindemiam sonat. Candidus appellatur, id est, liber, sincerus,

Invitum quatiam *s*), nec variis obsita *t*) frondibus
Sub divum *u*) rapiam. Saeva tene *x*) cum Berecynthio *y*)
Cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui;
Et tollens vacuum *z*) plus nimio *aa*) Gloria verticem,
Arcanique Fides *bb*) prodiga, perlucidior vitro.

ODE XVII. *Maecenati, qui se apud Horatium coenare velle dixerat, vini sui tenuitatem belle excusat.*

VIle potabis modicis Sabinum *a*)
Cantharis *b*), Graeca quod ego ipse testa *c*)

verax. *s*) Quatere, movere, commovere sacra, ut Terentius, Turnebus, et alii interpretes notant, est, statuas Deorum e templis proferre, et alia quibus opus erat in sacrificando. Quatio hic sumitur pro excutio, propello, effero. Terentius ait, *quatiam te foras*, pro, *expellam*. Quia vero Bacchantes erant furiosae feminae, non placide movebant illa sacra, sed cum tumultu: et saepe calathos, ac cistas, in quibus ne paterent, obvoluta erant pampinis, et hederae foliis, humi effundebant. Quod invito certe Baccho, et contra ritum, ac morem sacrorum fiebat. Ego igitur non illas imitabor, id est, non indulgebo ebrietati praeter modum. *t*) Tecta, obducta, subaudi, sacra mysteria. *u*) *Divum*, in hac locutione, significat Jovem, seu aerem, caelum apertum, ac patens. Rapere sub divum, seu dium, est, in apertum proferre, ostendere, et patefacere. *x*) Comprime. cohibe: noli me ad furorem, et ebrietatem incitare, pulsando tua cornua, et tympana: quae tympana quam ebrietatem sequitur amor sui caecus, inanis gloria sublime caput attollens, et temeritas in prodendis arcanis. *y*) Simili cornibus, quae inflant sacerdotes Cybele. Cybele colebatur in monte Phrygiae Berecyntho, in Cybeles autem sacris pulsabantur incondito strepitu gravia cornua, seu tubae corneae a sacerdotibus furiosis. Vide Oden 14. Idem fiebat a Bacchantibus, in Orgiis. *z*) Levem, arrogantem, prudentiae expertem. *aa*) Plus justo. *bb*) Fides arcani prodiga, quae temere arcanum effutit, idest, infidelitas, quae perspicua est magis quam vitrum quod res ita non tegit, quin trans illud appareant.

a) Subaudi, vinum. Sabina regio non procul Roma erat,

Conditum levi *d)*, datus *e*) in theatro
Cum tibi plausus,
Care Maecenas eques *f)*; ut *g*) paterni
Fluminis *h*) ripae, simul et iocosa *i*)
Redderet laudes tibi Vaticani *k)*
Montis imago :
Coecubum *l*), et praelo domitam *m*)Caleno *n)*
Tu bibes uvam : mea nec Falernae *o)*
Temperant *p*) vites, neque Formiani
Pocula colles.

ubi vinum leve, ac vile nascebatur : ibi villam habebat Horatius. *b*) Scyphis, poculis minoribus. c) Amphora fictili, e Graecia in Italiam cum vino advecta : Samiae testae maxime laudabantur : vel, Cumis facta, quae Graecorum erat Colonia in Italia. *d*) Praeteritum est verbi *lino*, Solebant Romani suas amphoras oblinere, et inducere pice, vel cera, in eaque imprimere nomen Consulis, et anni, quo vinum in dolia vel amphoras fundebant. *e*) Eo tempore vinum meum condidi in amphoris, quo tibi applausit populus in theatro. Ita suum vinum argute commendat, ac Maecenati adulatur. Theatrum autem significat eum locum, ubi sedebant ad spectandum aliquod scenicum spectaculum ; erat in semicirculi figuram factum : et e regione visebatur scena, sive locus planus, ac editior, ubi actores versarentur. Cumque vir aliquis populo gratus in theatrum accedebat, solebat illi populus plaudere voce ac manu. *f*) Gaudebat hac appellatione Maecenas, quae ipsius modestiam significabat : in Equestri enim ordinem constiterat, cum ad altiorem ordinem ascendere facile potuisset. *g*) Ita ut. *h*) Tiberis, qui fluit ex Etruria, Maecenatis patria. *i*) Echo, quae laudes tibi a populo plaudente, cum in theatrum subires, datas reddebat ac geminabat. Jocari porro videtur Echo, cum extrema verba repetit. *k*) Mons Vaticanus est vicinior Tiberi, et theatro Pompeii. *l*) Vinum optimum, a cognomine loco dictum in Campania, prope Romam. *m*) Pressam, calcatam. *n*) Cales, seu Calenum urbs. o) Falernus ager in Campania Itala est, ubi vites optimae : Formae, ejusdem Italiae oppidum, vino suo nobile, quod in vicinis collibus erat laudatissimum. *p*) Impleat, aqua tantisper mixta. Id est ; tu domi tuae bibes, ut soles, vina generosissima : ego non iis utor domi meae.

ODE XVIII. *Laudes Apollinis, ac Dianae.*

DIanam tenerae dicite virgines:
Intonsum, pueri, dicite Cynthium *a*):
Latonamque *b*) supremo
Dilectam penitus Iovi.
Vos laetam *c*) fluviis, et nemorum coma,
Quaecunque *d*) aut gelido prominet Algido *e*)
Nigris *f*) aut Erymanthi *g*)
Silvis, aut viridis Cragi:
Vos Tempe *h*) totidem tollite laudibus,
Natalemque *i*), mares *k*), Delon *l*) Apollinis,
Insignemque pharetra,
Fraternaque *m*) humerum *n*) lyra.
Hic *o*) bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemque a populo, et Principe Caesare, in

a) Sic vocatur Apollo a monte Cyntho, in Delo insula: intonsus etiam semper pingebatur, imberbis, ac juveni similis, tum ad venustatem, tum quia promissa caesaries Soli radios belle exprimit. *b*) Matrem Dianae, et Apollinis. *c*) Dianam significat, quae gaudet silvis, et amnibus. *d*) Quaecunque coma, quaecunque frondes arborum prominent, germinant ex arboribus, ac prodeunt, sive in Algido, sive in Crago, etc. *e*) Algidus est silva, et mons, paucis leucis Roma distans, Dianae sacer: a frigore ita vocatur, montes enim fere sunt frigidiores. *f*) Umbrosis, propter arborum densitatem. *g*) Erymanthus est mons Arcadiae in Graecia; Cragus Lyciae, in Asia minori: ambo celebres Poetarum figmentis, et Dianae sacri. *h*) Vallis erat amoenissima in Thessalia Apollini sacra; quia post occisum Pythonem serpentem, eo seccessit, ac sacrificia piacularia fecit, etc. Erat ibidem ara eidem Deo dicata: indidem laurae coronae petebantur coronandis victoribus, in Pythiis ludis. *i*) Terram natalem; patriam. *k*) Id est, ros pueri. *l*) Terminatio est Graeca: pro Delum. Delus est insula Maris Aegaei, Cycladum (supra Od. 12.) clarissima. *m*) Quam ipsi Mercurius frater, lyrae inventor et artifex, dedit. *n*) Apollinis humerum laudate, insignem pharetra et lyra, seu, Apollinem pharetram humero gestantem, et lyram. *o*) Apollo a vobis rogatus.

Persas *p*), atque Britannos *q*)
Vestra motus aget *r*) prece.

ODE XIX. *Vir probus ubique tutus.*

INteger vitae *a*), scelerisque purus,
Non eget Mauris *b*) iaculis, neque arcu,
Nec venenatis *c*) gravida *d*) sagittis,
Fusce *e*), pharetra:
Sive per Syrtes *f*) iter aestuosas *g*),
Sive facturus per inhospitalem *h*)
Caucasum *i*), vel quae loca fabulosus
Lambit *k*) Hydaspes *l*)
Namque me silva lupus in Sabina,
Dum sequor calles dubios, et ultra *m*)
Terminum curis vagor expeditis *n*),
Fugit inermem:
Quale *o*) portentum neque militaris

p) Populum Asiae, Romanis infestum. Supra Od. 2. *q*) Angliam, nondum a Romanis domitam. *r*) A populo, et Caesare avertet, convertetque in hostes Romani nominis, Persas nempe, et Britannos.

a) Cujus vita, et mores integri, et sine crimine sunt. Graeci, et Latini eos imitati, solent genitivos cum adjectivis quibusdam jungere. Sic dicitur, felix animi, fortunatus laboris. *b*) Jaculis Maurorum: inermis esse potest. Legunt aliqui, *Mauri*. Mauri populi sunt Africae, in mittendis jaculis exercitatissimi. *c*) Solebant ferrum sagittae, et acumen imbuere veneno. *d*) Plena, referta. *e*) Scribit hanc Odem ad Aristium Fuscum, amicum suum. Poetam et Oratorem egregium. *f*) Sunt aestuaria quaedam in Africae litore: duae vulgo numerantur, major et minor. Igitur potest iter illud intelligi de navigatione, aut, si de terrestri itinere sermonem esse velis, accipe litus Syrtibus vicinum. *g*) Arentes, arenosas. *h*) Nullis hospitibus habitabilem, ob frigus, et asperitatem cautium. *i*) Est mons Scythiae, ubi Prometheus religatus fuisse dicitur. *k*) Alluit, rigat. *l*) Indiae fluvius; de quo multa fabulosa narrantur; v. g. quod aurum inter arenas volvat. Potest etiam hoc epithetum in bonam partem accipi: fabulosus, de quo multa dici solent, famosus. *m*) Ultra fines mihi notos, ac vias tritas; ultra terminum solitae deambulationis. *n*) Missis rejectis curis, vacuus, liber. *o*) Qua-

Daunia in latis alit esculetis *p*) ;
Nec Iubae *q*) tellus generat , leonum
Arida *r*) nutrix.
Pone me , pigris *s*) ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura :
Quod latus mundi *t*) nebulae , malusque
Iupiter *u*) urget *x*) :
Pone sub curru *y*) nimium propinqui
Solis , in terra domibus negata ;
Sola me virtus *z*) dabit usque tutum ,
Sola beatum.

ODE XX. *Virgilium de Quintilii Vari , poetae sibi carissimi , obitu moerentem consolatur.*

QUis *a*) desiderio sit pudor , aut modus
Tam cari capitis ? Praecipe *b*) lugubres
Cantus, Melpomene *c*), cui liquidam *d*) pater *e*)
Vocem cum cithara dedit.

lem lupum, monstri et portenti similem , neque Daunia (pars est Apuliae, plena viris bello bonis) in silvis quercuum plenis nutrire solet; nec Mauritania, in qua Juba regnavit. *p*) Locus aesculis frequens. Aesculus est species quercus. *q*) Juba fuit Rex Mauritaniae, Pompejanis partibus addictissimus: superato Pompejo sibi necem conscivit: de eo Jul. Caesar triumphavit. *r*) Aestuosa, siticulosa. *s*) Ubi omnia inerti frigore constringuntur, et ne levis quidem aura calidior exspirat. *t*) Regionem. Sane Zonae frigidae sunt ad latera sphaerae rectae. *u*) Aer inclemens , frigidus , nebulosus. *x*) Vexat. contristat. *y*) Sub Zona torrida, ubi Sol hominum vertici velut incumbit; ubi nullae sunt domus propter gravitatem aestus. Illas tamen terras incolis non carere docet experientia. *z*) Vera vox! Ad eam totius Odae sententia collineat.

a) Quis in deflenda morte iam cari capitis, idest hominis , modum servet? Quem lugere pudeat? Desiderium proprie est, luctus de alicujus absentia, vel morte conceptus. Eusebius mortem hujus Quintilii , qui Cremonensis a patria vocabatur, ascribit an. U. C. 730. *b*) Doce me, impera mihi. *c*) Una Musarum. *d*) Claram , canoram. *e*) Jupiter , Musarum

Ergo Quintilium perpetuus sopor *f*)
Urget ? Cui pudor, et iustitiae soror
Incorrupta fides g), nudaque *h*) veritas,
Quando ullum inveniet parem ?
Multis ille bonis flebilis *i*) occidit:
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
Tu frustra *k*) pius, heu! non ita creditum *l*)
Poscis Quintilium Deos *m*).
Quod si *n*) Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus *o*) fidem *p*);
Non vanae redeat sanguis *q*) imagini *r*),
Quam virga *s*) semel horrida,
Non lenis *t*) precibus fata recludere,
Nigro compulerit *u*) Mercurius gregi.

parens. *f*) Somnus aeternus: ita mortem Poetae appellant. *g*) Fidelitas, quae precibus, et pretio corrumpi non potest. *h*) Sine fuco, doli expers. *i*) Deplorandus: multi viri boni debent dolere ejus mortem; tu praeter ceteros; licet ista tua pietate, et lacrymis, nihil sis illi profuturus, vel tibi. *k*) Quia eum non revocabis interitu. *l*) Non ita commissum tibi a Diis, et veluti depositum, ut nunquam repeteretur, ut nunquam moreretur. Scilicet vita nulli propria datur, ac perpetua: est iustar pecuniae creditae quae reddenda est arbitrio creditoris. *m*) Rogas ut eum vitae, ac tibi reddant. *n*) Atque licet caneres suavius Orpheo Thraciae vate, quem ipsae arbores canentem audierunt, ac secutae sunt, non tamen reddes vitam umbrae inani. *o*) Ab arboribus. *d*) Fides, vel fidis, significat chordam, et nervum citharae. *q*) Ponebant veteres vitam in sanguine. *r*) Umbrae, sive animae suo corpore solutae, quam cogitamus ut formam, et imaginem quandam hominis viventis, sed tenuem, et vento ac fumo similem, et, ut ait Maro, vitam sine corpore. Tria quaedam veteres in homine ponebant, corpus, animam, et imaginem, sive umbram aut manes. Corpus in tumultum, ac cineres redibat; anima interdum evolabat in Caelum, interdum ad Inferos deferebatur; imago, sive umbra et simulacrum, semper in Inferis versabatur. Vide Cerdanum haec erudite explicantem lib. 6. Aeneid vers. 293. *s*) Caduceo. Vid. Od. 9. *t*) Non facile exorabilis ad recludenda fata, id est, ad ea solvenda et resignanda, quae fatorum lege ac decretis veluti clausa, et obscrata sunt. *u*) Addiderit nigro gregi; conjece-

Durum *x*)! Sed levius fit patientia *y*)
Quidquid corrigere est nefas *z*).

ODE XXI. *Musas laudat, et ut Lamiam celebrent rogat.*

Musis *a*) amicus, tristitiam, et metus
Tradam protervis *b*) in mare Creticum *c*)
Portare ventis: quis sub *d*) Arcto *e*)
Rex gelidae metuatur orae;
Quid Tiridatem *f*) terreat, unice
Securus. O, quae fontibus integris
Gaudes *g*), apricos *h*) necte flores,
Necte meo Lamiae *i*) coronam,
Pimplei *k*) dulcis: Nil sine te *l*) mei
Prosunt honores. Hunc *m*) fidibus novis *n*)

rit in turbam umbrarum, et mortuorum. *x*) Est certe durum quod dico, et quod pateris; sed quod mutari non potest, patientia est mitigandum. *y*) Moderate illud ferendo. *z*) Non licet: quod corrigi non potest.

a) Dum ero Musis carus, deponam omnem tristitiam, et metus meos dabo ventis deportandos in mare, etc. idest, longe amandabo, oblivioni tradam. *b*) Improbis, inquietis. *c*) Creta est insula in Mari Mediterraneo, prope Peloponnesum. *d*) Sententia est: securus, seu, nihil admodum sollicitus scire, quisnam Rex in oris septentronalibus metuatur, et quid illud sit quod maximum Tiridati metum incutiat. *e*) Arctos vox est Graeca, ursum significans. Est autem Ursa sidus septentrionale. *f*) Quis ille fuerit, vide Indicem II. Odarum Chronologicum, ad annum U. C. 731. Adi etiam Oden 12. Lib. III. *g*) Quae amas fontes integros, idest, ex quibus nondum quisquam libavit; vel plenos et puros. *h*) Soli expositos: nocet umbra floribus. *i*) Aelius Lamia nobilis Romanus erat. Vide Oden 12. Lib. 3. ubi de illo fusius agit. *k*) Musa: ita vocabantur Musae a Pimpla, Graeciae seu Thraciae, ut alii volunt, fonte, Musis consecrato. *l*) Sine tuo Numine, mei versus, quibus honorem amicis impertio, nihil prosunt, vim nullam habent. *m*) Lamiam. Ordo est: decet te, et tuas sorores, nempe alias Musas, sacrare hunc novis fidibus, et plectro Lesbi. *n*) Lyricis versibus Latinis, quos a se primum Italis monstratos gloriatur saepe Horatius,

Hunc Lesbio *o)* sacrare *p)* plectro,
Teque, tuasque decet sorores.

ODE XXII. *Ad sodales, convivas, ne inter vina rixentur et pugnent.*

NAtis in usum laetitiae scyphis
Pugnare, Thracum est *a)*. Tollite barbarum
Morem, verecundumque *b)* Bacchum
Sanguineis prohibete *c)* rixis.
Vino *d)*, et lucernis *e)* Medus acinaces *f)*
Immane *g)* quantum discrepat! Impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso *h)*.

veteres erant, et pridem noti Graecis; novi Romanis. *o)* Carmine Lyrico Alcaicó: ejus enim repertor fuit Alcaeus, oriundus e Lesbo, Aegaei maris insula. Plectrum autem est tenue bacillum leviter inflexum et incurvum, equina seta instructum, quo lyrae chordas tangimus. Vide Oden 1. lib. 2. nota ultima. Apud antiquos erat instar dentati pectinis. *p)* Sacrum reddere, immortalitati consecrare.

a) Convenit tantum barbaris, quales sunt Thraces, ut scyphis, hoc est, cyathis et poculis, tanquam armis ad pugnam committendam utantur: nata enim sunt pocula, et instituta ad hilaritatem, non ad bellum. *b)* Modestum, alienum ab rixa, et tumultu; modice sumendum. *c)* Defendite. vel per hypallagen, prohibete rixas, et removete a Baccho verecundo. *d)* Mirum quantum est discrimen inter vinum, et enses Medorum recurvos, inter convivium, et certamen: non bene ista conveniunt inter se. *e)* Bibebant, epulabanturque ferme noctu, et accensis lucernis. *f)* Gladius incurvus, et latior: eo utebantur Persae, et Medi. *g)* Incredibile dictu est quantum discrepat. *h)* Idest, demisso, depresso, non erecto, non sublato ad ictus et rixam. Jacebant in lectulis Romani cum accumberent mensae, et laevo cubito, ac sinistra manu nitebantur, caputque sustentabant; altera manu cibos ori admovebant. Igitur presso cubito remanere, est, quiete ad mensam accumbere, non stare, non expedire manus, ut fit in rixa.

ODE XXIII. *Archytas Tarentinus, cujus cadaver insepultum Nauta quidam in litore deprehenderat, fingitur dum eo loqui, et illum rogare, ut sibi terram injiciat.*

N. TE maris, et terrae, numeroque carentis arenae
Mensorem *a*) cohibent *b*), Archyta *c*),
Pulveris exigui prope litus parva Matinum *d*)
Munera? Nec quidquam tibi prodest
Aerias *e*) tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum morituro *f*)?
A. Occidit *g*) et Pelopis genitor, conviva Deorum,
Tithonusque *h*) remotus in auras,
Et Iovis arcanis Minos *i*) admissus; habentque
Tartara Panthoiden *k*), iterum *l*) Orco

a) Sic Geometram vocat, cujus est terram, maria, et litora metiri. *b*) Negatum sepulturae munus prohibet ne Stigem transmittas; insepulti enim in Charontis cymbam non admittebantur. Tu ne etiam, ut ceteri, mortuus jaces, et injiciendam cadaveri tuo terram expectas? *c*) Fuit Archytas patria Tarentinus, celeberrimus philosophus, et mathematicus. Quamvis autem ille ante hanc Oden ab Horatio scriptam tribus fere jam saeculis obiisset, fingi tamen ab Horatio potuit nauta ejusdem, quo vixit Archytas, temporis haec dixisse. *d*) Matina est regio et ora Italiae ad mare, sic dicta a Matino monte Calabriae vicino. *e*) Caelum quasi penetrasse mente. *f*) Siquidem eras moriturus. *g*) Respondere fingitur iste Archytas. Noli, o bone mirari, quod mortuus sim: mortuus est ipse Pelopis genitor, Tantalus, qui Deos convivio exceperat: mortuus Tithonus, etc. *h*) Aurorae maritus, qui uxoris arte vitam longissimam vixit, ac demum senio exsiccatus in vaporem tenuem evanuit, ut hic indicat Horatius iis verbis, *remotus in auras*; vel, ut alii fabulantur, in cicadam mutatus est. *i*) Cretae Rex fuit, ac Jovis filius, cum quo interdum colloqui, et ab eo arcana multa discere putabatur, ab eodem judex Inferorum creatus, ob summam aequitatem, et severitatem. *k*) Pytagoram, olim Panthoi fi-

Demissum *m*) ; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora testatus , nihil ultra *n*)
Nervos, atque cutem morti concesserat atrae;
Iudice te *o*) , non sordidus auctor
Naturae, verique. Sed omnes una manet *p*) nox *q*),
Et calcanda semel via leti.
Dant alios *r*) Furiae torvo spectacula Marti :
Exitio est avidum mare nautis.
Mixta senum , ac juvenum densantur *s*) funera ; nullum
Saeva caput Proserpina *t*) fugit *u*).
Me quoque devexi *x*) rapidus comes Orionis
Illyricis *y*) Notus obruit undis.

lium ut ipse dicebat: licet enim Mnesarchi anulorum sculptoris filius esset, tamen narrabat se annis, antequam esset Pythagoras fere 7000 fuisse Euphorbum Panthoi filium, qui Trojano in bello perierat; idque ut probaret, refixerat, idest detraxerat a templo Junonis Argivae clypeum, quem Menelaus Euphorbo a se interfecto ereptum in eo fixerat, ac suspenderat, et quem a se, tunc Euphorbo, gestatum Trojani belli temporibus agnoscebat. Ordo igitur est: quamvis, detracto e poste templi clypeo Euphorbi testatus se Trojani belli temporibus Euphorbum fuisse, nihil dederat morti praeter corpus. Lege Ovid. lib. 15. Metamorph. *l*) Nempe primo cum esset Euphorbus, secundo cum esset Pythagoras. *m*) Mortuum. Pars inferorum piis destinata erat quam Elysios campos vocabant: pars impiis, quae Tartarus dicebatur. *n*) Corpore solo mortuus veluti erat, anima superstite, et in aliud corpus transeunte; quae opinio Pythagorae; et famosa Metempsichosis erat. *o*) Tu ipse non ignoras illum Pythagoram non contemnendum, idest, optimum auctorem, seu magistrum philosophiae quae rerum naturalium veritatem indagat. Tam celebris enim fama Pythagorae, et doctrina erat, ut hoc scire nauta, licet alioquin imperitus , posset. *p*) Expectat , omnibus imminet. *q*) Mors, tenebrosa tota. *r*) Alii moriuntur in bello, in quo eos Furiae praebent quasi ludibrium, et spectaculus Marti, qui cruenta ista tragoedia gaudet. *s*) Cumulantur , coacervantur. *t*) Plutonis uxor, quae jus quoddam habet in mortuos; utpote Inferorum Regina , et mortuorum. *u*) Praeterit , excipit. *x*) Proni, cadentis, vel in Australem Caeli partem ad polum vergentis. Orion est sidus in fronte Tauri e stellis 7. conflatum; quod cum oritur, et occidit, ventos, et procellas excitat ; hinc Notus ejus comes dicitur. *y*) Illyria, seu Dalmatia , est regio opposita Italiae Orientali.

At tu, Nauta, vagae *a*) ne parce *b*) malignus *c*) arenae
Ossibus, et capiti inhumato
Particulam dare *d*): sic *e*), quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis *f*), Venusinae *g*)
Plectantur silvae, te sospite: multaque merces *h*),
Unde potest *i*), tibi defluat aequo *k*)
Ab Iove, Neptunoque sacri custode *l*) Tarenti.
Negligis? *m*) Immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Fors et *n*)
Debita iura, vicesque superbae *o*)
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis *p*);
Teque piacula *q*) nulla resolvent.

a) Quae huc, et illuc volvitur. *b*) Ne omittas. *c*) Avarus, parcus. *d*) Ingerere. *e*) Particula ista precantis est. Ita faxint Superi, inquit Archytas, ut quamcumque procellam Eurus, Orientalis ventus, minabitur se excitaturum in mari Italo, ea procella omnis recidat, ac detonet in silvas Venusinas, te salvo ac tuis navibus. *f*) Italiae vocata est Hesperia magna, a quodam Hespero. Vide Oden 3. *g*) Venusium est civitas Apuliae. *h*) Lucrum; laboris fructus, et industriae. *i*) Quacumque ex causa tibi evenire poterit. *k*) Favente. *l*) Patrono, qui ibi colebatur; est autem Tarentum civitas Italiae, in Calabria. *m*) An tu id non curas quod ego te oro? Negligis arenam injicere meo corpori? Non vereris fraudem, id est flagitium committere, quod ex te natis, hoc est, tuis filiis, postmodo, id est, longo post intervallo, putas nociturum, non tibi? *n*) Fortasse tu ipse solves praemia isti tuae crudelitati jure debita, poenas tuis istis superbe factis dignas: fiet ut vicissim ab aliis insepultus superbe negligaris, ut nunc me negligis. Jura vocat debita: quia jus est ut ita cuique eveniat, uti de aliis est meritus, et suo ipse exemplo puniatur. *o*) Poena facinori superbo, et crudeli debita. *p*) Eveniet illud quod imprecor; me Superi ulciscentur. *q*) Nulla sacrificia impedient quominus luas poenam; ea te non solvent ac liberabunt. Piaculum significat crimen, et sacrificium etiam, quod fit ad illud

Quanquam festinas ; non est mora longa , licebit *r*)
Injecto ter pulvere curras.

ODE XXIV. *Miratur , et irridet Iccium quendam , e philosopho militem factum.*

ICci , beatis nunc Arabum *a*) invides
Gazis *b*) ; et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus ; horribilique *c*) Medo *d*)
Nectis catenas. Quae tibi virginum ,
Sponso necato , barbara serviet *e*) ?
Puer quis ex aula *f*) capillis
Ad cyathum *g*) statuetur unctis *h*) ,
Doctus sagittas tendere Sericas *i*)
Arcu paterno ? Quis neget arduis
Pronos relabi *k*) posse rivos
Montibus , et Tiberim reverti ;
Quum tu coemptos undique nobiles

expiandum. *r*) Poteris navigationem institutam absolvere ; et quamvis festinas, id te non diu morabitur , si ter pulverem meo cadaveri injeceris. Erat autem numerus ternarius sacer, et in hac caeremonia, injiciendae mortuis terrae, solitus adhiberi. Vide Cerdanum , palmarium illum Virgilii interpretem , in 6. Aeneid. vers. 366.

a) Est Arabia regio Asiae, ad mare rubrum; ejus pars remotior, quae Sabaea vocatur, nondum domita fuerat a Romanis : itaque anno U. C. 740. eo cum exercitu profectus est Aelius Largus; Iccius illum secutus est. *b*) Opibus: inhias hostium spoliis. Gaza nomen est Persicum Latio invectum. *c*) Feroci bellicoso. *d*) Lege finem Od. 2. *e*) Captivas mulieres sibi famulas jubebant esse. *f*) Medorum, aut Arabum. *g*) Ut vina tibi in poculum fundat. *h*) Delibutis odorato unguento. *i*) Seres sunt Indiae populi, ad mittendas sagittas instituti. Significat igitur illum puerum, vel ex ea regione ortum, vel peritum esse jaculandi; et Sericas sagittas ponit pro quibuslibet aliis. *k*) Qui ante proni, et praecipites decurrebant e montibus arduis, nunc mutato cursu, retro posse labi ad ipsa montium cacumina. Sententia est; nihil est tam arduum, tam praeter naturam ordinemque rerum, quod fieri jam posse non credamus; cum te videamus

Libros Panaeti *l*), Socraticam et domum *m*)
Mutare loricis Iberis *n*),
Pollicitus meliora *o*), tendis *p*)?

ODE XXV. *Rogat Venerem ut sacrificanti Glicerae adsit.*

O Venus, regina Gnidi *a*), Paphique,
Sperne *b*) dilectam Cypron, et vocantis
Ture te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.
Fervidus tecum Puer, et solutis
Gratiae *c*) zonis, properentque Nymphae,
Et parum comis *d*) sine te Iuventas *e*),
Mercuriusque *f*)

ODE XXVI. *Horatii preces ad Apollinem.*

QUid dedicatum poscit Apollinem *a*)
Vates *b*)? Quid orat, de patera novum *c*)
Fundens liquorem *d*)? Non opimae
Sardiniae *e*) segetes feraces;

e Philosopho militem esse factum. *l*) Fuit Panaetius Stoicus philosophus celeberrimus, Scipionis et Laelii praeceptor. *m*) Familiam, scholam, philosophos a Socrate derivatos; eorum libros intelligit. Socrates porro fuit Atheniensis philosophus, Platonis magister. *n*) In Hispania fabricatis, ubi ferrum praestans. *o*) Qui te melioribus studiis addixeras, nempe philosophiae. *p*) Cogitas, paras?

a) Est urbs Asiae, ubi Venus colebatur in Cypro insula, ut et Paphus. *b*) Desere, et veni in sacellum elegans, seu domum Glycerae te vocantis, multo ture incenso. *c*) Pingebantur veste discinta. Vide Od. 4. *d*) Hilaris. *e*) Dea praeses juventuti, Hebe vocabatur, uxor Herculis. *f*) Deus est eloquentiae, ponitur in comitatu Veneris, quia nihil est eloquentius amore.

a) Dedicato templo ornatum: vel statuam Apollinis dedicatam, et consecratam. Vide II. Indicem Odarum, ad an. 726. *b*) Horatius, de se loquitur in tertia persona. *c*) Recens haustum e dolio; vel, recens ex uvis pressum. *d*) Vinum: hoc effundebant, vel in aram, vel in humum, ac veluti sacrificabant: perit enim, et veluti immolatur liquor fusus,

Non aestuosae grata Calabriae *f*)
Armenta ; non aurum , aut ebur Indicum *g*);
Non rura , quae Liris *h*) quieta
Mordet *i*) aqua , taciturnus amnis.
Premant *k*) Calena falce *l*) , quibus dedit
Fortuna , vitem ; dives *m*) et aureis
Mercator exsiccet culullis *n*)
Vina Syra reparata *o*) merce ,
Dîs carus *p*) ipsis : quippe ter, et quater
Anno *q*) revisens *r*) aequor Atlanticum *s*)
Impune *t*). Me pascunt olivae ,
Me cichorea , levesque *u*) malvae.
Frui paratis *x*) , et valido *y*) mihi ,
Latoe *z*) , dones ; at precor , integra *aa*)

e) Est insula prope Siciliam, frumenti ferax. *f*) Est Italiae regio, prope Siciliam, hodie pays regni Neapolitani. *g*) Ex Indiis deportari solitum in Europam. *h*) Campaniae in Italia fluvius, altus et quietus. *i*) Alluit, lambit. *k*) Amputent vitis ramos inutiles. Ita Virgilius dixit *falce premere umbras*, pro resecare ramos umbrosus. *l*) Hoc est cultello falcis instar incurvo. Cales oppidum est Sabinorum in Italia, cujus in agro vina erant optima. *m*) Patior etiam ut mercator dives exhauriat aureis poculis vina quae comparavit, sive emit, mercibus Syris, e Syria ab ipso advectis. Syria est regio Asiae, continens Phoeniciam, Palaestinam, Judaeam, Idumaeam, etc. omnium rerum ferax. *n*) Cyathis. Culeus est aliquando mensura 20. amphorarum: hinc ducta vox *culullus*. *o*) Permutata, vicissim parata, permutatione scilicet facta Syrae mercis cum vino: vel, quia singulis annis, cum priora vina consumpta sunt, nova emit. *p*) Mercator felix, ita ut appareat ipsos Deos ejus curam gerere. *q*) Per annum, in anni unius spatio. *r*) Navigando. *s*) In Africa, ubi mons Atlas: ibi ferme orbis fines Romani ponebant, versus Occidentem. *t*) Sine periculo, secura, et felici navigatione. *u*) Quae gravem alvum levant ac solvunt. *x*) Opibus et bonis quae paravi: seu, quae facile parari possunt, quae obvia sunt, et parvi sumptus, atque adeo semper parata, et prompta. Est autem hic ordo: O Latoe, dones precor mihi valido, et mente integra utenti, frui paratis, et degere senectam non turpem, nec citharae expertem. *y*) Valenti, sano. *z*) Apollo, Latonae filii. *aa*) Rationis com-

Cum mente , nec turpem *bb*) senectam
Degere , nec cithara carentem *cc*).

ODE XXVII. *Suam lyram alloquitur , et laudat.*

POscimur. *a*) Si quid vacui *b*) sub umbra
Lusimus *c*) tecum ; quod et hunc in annum
Vivat *d*) , et plures , age , dic Latinum,
Barbite *e*) , carmen ,
Lesbio *f*) primum modulate *g*) civi ;
Qui , ferox *h*) bello , tamen inter arma ,
Sive iactatam religarat *i*) udo
Litore navim ,
Liberum *k*) , et Musas , Veneremque , et illi
Semper haerentem *l*) Puerum *m*) canebat ;
Et Lycum *n*) , nigris oculis , nigroque
Crine decorum.
O decus Phoebi , et dapibus *o*) supremi
Grata testudo *p*) Iovis , o laborum

pote sana. *bb*) Inertem, et ingloriam. *cc*) In qua possim lyricis versibus me oblectare.

a) Ordo est: siquidem poscimur (a Maecenate) age, o barbite , si quid alias tecum lusi, cane aliquod Latinum carmen, quod carmen vivat in hunc, et plures annos. *b*) Soluti omni cura. *c*) Cecinimus. *d*) Duret, laudetur. *e*) Graeca vox est : lyram significat. *f*) Alcaeo, qui poeta lyricus fuit, e Lesbo insula oriundus. *g*) Pulsate. Tu , quem pulsavit , et modulis certis temperavit Alcaeus. Indicat autem Alcaeum primum inter Graecos Poetam lyricum fuisse; se primum inter Latinos. *h*) Qui quamvis esset bello assuetus , quod homines feroces , et a Musis alienos reddere solet; tamen , sive inter arma degeret , sive post longam, et periculosam navigationem , versaretur in otio , et pace , barbito utebantur. Omissum est ab Horatio hic (ut alias) primum *sive* , sive esset inter arma. *i*) In litore, in portu post tempestatem ligaverat. *k*) Bacchum. *l*) Veneri affixum; perpetuum ejus comitem. *m*) Cupidinem. *n*) Alcaei amicum. o) Apta conviviis , quae Jupiter celebrat. *p*) Lyra. Primum enim lyram e squama , et dorso testudinis et chordis aliquot, compegisse fertur Mercu-

Dulce lenimen, mihi cumque q) salve r)
Rite vocanti.

ODE XXVIII. *Suam impietatem pristinam detestatur.*

Parcus a) Deorum cultor, et infrequens,
Insanientis dum sapientiae b)
Consultus c) erro; nunc restrorsum d)
Vela dare, atque iterare cursus e)
Cogor relictos f): namque Diespiter g),
Igni h) corusco nubila dividens i)
Plerumque, per purum k) tonantes
Egit equos, volucremque currum;

rius: est autem cava haec squama, et sonora. q) Semper, ubicumque. Salve mihi, ades mihi quocumque loco, et tempore te appellavero. r) Id est, te veneror, amo te, atque amplector. Est formula bene precantis.

a) Ego, qui antea fueram parcus, seu negligens et parum assiduus in colendis Superis, dum errores Epicureorum Philosophorum insanentium sequerer, nunc etc. Cum Epicurei negarent a Diis humana curari, eos negligentius colebant. b) Philosophiae. c) Peritus, et quasi doctor ac magister. Vulgo, *consultus*, est vir peritus juris, quem imperitiores consilii petendi causa, conveniunt. d) Mutare sententiam: aliam viam inire; Deos colere. Ducta est metaphora a re nautica. e) Iter, navigationem. f) Referre me ad pristinam pietatem, quam profitebar. cum Stoicos sequerer. g) Jupiter, diei pater. h) Fulmine. i) Jupiter, qui plerumque dividit nubila, cum tonat, idest, qui solet tonare caelo nubilo, idem ille per serenum caelum equos tonantes aliquando agit: ex quo intellexi Deum aliquem revera esse, et mihi malum, ni resipiscerem, impendere. Tonat interdum caelo nubilo, interdum sereno, utrumque ex eadem causa, nempe ob exhalationum, et vaporum collisionem: qui vapores, et exhalationes, si densiores sunt, in nubes coguntur: si subtiliores et altiores, non impediunt quominus caelum serenum purumque videatur. Porro autem quia rarius fiunt tonitrua caelo sereno, et eorum causa est occultior, quam illorum quae fiunt caelo nubilo, ea tonitrua, et fulmina veteres accipiebant tanquam a Deo praecipue immissa, et mali aliquid portendere putabant. Sic Virgilius; de bello civili agens; *Non alias caelo ceciderunt plura sereno Fulgura.* Hom. Odyss. lib. 19. etc. k) Per caelum serenum. l) Gravis, stupida;

Quo bruta *l*) tellus, et vaga flumina,
Quo Styx *m*), et invisi horrida Taenari *n*)
Sedes, Atlanteusque finis *o*)
Concutitur. Valet *p*) ima *q*) summis
Mutare, et insignem attenuat *r*) Deus,
Obscura *s*) promens: hinc *t*) apicem rapax
Fortuna *u*) cum stridore *x*) acuto
Sustulit; hic posuisse gaudet.

ODE XXIX. *Preces ad Fortunam, pro Caesare ad bellum in Britannos proficiscente,*

O Diva, gratum quae regis Antium *a*),
Praesens *b*) vel imo tollere de gradu *c*)
Mortale corpus *d*), vel superbos
Vertere *e*) funeribus triumphos:
Te pauper ambit *f*) sollicita prece
Ruris colonus *g*); te dominam *h*) aequoris,

sensus, et motus expers. *m*) Inferorum palus. *n*) Inferi. Est Taenarus promontorium, et antrum quoddam in Laconia, ex quo Poetae fingebant descendi ad Inferos. Itaque pro ipsis Inferis sumitur. *o*) Non totam Africam noverant veteres, sed orbem finiri putabant paulo post Mauritaniam, ubi est mons Atlas. *p*) Potest. Est omnino Deus aliquis, qui humana gubernat. *q*) Res et homines infirmos ponere in summorum loco. *r*) Abjicit: tenuem et contemptum facit. *s*) Homines obscuros, et ignotos in luce honorum collocat, e tenebris educit. t) Ex hoc regno, ex hac domo, fortuna tollit apicem, id est, opes et honores, quae sunt quasi fastigia humanarum rerum, eaque hic ponit, id est, in hoc regnum, in aliam domum transfert. *u*) Videtur hic illam Horatius cum Deo confundere. *x*) Tumultu, murmure ingenti.

a) Urbs est Latii maritima, ubi templum erat Fortunae celeberrimum. Dicitur autem Fortuna illud regere, hoc est, illi praeesse, ibi coli praecipue. *b*) Potens, quae hanc vim habes, ut tollas, etc. quae ita es praesens in omnibus locis, et negotiis, ut possis tollere, etc. Deos praesentes Latini vocant, qui vocanti statim adsunt, qui auxilium, opemque afferunt. *c*) Hominem ex infimo statu attollere ad summum. *d*) Mortalem hominem: pars pro toto. *e*) Mutare in funera. *f*) Ambire precibus, est, rogare blandiendo, supplicando, etc. ut solebant candidati, qui honores ambiebant. *g*) Agricola. *h*) Refer

Quicumque *i*) Bithyna lacessit
Carpathium *k*) pelagus carina.
Te Dacus *l*) asper, te profugi Scythae *m*),
Urbesque, gentesque, et Latium ferox,
Regumque matres *n*) barbarorum, et
Purpurei *o*) metuunt tyranni *p*);
Iniurioso ne pede proruas *q*)
Stantem columnam; neu populus *r*) frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te semper anteit saeva Necessitas *s*),
Clavos trabales *t*), et cuneos *u*) manu
Gestans ahena *x*); nec severus *y*)
Uncus *z*) abest, liquidumque plumbum

ad *ambit*, vel ad *metuunt*, quod sequitur. *i*) Omnes nautae. Bithyna navis, est navis, vel Bithyni mercatoris, vel facta in Bithynia, regione Asiae minoris. *k*) Est mari Mediterranei pars ad Aegyptum vergens: ita dicitur ab insula Carpatho, inter Rhodum, et Cretam sita. *l*) Gens bellicosa, ubi nunc Moldavia, Servia, et Bulgaria. *m*) Populi Septemtrionales, quorum plaustra vagas rite trahunt domos, ut ait lib. 3. Od. 18. in sua patria velut exules, et profugi. *n*) Quae liberis timere solent. *o*) Vestiti purpura. *p*) Interdum ea vox Reges significat. *q*) Metuunt ne avertas suum Imperium et Remp. florentem, ac instar columnae firmae stantem. Cave putes esse hanc Horatii precationem: ea enim Odae extremae reservatur, estque pro Caesare tota. *r*) Neu fiat aliqua seditio, in qua populus congregatus cives otiosos, et quietos ad arma sumenda impellat. Reges cessantes cogat arma capere, et excutiat jugum imperii, se in libertatem asserat. *s*) Hacc praecedere semper Fortunam dicitur ab Horatio, quia necessarium credebant Fortunae morem gerere, neque fieri posse, ut aliquis ejus imperium excuteret. *t*) Clavi trabales sunt, quibus trabes compinguntur, ac proinde majores, et crassiores. *u*) Cuneus est ferrum in acumen latum desinens, quo immisso lignum finditur. *x*) Forti, dura instar æris. *y*) Tenax, premens. *z*) Uncus, plumbum serviunt rebus inter se jungendis, et committendis. Pertinent hic ad exprimendam necessitatis vim ac potentiam, vel potius ad significandam firmitatem, ac stabilitatem; quippe quae moveri, labefactari, ac refigi nequit. Videtur his versibus Horatius describere tabulam Fortunae pictam, quae visceretur Antii.

Te Spes *a*), et albo *b*) rara *c*) Fides colit *d*)
Velata panno; nec comitem abnegat *e*),
Utcumque *f*) mutata *g*) potentes *h*)
Veste domos inimica linquis *i*).
At vulgus *k*) infidum, et meretrix retro
Periura cedit: diffugiunt cadis *l*)
Cum faece siccatis amici,
Ferre iugum *m*) pariter dolosi *n*).
Serves *o*) iturum Caesarem in ultimos *p*)
Orbis Britannos, et iuvenum recens
Examen *q*), Eois *r*) timendum
Partibus, Oceanoque rubro *s*)
Heu, heu *t*)! Cicatricum, et sceleris *u*) pudet.

a) Spes additur Fortunae, quia homines in adversa fortuna sola spe sustentantur: Fides, quia veri ac fideles amici, ne fortuna quidem reflante, deserunt amicos. *b*) Candidis induta vestibus: fides enim pura et simplex debet esse. c) Quia paucorum est. *d*) Amat, ac sequi gaudet. *e*) Te comitem non aspernatur, una ire non recusat. *f*) Quandocumque. *g*) Fortuna felix, albis; adversa, nigris vestibus induitur. *h*) Florentes, opulentas. *i*) Per Fortunam abeuntem, et avolantem, significatur adversa; permanentem, secunda. *k*) Fideles amici domus a Fortuna relictas, et amicos infelices non deserunt; sed populus, solam utilitatem suam spectat, et discedit. *l*) Ubi vident exhaustos ad imam usque faecem cados, nihil superasse quod rapiant, et liguriant. *m*) Adversam fortunam prementem. *n*) Dolosi in ferendo jugo, et societate bonarum rerum, et malarum; quia socii, et participes bonarum volunt esse, non malarum. *o*) Serva igitur, o Fortuna, Caesarem. *p*) Angliam, et vicinas quasdam Angliae insulas, esse orbis finem a Septentrione veteres putaverunt. *q*) Exercitum e recentibus copiis collectum; ab apibus ducta metaphora. *r*) Orientalibus. Parthos, et Medos intelligit, qui exercitum hunc ducendum in Orientem contra se arbitrabantur, ob Crassum a se ante annos aliquot interfectum. Non ivit Augustus in Angliam; quia legatos Angli misere ad illum de pace. Vide H. Indicem, in libri limine. *s*) Erythraeo, Arabico. Meditabatur enim Augustus bellum in Arabes, quod iis anno post tertio intulit. *t*) Ex eo quod Caesar ducat exercitum in Barbaros, et disjunctos populos occasionem sumit belli civilis deflendi, et externi belli laudandi. *u*) Belli civilis scelerati; quod ante annos 12. ortum

Fratrumque *x*). Quid nos *y*), dura refugimus
Aetas? Quid intactum nefasti *z*)
Liquimus? Unde manum iuventus *aa*)
Metu *bb*) Deorum continuit? Quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas *cc*) retusum *dd*) in
Massagetas *ee*), Arabasque ferrum!

ODE XXX. *Plotio Numidae felicem ex Hispania reditum gratulatur.*

ET ture, et fidibus *a*) iuvat
Placare *b*), et vituli sanguine debito *c*)
Custodes Numidae Deos;
Qui nunc Hesperia *d*) sospes *e*) ab ultima
Caris multa *f*) sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula,
Quam dulci Lamiae; memor
Actae non alio rege *g*) puertiae,
Mutataeque *h*) simul togae.

sub Julio Caesare, vix tum bene sopitum erat. *x*) In civili bello a fratribus occisorum. *y*) Quid sceleris non suscepimus nos, aetate hac dira, et prope ferrea nati? *z*) Nefarii. *aa*) Milites; à quo scelere nostros exercitus religio deterruit? *bb*) Pietate, ac religione erga Deos. *cc*) Recudas, reformes; vel destruas, ut novos enses, et sanctiores facias; quibus in Massagetas utamur. Al. legunt *defingas*, seu formes, quod Cl. Carolo Fea placet. *dd*) Hebetatos enses in bello civili, et attritos. *ee*) Sunt Scythiae populi; Arabes veró Asiae.

a) Carminibus lyricis. *b*) Diis satisfacere, quibus sacrificium vovi, si amicus rediret. *c*) Votivo. *d*) Hispania; quae appellatur ultima Hesperia, id est, in ultimo orbe posita, ad Occidentem versa, ut distinguatur ab Italia, quae vocatur etiam Hesperia; sic autem vocatur, vel ab Hespero Atlantis filio, vel ab Hespero stella, quae occidente sole apparet. *e*) Reversus incolumis. *f*) Quamvis amicos de ejus reditu laetos amplectatur omnes suavissime, ac deosculetur, nullum ex iis tamen suavius quam Lamiam; quippe meminit se eodem rege pueritiam egisse, sub quo eam egit Lamia. *g*) Moderatore, magistro, gubernatore. *h*) Togam praetextam, id est, purpureo cinctam limbo, exuebant anno aetatis 17. quo sumebant virilem togam,

Cressa *i*) ne careat pulcra dies nota *k*) :
Neu *l*) promptae *m*) modus amphorae ,
Neu morem in Salium *n*) sic requies pedum:
Neu multi Damalis meri *o*)
Bassum *p*) Threicia vincat amystide *q*) :
Neu desint epulis rosae :
Neu vivax apium *r*) , neu breve *s*) lilium.

ODE XXXI. *Mors Cleopatrae ab Augusto victae navali bello.*

NUnc est bibendum , nunc pede *a*) libero
Pulsanda tellus : nunc Saliaribus *b*)
Ornare pulvinar *c*) Deorum
Tempus erat *d*) dapibus, sodales.

ac moderatores pueritiae dimittebant. *i*) Cretensi , hoc est , alba. Cres, vir Cretensis. Cressa Cretensis femina; ut Phoenix, Phoenissa. Effoditur autem in Creta insula terra candida. *k*) Lapillo albo. Thraces notabant felices dies albis calculis, infaustos nigris : jubet igitur hanc diem Horatius albo lapillo, ut fortunatam, notari. *l*) Id est, bibatur sine modo, saltem sine requie, large utrumque et affatim fiat. *m*) Quae cito et sine mora petenti detur : vel depromptae et eductae e cella vinaria. *n*) Ut solent saltare Salii, Martis Sacerdotes ; qui certis diebus saltationem quandam exercebant in honorem Martis, ter pede terram percutientes agilitate summa. *o*) Ebriosa mulier. *p*) Potorem egregium. *q*) Amystis, poculum est capax , ita dictum Graeca voce, ἀμυστις , quod sine interspiratione hauriendum erat. Sententia est : Caveat Bassus, ne ipsum vincat Damalis potans amystidem totam. Threiciam vocat , vel quia revera erat Threissa, vel quia Thraces ebriosi ferebantur, et ejusmodi calices uno haustu siccabant. *r*) Herba diu virens, et vivens. *s*) Cito marcescens.

a) Saltandum est libere, ac temere. *b*) Quas nempe apponant, et instruant Salii Sacerdotes, de quibus dictum est Ode superiori : vel, exquisitis dapibus, qualibus isti Salii solebant vesci, qui magnifice et opipare epulabantur. *c*) Est sacculus pluma vel tomento fartus , qui capitibus , aut cubitis accumbentium in lectulis subjiciebatur. Post victoriam insignem aliquam, solebant Romani Diis suis quasi epulum praebere. Itaque mensas in templis struebant, ac dapibus cumulabant; circa mensas sternebant lectulos cum pulvinaribus, iisque Deorum, quasi convivarum , statuas imponebant. *d*) Tempus est

Antehac *e)* nefas depromere Caecubum *f)*
Cellis avitis *g)* ; dum *h)* Capitolio *i)*
Regina dementes ruinas ,
Funus et imperio parabat
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum *k)* ; quidlibet impotens *l)*
Sperare , fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit *m)* furorem
Vix una sospes navis ab ignibus ;
Mentemque lymphatam *n)* Mareotico *o)*
Redegit in veros timores
Caesar , ab Italia volantem *p)*

imperfectum, pro praesenti, Graeco more. *e)* Antequam victa, imo extincta fuisset Cleopatra. *f)* Vinum generosum, natum in Caecubo , Campaniae monte. *g)* In quibus illud avi majoresque nostri condiderant. *h)* Interea dum Regina Cleopatra dementi , et irrito conatu pararet evertere Capitolium, et Imperium Rom. extinguere. *i)* Templum erat Jovis, in clivo Tarpejo , ita dictum ab hominis capite ibi invento , dum fundamenta effoderentur. *k)* Eunuchorum , qui solent foedis morbis laborare, et contaminati , olentesque esse. *l)* Adeo demens et vecors, ut auderet sperare etiam illa quae fieri nulla ratione poterant, v.g. Romanorum Imperium delere. Impotens proprie est ille,qui effrenatis animi motibus imperare non potest, qui frena laxat irae , libidini , etc. Impotens autem sperare, Graeca locutio est: in eo impotens, quod speraret , etc. quae se continere non poterat , quin speraret quidlibet. *m)* Ejus potentiam et audaciam fregit accepta clades ab Augusto, qui vix unam ex ejus navibus ab incendio sospitem reliquit, et ejus animum furiosum, et vino ebrium Mareotico, quod in conviviis cum Antonio celebratis saepe hauserat, veris timoribus implevit, non falsis, ut ejus spes erant falsae. Porro Cleopatrae naves, aliae statim post Actiacam victoriam sunt a Caesarianis incensae, aliae ab Arabibus, qui in Erythraco sinu erant. Vid. II. Indicem Odarum ad annum ab U. C. 723. *n)* Furiosam. Quos canis rabiosus momordit , ii lymphas fugiunt, et horrent : hinc lymphatus pro furioso ponitur. *o)* Mareotis est palus , et regio Aegypti ubi optimum vinum nascebatur. *p)* Fugientem ab Graecia, quae non longe

Remis *q*) adurgens (accipiter velut
Molles columbas , aut leporem citus
Venator in campis nivalis
r) Haemoniae) daret ut catenis
Fatale monstrum *s*) : quae generosius *t*)
Perire quaerens , nec muliebriter
Expavit ensem *u*) , nec *x*) latentes
Classe cita reparavit oras *y*) ;
Ausa et iacentem *z*) visere regiam
Vultu sereno , fortis et asperas
Tractare serpentes , ut atrum
Corpore combiberet venenum ;
Deliberata *aa*) morte ferocior:
Saevis Liburnis *bb*) scilicet invidens *cc*) ,
Privata deduci *dd*) superbo
Non humilis mulier triumpho.

abest ab Italia. *q*) Celerrime persequens. *r*) Thessaliae : ita dicta est ab Rege quodam suo Aemone. *s*) Cleopatram furentem instar belluae. Fatale vocat, idest , fato quodam , et ira Superum exortum. Exitiale. *t*) Quam in catenis, et iu triumpho. *u*) Voluit sibi ferro vitam adimere, neque dubitavit enses nudos suorum custodum petere qui mortem illi tamen negarunt. *x*) Non ivit Cleopatra classe cita , et properante in oras Aegypti latentes, et ultimos Regni sui fines, ut eos repararet, ac muniret, ad bellum instaurandum. *y*) Aegypti recessus, et urbes intimas. *z*) Profligatum,et moerentem. *aa*) Quam sibi inferre statuerat : ideo ferox, quia mori certa. *bb*) Navibus angustioribus, in Liburnia, Illyrici regione factis ; quales erant illae, quibus Augustus in praelio navali contra Antonium usus erat. Vid. Od. 1. libri Epodon. *cc*) Indignata , et nolens, ob superbiam, hunc honorem navibus Liburnis, a quibus victa erat, et quae ideo saevae appellantur, tribuere, ut in iis Romam duceretur. *dd*) Duci ex Aegypto in Italiam , ut privata mulier, ipsa quae non obscuro, et infimo loco nata,sed nobilis, et Regina erat. Explicat etiam Lambinus : *non humilis*, non parvo animo, et fracto. Est autem ordo : scilicet invidens , hanc Caesari gloriam, ut ipsa , tanti nominis, tantae dignitatis mulier, capta, et Regno spoliata, instar feminae privatae, in Liburnis navibus, tanquam in triumpho , duceretur.

ODE XXXII. *Apparatum convivii frugalem, et minime sumptuosum, sibi placere.*

Persicos *a)* odi, puer *b)*, apparatus;
Displicent nexae philyra *c)* coronae;
Mitte *d)* sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto *e)* nihil adlabores
Sedulus, curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arcta *f)*
Vite bibentem.

Q. HORATII FLACCI ODARVM

LIBER SECUNDUS

ODE I. *C. Asinium Pollionem monet, ut omissa, quam scribebat, de bello civili tragoedia, vel historia, in Rempublicam potius ordinandam incumbat. Bellum civile deplorat.*

Motum *a)* ex Metello consule civicum,
Bellique caussas, et vitia *b)*, et modos *c)*,

a) Magnificos: quales a Persis adhibebantur; v. g. odores unguenta, etc. Persae in conviviis erant in primis sumptuosi, et multarum deliciarum. *b)* Servule. *c)* Est cortex interior ac tenuissimus, ex arbore tilia decerptus, qui ductus in taenias nectendis floribus servit. *d)* Omitte, noli investigare, ubi nascantur rosae tardiores. *e)* Ordo est: curo sedulus, ut nihil labores addere pro convivii apparatu ad simplicem myrtum: nihil nisi coronas e myrto solo. Myrtus adhibebatur in conviviis, boni odoris causa, et quia fumos vini discutere credebatur. *f)* Densa, umbrosa.

a) Ordo est: o Pollio, insigne moestis praesidium reis, etc. tractas, sive, scribis motum civilem, belli civilis varios ac turbidos eventus, ex Metello Consule, id est, ab eo tempore quo Q. Caecilius Metellus Celer fuit Consul, qui est annus ab

Ludumque Fortunae *d*), gravesque
Principum *e*) amicitias, et arma *f*)
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus *g*) aleae,
Tractas; et incedis *h*) per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paullum *i*) severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox, ubi publicas *k*)
Res ordinaris, grande munus *l*)
Cecropio repetes cothurno *m*),

U.C. 694. quo Caesar, Crassus, et Pompejus, inter se de invadenda Republica foedus inierunt. *b*) Simultatem ortam Caesarem inter et Pompejum, multorum ambitionem, odia, libidines, nimiam, ut ait belle Florus, felicitatem, etc. Vide Svet. c. 29. et 30. in Julio Caesare. *c*) Seditiones, pugnas, deliberationes partium. *d*) Varios casus, quibus Romanam rem, ut pilam, jactare Fortuna videbatur. *e*) Caesaris, Pompeji, et Crassi, qui societatem junxerant, Reipublicae funestam. Florum lege lib. 4. c. 2. 3. et seq. *f*) Arma uncta, id est, delibuta et adhuc stillantia civium cruore, qui nondum expiatus est. Proprie non expiatur cruor, sed arma expiantur cruore per scelus infecta, vel miles gestans haec arma. *Expiare* autem est, rem aliquam, aut personam, ex impia, et contaminata, piam et scelere solutam efficere, aliqua religiosa caeremonia. Ejusmodi caeremoniam usurpabant Romani certis temporibus, et *armilustrium* vocabant; eamque adhibuit Augustus, confecto civili bello, cum lustrum solemni ritu condidit, populumque expiavit. *g*) Quae tragoedia a te suscepta opus est aleae, et periculi plenum: de multorum enim sceleribus, qui jam rerum potiuntur, scribi tuto et impune vix potest. *Alea*, est proprie ludus talorum, qui periculosus, et incertus vulgo est: unde ad significandum casum quemlibet periculosum, ea vox adhibetur. *h*) Idem facis, ac si incederes per cineres, qui tegerent ignem suppositum: quod nempe sine gravi periculo fieri nequit. *i*) Omitte paululum res adeo tragicas theatro, et scenae committere. Erat Pollio poeta optimus, teste Virgilio: et hoc de tragoedia aliqua, a Pollione inchoata, rectius quam de historia intelligas. *k*) Erat enim tum Pollio Consul: cujus Magistratus munus est ordinare Rempublicam; quae bello civili erat admodum perturbata. *l*) Grande opus tragoediae faciendae. *m*) Tragico more, ac stilo. Cothurnus erat genus calceamenti altioris, quo actores tragoediarum utebantur. Cecropius appellatur, id est, Atheniensis, a Cecrope Rege Athenarum primo; quia tragoedia maxime Athenis viguit, ubi Sophocles, Euripides, etc. floruerunt.

Insigne moestis praesidium reis *n)*,
Et consulenti, Pollio, curiae *o)*:
Cui laurus *p)* aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Iam nunc *q)* minaci murmure cornuum *r)*
Perstringis *s)* aures: iam litui strepunt:
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Audire magnos iam videor duces
Non indecoro *t)* pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum *u)* subacta *x)*,
Praeter atrocem animum Catonis *y)*.
Iuno *z)*, et Deorum quisquis amicior
Afris, inulta cesserat impotens
Tellure; victorum nepotes

n) Reus, illum significat, quicumque causam dicit, sive sit nocens, sive innocens. *o)* Senatui. *p)* Qui de Dalmatis triumphasti. Sunt autem Dalmatae in Illyrico, quae regio est in ora maris Adriatici, contra Italiam. Dalmatiae urbs erat primaria Salonae, quam Pollio cepit. *q)* Laudat Horatius carmina Pollionis de bello civili, tam graphice, et ornate ab eo scribi coepta, ut in iis res ipsae geri, et cerni, non narrari et audiri viderentur. *r)* Bucinarum, quae olim e cornu, postea ex aere factae sunt. Proprie cornua sunt bucinae breviores, et intortae: litui vero sunt bucinae longiores et parum incurvae. *s)* Feris, tundis. *t)* Glorioso pulvere, quem scilicet in militari campo collegerunt. *u)* Cunctas terras. Sic alio loco dixit, *amara curarum*, pro *amaras curas*, Graeco more. *x)* A Caesare domita. *y)* Dictus est ille Cato Uticensis ab Utica urbe Africae, in quam cum se post pugnam Pharsalicam conjecisset, audiretque appropinquare Caesarem, mortem afferre sibi maluit, quam se illi dedere. *z)* Sententia hujus loci haec est. Juno, et e Diis alii, quicumque Afris olim fuerant amiciores in bello Jugurthino coactique tamen Romanorum viribus, et fato fuerant ex Africa inulta discedere impotentes, id est, quia non potuerant ulcisci Afrorum cladem, et poenas a Romanis sumere, illi inquam, Dii Romanos nepotes et posteros illorum Romanorum, quibus victi olim erant Afri, vicissim immolarunt in bello civili, tanquam victimas placandis Jugurthae Manibus, et Afrorum umbris, atque ita poenas Romanis retulerunt, ac reposuerunt, Afros ulti sunt. Juno Carthagini, et Africae impense favebat, Virg. 1. Aen.

Rettulit inferias *a*) Iugurthae *b*).
Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur *c*), auditumque Medis *d*)
Hesperiae sonitum ruinae?
Qui gurges *e*), aut quae flumina lugubris
Ignara belli? Quod mare Dauniae *f*)
Non decoloravere *g*) caedes?
Quae caret ora cruore nostro?
Sed ne *h*), relictis, Musa procax *i*), jocis,
Ceae retractes munera Neniae *k*);
Mecum Dionaeo *l*) sub antro
Quaere modos *m*) leviore *n*) plectro *o*).

a) Erant inferiae, sacrificia quae fiebant mortuis, et Inferorum umbris. Solebant autem priscis temporibus immolari aliquot e captivis, ad placandas caesorum ducum umbras, et ad eorum tumulos mactari. *b*) Fuit Jugurtha Rex Numidiae in Africa. Is grave bellum gessit cum Metello primum, mox cum Mario; demum a Boccho Mauritaniae Rege, ad quem confugerat, proditus in Marii potestatem venit, a quo Romam ductus, et ostentatus in triumpho, in carcere necatus est, anno U. C. 648. Sallustium adi. *c*) Ostendit, sepulcrorum multitudine, quam saeva fuerint illa bella, impietatis, et crudelitatis plena, nempe civilia. *d*) Cladem, et ruinam Italiae quae olim Hesperia magna dicta est, tantam, ut a Medis, remotissimis videlicet Orientis populis, et Romanorum hostibus, audita cum gaudio sit. *e*) Qui lacus, quae freta? *f*) Italorum. Daunus Rex fuit Apuliae, quae Italiae pars est, *g*) Sanguine infecerunt. *h*) Sed, o mea Musa, noli refricare veteres illas querelas, relictis, quae te decent, amoenioribus argumentis. *i*) Audacior. *k*) Versus lugubres; qui olim a Simonide, lyrico poeta, vel inventi vel praecipua cum laude facti sunt. Dicuntur illi neniae Ceae; quia Simonides natus est in Ceo insula maris Aegaei, prope Euboeam. Est autem, *Nenia* carmen in funeribus cani solitum: interdum sumitur pro puerili cantilena. *l*) Veneri sacro. Venus dicta est *Dione*: quo nomine appellata est quoque Veneris mater, Oceani, et Tethyos filia. *m*) Carmina. *n*) Jocosa nempe argumenta levioribus modis et numeris canenda; tragica, severioribus, et fortioribus. *o*) Instrumento, quo fides lyrae percutiuntur; quod nunc ex equinis vulgo setis fit; alias, instar pectinis, ex ebore aut buxo constabat.

Hanc totam Oden eruditi quidam ita explicant, ut velint

ODE II. *Contemptus pecuniae, laus liberalitatis.*

Nullus *a*) argento color *b*) est, avaris *c*)
Abdito *d*) terris, inimice *e*) lamnae,
Crispe Sallusti *f*), nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento *g*) Proculeius *h*) aevo,
Notus *i*) in fratres animi *k*) paterni:
Illum aget *l*) penna metuente solvi *m*)
Fama superstes *n*).

ab Horatio invitari Pollionem ad absolvendam, quam inchoarat, belli civilis historiam, omittendasque tragoedias, quas intermissa tantisper historia, scriptitabat. Haec porro verba, *mox ubi publicas res ordinaris*, exponunt cum Turnebo, et aliis, postquam Reipublicae historiam, et bellorum civilium, ordinaveris, digesseris, et ordine conscripseris. Favet huic expositioni ultima pars Odae, in qua Pollionis scripta laudat: non eum igitur deterret a scribendo.

a) Ordo est o Crispe Sallusti, inimice lamnae scil. metalli, nullus est color argento abdito terris avaris, nisi usu temperato splendeat. *b*) Dignitas, pulcritudo: nihil juvat pecunia, nisi utari. *c*) Avara terra dicitur ea in qua argentum defoditur, quia illud celat, ut avari factitant. *d*) Qui es inimicus laminae defossae in terra: qui non amas laminam, seu aurum, abdere, et furtim terrae deponere; qui ab avaritia es alienus. Alii legunt abditae, i e. lamnae abditae. *e*) Pro laminae. Est autem lamina, bractea metalli: sumitur hic pro ipso argento, vel auro. *f*) Fuit iste Crispi Sallustii historici ex sorore nepos: de quo agit Cornelius Tacitus, Annalium lib. 3. paulo ante medium: quem ab historico adoptatum, et magna potentia, summisque opibus modestissime usum ait. *g*) Longo tempore producto, usque ad seram posteritatem: immortalis erit Proculeji fama, et memoria. *h*) Fuit Eques Romanus, Augusto carus; ejus fratres, Scipio, et Muraena, cum ob arma in bello civili contra Augustum gesta, patrimonio suo spoliati fuissent, Proculejus bona sua de integro aequis partibus cum ipsis divisit, instar patris amantissimi. *i*) Nobilis, celeber. *k*) Propter animum: Graeca locutio. Subaudiunt Graeci particulam propter, quae apud illos gignendi casum postulat, *l*) Vehet, tollet. *m*) Defatigari nescia; semper volante, et vigente. *n*) Post illius mortem adhuc vivens, et superans.

Latius regnes *o*), avidum domando
Spiritum *p*), quam si Libyam *q*) remotis *r*)
Gadibus *s*) jungas, et uterque Poenus *t*)
Serviat uni.
Crescit *u*) indulgens sibi dirus hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi *x*)
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.
Redditum *y*) Cyri solio Phraaten *z*),
Dissidens, plebi, numero beatûm
Eximit Virtus; populumque falsis
Dedocet *aa*) uti

o) Regnabis, regnare possis. Rex est, qui sibi imperat. *p*) Avaritiam, cupiditatem majorum opum. *q*) Regionem Africae. *r*) A Libya dissitis. *s*) Gades insula et urbs est, in ultima Hispania ad meridiem, *Cadice*; unde nomen freto Gaditano, per quod mare Mediterraneum in terras influit; quodque patrio sermone, ab loco vicino vocant Hispani, *de Gibilterra*. *t*) Tum qui est in Africa, tum qui in Hispania. Nam Carthaginensis Hispaniae partem diu obtinuervut, urbemque nomine Carthaginem in ea condiderunt, quae Carthago nova dicta est. *u*) Morbum auget *indulgens sibi*; obsequens bibendi cupiditati. *Hydrops*: ita vocatur morbus, quo alimenta, imo ipsae aliquando carnes in aquam resolvuntur; unde intumescit corpus, et pallet: hic pro ipso hydropico ea vox ponitur. *x*) Aqua intercus. *y*) Ordo est: virtus dissidens plebi, eximit numero beatorum Phraatem redditum Cyri solio. Sententia est: homines virtute praediti, ab stolida vulgi opinione dissentientes, excerpunt e numero beatorum, felicem non putant idcirco Phraaten, quod in solium Cyri fuerit restitutus. *z*) Phraates, Rex Parthorum, ob mores barbaros, ob patrem, et triginta fratres, cum filio suo natu maximo interfectos, in exilium a suis pulsus est, substituto illi Tiridate; postea tamen Scytharum ope in Regnum est restitutus. Consule Indicem II. Odarum, ad ann. U. C. 731. Vide etiam Justinum lib. 42. cap. 5. Dicitur autem, *Cyri solium*; quia Regnum Persarum, a Cyro fundatum, a Parthis postea occupatum fuit; non quod Phraates Cyri esset filius, aut heres; Orodis enim filius fuit. *aa*) Docet non uti falsis vocibus,

Vocibus; regnum et diadema tutum
Deferens uni *bb*), propriamque laurum *cc*),
Quisquis ingentes oculo irretorto *dd*)
Spectat acervos.

ODE III. *Mentis aequalitas ubique servanda. Mortis necessitas.*

AEquam *a*) memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture *b*) Delli *c*);
Seu moestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum *d*) bearis *e*)
Interiore *f*) nota Falerni *g*):

eum felicem vocando, qui felix revera non sit. *bb*) Illi nomen Regis, felicitatem, et gloriam tribuens uni, quisquis etc. *cc*) Coronam, laudem, victoriam. *dd*) Qui cumulos auri, atque argenti ita praetereundo aspectat, ut ne oculos quidem reflectat ac retorqueat; id est, qui nulla cupiditate illorum ac desiderio commovetur. Rursum irretortus oculus dici potest, non invidus: invidi enim obliquis, et limis oculis ea solent aspicere, quibus invident.

a) Ordo est. O Quincte Delli, memento servare in asperis, et arduis rebus mentem aequam, id est, moderatam, et aequabilem; eandeque in rebus secundis ab insolenti laetitia temperatam. *b*) Siquidem aliquando es moriturus; sive semper vixeris moestus, sive aliquando genio indulseris, maxime festis diebus. *c*) Dellius fuit historicus, et orator insignis: a Dolabella ad Cassium; a Cassio deinde transivit ad Antonium; novissime ab Antonio transfugit ad Caesarem. *d*) Jacentem, resupinatum. *e*) Te exhilaraveris, genium curaveris. *f*) Falerno optimo, et vetustissimo. Amphoris vini, quas servatas Romani vellent, notam apponebant in operculo, quae indicaret, quod vinum esset; quo anno, et Consule conditum. Quo vinum erat generosius, et servari dignius, eo interiore loco cellae vinariae condebatur, utpote frigidiore, et ad servandum vinum aptiore. Rursum, quia primae quaeque amphorae bibebantur, ultimae interiori loco positae, erant vetustissimae. *g*) Falernus mons Campaniae

Qua *h*) pinus ingens, albaque *i*) populus,
Umbram hospitalem consociare amant *k*)
Ramis, et obliquo laborat *l*)
Lympha fugax trepidare rivo:
Huc vina, et unguenta, et nimium breves
Flores amoenae ferre iube rosae *m*);
Dum res *n*), et aetas, et sororum *o*)
Fila trium patiuntur atra *p*).
Cedes *q*) coemptis *r*) saltibus, et domo,
Villaque, flavus *s*) quam Tiberis lavit *t*);
Cedes; et extructis in altum *u*)
Divitiis potietur heres.
Divesne *x*), prisco natus ab Inacho *y*),
Nil interest, an pauper, et infima
De gente *z*) sub dio *aa*) moreris *bb*),
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur *cc*): omnium

Italae, ab eo vinum Falernum nomen invenit. *h*) Id est, quo gramine, loco, etc. *i*) Populi frondes, aversa parte, albicant, adversa, virent. *k*) Gaudent consociatis ramis umbram efficere, quae gratum epulantibus hospitium praebeat. *l*) Cum labore trepidat, propter lapillos nimirum obstantes. Trepidare autem, est agitare se huc illuc, et anxie commovere; festinare aegre. *m*) Rosas, quae nimis cito marcescunt. *n*) Opes, vel, idoneum tempus, opportunitas, occasio. *o*) Parcarum. Dum vita tibi suppeditat. *p*) Funesta: quibus videlicet resectis, mors obeunda necessario sit. *q*) Discedes, demigrabis. *r*) Undique, aut simul a te emptis. *s*) Pulcher, vel flavas arenas volvens. *t*) Est in indicativo, a verbo, *lavere*, quod olim usurpabatur, pro *lavare*. *u*) In cumulum congestis. *x*) Ordo est: nihil interest an sis dives, et ortus in Inacho, an pauper et obscuro loco natus, ne tectum quidem, et domum, quo te recipias, habeas; quippe futurus es perinde victima Orci nil miserantis; divites aeque, ac pauperes damnantis leto. *y*) Fuit Inachus Rex Argivorum, Abrahami aequalis, aut etiam illo superior; cujus filia Io fabulis celebrata est. Floruit circa annum mundi 2200. *z*) Stirpe, familia.

aa) Sub nudo, et aperto caelo. *bb*) Habites, degas. *cc*) Eundem in locum compellimur, Orcum nempe, ac tu-

Versatur *dd*) urna *ee*), serius, ocius
Sors exitura; et nos in aeternum
Exilium impositura *ff*) cymbae.

ODE IV. *Tiburtinae, et Tarentinae regionis amoenitatem laudat.*

SEptimi *a*), Gades *b*) aditure *c*) mecum, et
Cantabrum *d*) indoctum *e*) juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes *f*), ubi Maura *g*) semper
Aestuat unda;
Tibur *h*), Argeo *i*) positum colono *k*),
Sit meae sedes utinam senectae;

mulum. *dd*) Agitatur. *ee*) Suadet metri ratio vocem hanc in ablativo positam; ordinemque hunc esse: sors omnium, idest, moriendi fatalis hora, serius ocius exitura, versatur, et movetur in urna: nempe Jovis, aut judicum trium apud Inferos; qui finguntur a Poetis tabellas nominibus omnium hominum inscriptas movere in urna, sive cista; itaut ii moriantur primi, quorum nomina priora educta sint. *ff*) Et quae nos impositura est cymbae Charontis: ut in aeternum exsilium ab eo deportemur, nempe ultra Stigem, in Inferos.

a) Fuit ille Romanus Eques, idemque poeta bonus, Augusto carus, amicus Horatii. *b*) V. Od. 2. hujus libri. *c*) Qui mecum iturus es in Gades; nempe cum Augusto, qui anno U. C. 728. bellum Hispanis intulit: quo secuturi eum erant Septimius, et Horatius. Vel; qui paratus es me amicum tuum sequi in ultimas terrarum oras, etiam usque ad Gades, Syrtesque, etc. Et vero Augustus, Cantabros petens non videtur in Libyam, aut Gades iturus fuisse. *d*) Cantabri sunt Hispaniae populi, ubi nunc Biscaya, Hispanorum ultimi a Romanis domiti: eos Augustus debellavit, anno U. C. 741. Vide II. Indicem Odarum. *e*) Qui parere Romanis nondum didicit. *f*) Loca sunt arenosa et periculosa, in Africae litore. *g*) Proprie dicendum esset, Libyca: quia Syrtes duae, major et minor, procul absunt a Mauritania. *h*) Est urbs Italiae amoena, condita olim a Tibure, homine Graeco, qui Argis profectus in Italiam venit. *i*) Argivo. Argos est urbs primaria Peloponnesi. *k*) Colonus interdum est, qui agrum colit, agricola alias, ut hic, cum significat, qui ex urbe quapiam commigrat, ad aliam habitan-

Sit modus lasso *l*) maris, et viarum,
Militiaeque.
Unde *m*) si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus *n*) Galesi
Flumen, et regnata petam Laconi
Rura Phalanto *o*)
Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet *p*); ubi non Hymetto *q*)
Mella decedunt *r*), viridique certat
Bacca *s*) Venafro:
Ver ubi longum, tepidasque praebet
Iupiter brumas: et amicus Aulon *t*),
Fertili Baccho, minimum *u*) Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, et beatae
Postulant arces *x*): ibi tu calentem *y*)
Debita *z*) sparges lacryma favillam
Vatis amici.

dam. *l*) Fatigato maritimis itineribus: quando me satietas belli, et itinerum ceperit. Erat itaque tunc id aetatis Horatius, ut adhuc gerere bella, et itinera longiora posset suscipere; nempe annos admodum 40. natus. *m*) Quo ex loco, id est, a Tibure, si me Parcae prohibent, arcentque, petam flumen Galesum, celebre ob oves pellitas; petam agros, ubi Phalantus Lacon regnavit. Tarentum describit, prope Galesum flumen situm in Calabria. *n*) Oves Tarentinae, propter lanae bonitatem, pellibus et quasi vestibus integebantur, ne ipsarum lana inquinaretur. *o*) Lacedaemonius dux fuit, qui cum Spartanis Italiam petens, Tarentum occupavit. *p*) Placet. *q*) Mons est Graeciae, prope Athenas, ubi mel optimum, apes lectissimae. *r*) Inferiora, deteriora sunt, nihil cedunt melli Hymettio. Decedere, est locum alteri, ut nobiliori, cedere, inferiorem se fateri. *s*) Oliva: ubi olivae nascuntur pares Venafranis. Est Venafrum Campaniae in Italia oppidum, ubi olivae praestantes. *t*) Mons est vini ferax, in Calabria. *u*) Id est, uvas fert non deteriores iis, quae nascuntur in Falerno, monte Campaniae: invidetur enim melioribus. *x*) Colles, quibus Tibur est impositum. *y*) Meos cineres, cadaver recenti rogo ustum. *z*) Mihi propter amicitiam.

ODE V. *Pompejo Varo, in patriam post bellum civile redeunti, gratulatur.*

O Saepe mecum tempus *a)* in ultimum
Deducte, Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem *b)*
Dîs patriis, Italoque caelo,
Pompei, meorum prime sodalium?
Cum quo morantem *c)* saepe diem mero *d)*
Fregi, coronatus *e)* nitentes
Malobathro *f)* Syrio capillos.
Tecum *g)* Philippos, et celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula;
Cum fracta virtus *h)*, et minaces *i)*
Turpe solum tetigere mento.

a) Qui saepe adductus es mecum in ultimum vitae diem, et periculum, quando, Bruto et Cassio ducibus, contra Augustum arma ferebamus. *b)* Civem Romanum. Veniam ab Augusto impetraverat ille Varus; quam nisi exoravisset, exul, privatus jure civitatis, et hostis patriae vixisset. Merito igitur illi gratulatur Horatius, quod civitati et patriae redditus fuerit, et praeclarum illud Quiritis, seu Romani civis nomen recuperaverit. Quirites olim vocabantur Sabini, a Curibus, eorum urbe primaria: mox, ut, cum Romanis foedus icere, et in unum utrique populum coaluere; Quiritium nomen Romanis datum est, Liv. *c)* Longiorem, ut dies aestivi sunt: vel, qui mihi tecum epulari cupienti longus videbatur. *d)* Ita divisi, ut meliorem partem vino tecum, et poculis darem. Vide Oden 1 lib. 1. *Nec partem solido etc.* *e)* Subauditur, secundum, ut saepe fit apud poetas, Graeco more: habens caput floribus coronatum, et nitens, sive delibutum unguento Syrio. *f)* Est Malobathrum, folium quoddam, sive frutex, referens nardi odorem, cujus magna copia in Syria: exprimitur ex eo liquor, seu oleum odoratissimum. *g)* Interfui tecum pugnae commissae ad Philippos, urbem Thessaliae: tecum e praelio fugi, clypeo turpiter abjecto. Vide II. Indicem Odarum ad annum Urbis conditae 712. *h)* Quando nostri exercitus vires fractae fuerunt. *i)* Cum duces nostri, qui minas in Octavium, et Caesarianos jactabant, caesi fuere, ac in terram proni cecidere. Milites generosi, cum cadunt, solent humum dentibus mande-

Sed me per hostes Mercurius *k*) celer
Denso paventem sustulit aere *l*):
Te rursus *m*) in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.
Ergo obligatam redde Iovi dapem *n*);
Longaque fessum militia latus *o*)
Depone sub lauru mea *p*); nec
Parce cadis tibi destinatis.
Oblivioso levia *q*) Massico *r*)
Ciboria *s*) exple *t*); funde capacibus
Unguenta de conchis *u*). Quis udo
Deproperare *x*) apio coronas,
Curatve myrto? Quem Venus *y*) arbitrum

re, vel, prae dolore et rabie; vel, nequem gemitum sua fortitudine indignum edant. *k*) Virorum doctorum patronus. Horatius eruditioni suae, carminibusque acceptam retulit veniam, quam illi ab Augusto Maecenas impetravit: *l*) Circumfusa nube tectum. Sic Homerus fingit servatum Aeneam ab Apolline, Paridem a Venere etc. *m*) Tu caeso Bruto, et Cassio, ad Pompejum filium in Siciliam perrexisti, reliquias belli civilis persequens. Metaphora ducitur a Charybdi, quae naves ejectas resorbet; vel, a tempestate, quae naves, in litore tranquillo et vado positas, aliquando in altum abripuit. *n*) Epulum; Jovi, si redires in patriam, promissum sacrificium. *o*) Corpus; pars pro toto. *p*) Aliquam sui horti arborem indicat; vel, patrocinium Maecenatis significat, quo protectus: ut lauru salutari, fulmen, id est, iram Augusti effugerat. *q*) Attrita saepe bibendo: tersa et nitida. *r*) Vino Campaniae generoso; obliviosum appellat; quia malorum oblivionem affert vinum. *s*) Pocula capaciora. Ciborium nomen Aegyptium est, significans proprie florem, aut folium fabae Aegyptiae; quod folium instar galeri capax est, et ad cujus similitudinem pocula quaedam facta ciboria sunt appellata. *t*) Exhauri; vel, imple; utrumque enim vox ea significat. *u*) Vasculis e concha, vel in morem conchae factis. *x*) Cito contexere. Quis ex humido apio, vel e myrto, nobis coronas conficere properat, quibus utamur in conviviis? Vocat apium udum: vel, quia nascitur commodius in paludibus; vel, quia vini fumos caloremque mitigat. *y*) Quis nostrum erit, quem jactus Veneris magistrum convivii creabit, qui regna vini tesseris sortiatur? Nam id moris erat, ut sortirentur

Dicet *z)* bibendi ? Non ego satius *aa)*
Bacchabor *bb*) Edonis *cc*) : recepto
Dulce mihi furere *dd*) est amico.

ODE VI. *Monet amicum suum Valgium , ut mortem filii sui deflere aliquando desinat.*

NOn semper imbres nubibus *a*) hispidos *b*)
Manant in agros , aut mare Caspium *c*)
Versant inaequales *d*) procellae
Usque *e)* ; nec Armeniis *f*) in oris ,
Amice Valgi , stat glacies iners *g*)
Menses per omnes ; aut Aquilonibus
Querceta *h*) Gargani *i)* laborant *k*) ,
Et foliis viduantur *l*) orni.
Tu semper urges *m*) flebilibus modis

tesseris , quis bibendi esset arbiter. Venus vocabatur tesserarum jactus felicissimus , ac tesseras tres , singulas punctis sex notatas , ponebat ; infelicissimus contra , qui notatas afferebat singulas unico puncto , et canis vocabatur. In talis (quae ossicula vocant Galli) Venus , seu jactus ille felix , tum erat , cum tali quatuor , (totidem enim vulgo mittebantur) singuli diversis notati punctis jaciebantur. Vid. lib. 1. Od. 4. Porro Romani sorte eligebant aliquem in conviviis , qui compotoribus veluti praesideret; qui , quid , quoties, quomodo biberetur, ediceret; et ille arbiter bibendi dicebatur. *z*) Designabit ; constituet. *aa*) Aptius : *più acconciamente.* *bb*) Bibam. *cc*) Thracibus, qui bibaciores erant. Edon mons est Thraciae; unde vicini populi Edoni sunt vocati. *dd*) Largius potare.

a) E nubibus funduntur. *b*) Squallentes , tristes , pluviis deformatos. c) Supra Persidem est , in Asia ad Septentrionem. *d*) Inconstantes, modo atrociores, modo leniores: vel , quae maris aequabilitatem turbant. *e*) Semper. *f*) Armenia est regio Asiae, circa Taurum montem. *g*) Vel, quia glacies stat immobilis , et concreta; vel , quia frigus facit inertes. *h*) Loca quercubus consita. *i*) Mons est Apuliae. *k*) Vexantur , agitantur. *l*) Spoliantur , orbantur , *m*) Prosequeris , defles lugubri carmine. Erat enim iste T. Valgius poeta insignis, de quo Tibullus ita canit: *Valgius, aeterno propior non alter Homero.* *n*) Proprium est nomen pueri. *o*) Nec tuus luctus, ab amore pueri pro-

Mysten *n*) ademptum ; nec tibi *o*) Vespero *p*(
Surgente decedunt amores ,
Nec rapidum fugiente Solem.
At non ter aevo *q*) functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum *r*) senex
Annos ; nec impubem *s*) parentes *t*)
Troilon , aut Phrygiae sorores *u*),
Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum *x*) ; et potius nova *y*)
Cantemus Augusti tropaea *z*)
Caesaris ; et rigidum Niphaten *aa*) ;
Medumque *bb*) flumen gentibus *cc*) additum

fectus, decedit, cessat, quiescit, sero, nec mane; neque cum primum apparere Vesper incipit, neque cum apparere desinit, et fugit. *p*) Vesper, sive, Vesperus, aut Hesperus, Venus dicitur ab astrologis. Ea stella, cum circa Solem in orbem vertatur, modo illum sequitur, idest post Solem apparet, nempe Vesperi, et tum proprie Vesperus dicitur; modo antecedit, nempe mane; tuncque mutat nomen, et Eous, sive Lucifer, et Phosphorus appellatur. Fugere Solem dicitur hic ab Horatio, quia brevi obscuratur, Solè surgente, cui semper vicinus est. *q*) Nestor, qui tres hominum aetates vixit: nempe annos trecentos, ut quidam volunt; vel nonaginta, ut alii, qui aetatem definiunt spatio annorum 30. vel 33. *r*) Filium suum a Memnone interfectum, in bello Trojano. *s*) Juvenem, imberbem. *t*) Priamus, et Hecuba. *u*) Cassandra, Polyxena, Trojanae sorores Troili. *x*) Verba desinendi, apud Graecos, genitivo junguntur, quo more, vocem *desino* hic Horatius posuit. *y*) Augustus, circa annum U. C. 733. Armeniam a Parthis vindicavit; qui eidem signa militaria, Marco Crasso, et Antonio olim adempta reddiderunt. Paulo post hunc annum scripta est haec Ode. *z*) Tropaeum, seu Trophaeum erat monumentum victoriae, collocatum in eo loco ubi hostes fugere coeperant: quaenam esset ejus forma docet Virgil. initio lib. XI. Aeneidos.

aa) Armeniae fluvium, et montem: rigidus vocatur, idest gelu constrictus, nivibus abundans. *bb*) Medus est flumen Mediae: quae regio Persidi vicina est. Alii volunt Euphratem hac voce significari, qui Medus quoque dictus fuit proprio nomine; fortasse quia apud Medos, sive Babylonios, et Persas, erat celeberrimus. *cc*) Victum et domitum pariter cum

Victis, minores volvere *dd)* vortices;
Intraque praescriptum *ee)* Gelonos
Exiguis equitare campis.

ODE VII. *Diligenda mediocritas; animi aequitas ubique retinenda.*

RЕctius *a)* vives, Licini *b)* neque altum
Semper urgendo *c)*; neque, dum procellas *d)*
Cautus horrescis, nimium premendo *e)*
Litus iniquum *f)*.
Auream *g)* quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti *h)*
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Parthis, Scythis, Armenis. *dd)* Refer ad vocem quae praecessit, *cantemus*. Dicamus illud flumen quasi pudore suae cladis, et dolore affectum, lenius, et minori cum pompa fluere, nec tantos undarum vortices volvere. *ee)* Subaudi, spatium. Dicamus Gelonos, intra terminos sibi ab Augusto definitos se continere, neque ultra campos exiguos excurrere et equitare: quos ne praeterirent, vetuit. Geloni autem sunt Scythiae populi, qui se in Armeniam effuderant.

a) Tutius, tranquillius. *b)* Scripta fuit haec Ode ad Licinium Varronem Muraenam, ut habent optimi codices. Is fuit frater Terentiae, uxoris Maecenatis, et Proculeii, de quo mentio fit Ode 2. hujus libri. Licinii bona fisco addicta fuerant; quod partes Reip. contra Augustum secutus fuisset cum Horatius prudenter consolatur. Idem postea in Augustum cum Fannio Caepione conjuravit, anno U. C. 731. Itaque circa hunc annum Oden istam fuisse scriptam apparet, paulo ante initam ab eo conjurationem. *c)* Si navim in medium, et profundum mare propellas; id est, excelsa et magnifica consecteris, honores ambias, etc. *d)* Idest, pericula, quibus honores obsepti sunt. *e)* Legendo, stringendo. *f)* Asperum, periculosum, ob vada et saxa; id est, non amplectendo semper humilia, et abjecta, cum detrimento dignitatis: metu periculorum, quae magnis opibus, et honoribus adjuncta sunt. *g)* Pulcram, pietosam. *h)* Ille domum non habet sordidam, et neglectam, neque altam, et

Saevius ventis agitatur ingens
Pinus ; excelsae graviore casu
Decidunt turres ; feriuntque summos
Fulmina montes.
Sperat *i)* infestis , metuit secundis
Alteram sorte bene praeparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Iupiter ; idem
Summovet *k*). Non *l*) , si male nunc , et olim
Sic erit : quondam *m)* cithara tacentem
Suscitat Musam *n*) , neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus , atque
Fortis appare : sapienter idem
Contrahes *o*) vento nimium secundo
Turgida vela.

magnificam , cui invideri possit: sic ista sua sobrietate ac temperantia, tutum se et ab invidiae periculis, et ab avaritiae sordibus, incommodisque praestat. *i*) Pectus bene praeparatum , id est , animus , sive homo , ad utramque fortunam comparatus, moderatus, et sapiens , in rebus infestis, et adversis , sperat alteram sortem , hoc est , fortunam prosperam; et in secundis, metuit alteram sortem ; nempe fortunam adversam; eoque se metu ab insolenti laetitia temperat. *k*) Abigit , abducit , succedente vere. *l*) Si est tibi male nunc; non sic, id est , non eodem modo , non item male erit olim, idest, postea , in posterum. *m*) Apollo non semper exitialem arcum tendit , ut homines interficiat; sed interdum cithara canit, et feriatur cum Musis. Sol, immodico calore pestem, et perniciem afferens terris , arcu letali uti dicitur ab Homero. *n*) Silentes Musas , et quasi dormientes excitat , et ad canendum exemplo provocat. *o*) Debes contrahere, et colligere. Nautae, quando ventum , licet secundum, et faventem , vehementiorem tamen vident, contrahunt vela: sic tu, si sapis , te comprimes in rebus secundis, nec plus justo intumesces, ac faventi fortunae non nimis credes.

ODE VIII. *Omittendae curae inutiles : genio tantisper indulgendum.*

Quid bellicosus Cantaber *a)* , et Scythes ,
Hirpine Quincti , cogitet *b)* , Hadria
Divisus objecto *c)* , remittas *d)*
Quaerere ; nec trepides *e)* in usum *f)*
Poscentis aevi pauca. Fugit retro
Levis *g)* Iuventas , et decor ; arida
Pellente lascivos amores
Canitie *h)* , facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honor *i)*
Vernis ; neque uno Luna rubens nitet
Vultu : quid aeternis *k)* minorem
Consiliis animum fatigas ?
Cur non sub alta vel platano , vel hac
Pinu iacentes sic temere *l)* , et rosa

a) Hispaniae populus, ab Agrippa domitus, anno ab U. C. 734. Octo post annis circiter, Scythae bellum agitarunt. Vide Oden 4. hujus libri. Scythae sunt populi Europae, ad Septentrionem, ubi nunc est Polonia, Moscovia, etc. *b)* Moliatur in Romanos; quae bella meditetur. *c)* Mare Adriaticum, quasi vallum est objectum Scythis, ne impetum faciant in Italiam. Est Adria, sive Hadria, sinus maritimus inter Dalmatiam, et Italiam; ita dictus ab urbe ejusdem nominis, in intimo sinu, prope Venetias posita. *d)* Parcas, fugias: noli quaerere. *e)* Ne trepide, et anxie sic sollicitus. *f)* Id est, ad comparandas res utiles, et necessarias vitae, et naturae, quae pauca poscit, exiguo contenta est. *g)* Inconstans, stare din ac durare nescia. *h)* Senectute; quae quia siccior est, somnum difficiliorem facit: is enim humidis vaporibus maxime alitur, et fovetur. *i)* Pulcritudo. *k)* Ordo est: quid fatigas, et vexas animum tuum aeternis consiliis, quibus minor et impar est? Vocat aeterna consilia, ea quibus in futurum tempus infinitum prospiciunt homines, quasi semper victuri; cum vita et mens humana illis impar et minor sit: vita enim brevis est; animi vero consilia morte disturbantur. *l)* Ut casus tulerit, ut cuique libuerit. *m)* Erat enim jam senior Horatius, cum haec scriberet, annos natus jam 50. aut amplius. *n)* Habentes capillos rosis

Canos *m*) odorati *n*) capillos ,
Dum licet *o*) , Assyriaque nardo *p*) ,
Potamus uncti ? Dissipat Evius *q*)
Curas edaces. Quis puer ocius
Restinguet *r*) ardentis Falerni
Pocula praetereunte *s*) lympha ?

ODE IX. *Licymniam Maecenatis uxorem laudat.*

Nolis *a*) longa *b*) ferae bella Numantiae *c*)
Nec dirum Hannibalem *d*), nec Siculum *e*) mare
Poeno purpureum sanguine , mollibus
Aptari citharae modis :
Nec saevos Lapithas *f*) , et nimium mero *g*)
Hylaeum ; domitosve Herculea manu
Telluris iuvenes *h*) ,unde *i*) periculum
Fulgens contremuit domus *k*)

odoriferis coronatos. *o*) Per valetudinem, per aetatem. *p*) Unguenti pretiosi genus est, confectum e nardo planta Indica, quae in Syriam advecta , inde Romam deferebatur. *q*) Bacchus: vide lib. 1. Od. 16. *r*) Vinum Falernum temperabit, aqua admixta. *s*) Petita e vicino fonte, vel fluvio.

a) Ne me jubeas aptare modis citharae, id est, lyricis modis et versibus canere, bellum Numantinum, etc. *b*) Quae 9. annos tenuere. *c*) Urbs erat Hispaniae; a Scipione Africano excisa , postquam omnes ejus cives , nullo superstite , sibi necem conscivissent, an. U. C. 621. ab eversa per eundem Scipionem Carthagine 14. *d*) Qui causam et initium dedit bello Punico secundo, anno U. C. 536. ac post varias clades Romanis illatas , redire coactus est in Africam, quo bellum Scipio transportaverat: ibi ab eodem victus , ad Antiochum Syriae, tum ad Prusiam Bithyniae Regem fuit ; apud quem cum ne se quidem tutum putaret, sibi veneno mortem attulit anno U. C. 571. *e*) Siculi a Romanis saepe, imprimis bello primo Punico , victi navalibus proeliis fuere *f*) Thessaliae populos ; de quibus vide libri primi Oden 16. *g*) Vino largius austo ferum, et imponentem; erat Hylaeus unus e Centauris. *h*) Gigantes , maxime vero duos , Othum , et Ephialten, ceteris audaciores. Videtur Brutum , et Cassium

Saturni veteris: tuque pedestribus *l*)
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius; ductaque per vias *m*)
Regum colla minacium.
Me *n*) dulcis dominae *o*) Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum *p*),
Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam *q*) nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare ioco, nec dare brachia
Ludentem *r*) nitidis virginibus, sacro
Dianae celebris die.
Num tu *s*), quae tenuit dives Achaemenes,

istis verbis adumbrare: de quibus iterum agit fusius, eadem allegoria in lib. 3. Ode 4. De Gigantibus, et Saturno vide lib. 1. Metamorph. *i*) A quibus Gigantibus. *k*) Caelum. Vetus dicitur Saturnus, quia Deorum antiquissimus. *l*) Prosa scriptis. Oratio soluta pedestris dicitur; quia, licet suos quoque numeros et pedes habeat, non tamen habet ita sonantes, ac distinctos, ut poetica; quae non tam ire pedibus, quam cothurnis uti, et persultare quodammodo videtur. *m*) Romae: maxime per viam Sacram, per quam in Capitolium triumphantes vehebantur. Hinc intelligas hanc Oden non nisi post annum ab U. C. 724. fuisse scriptam: quo anno ter, tribus deinceps diebus Augustus triumphavit; prima die, de Dalmatis; altera, de Antonio, et Cleopatra; tertia, de Aegypto. *n*) Ordo est: Musa me voluit dicere, et omissis bellicis argumentis, celebrare potius Licymniae canoram vocem, formam, fidelitatem. *o*) Uxores vocari solebant dominae: ut e sexcentis Ovidii, et aliorum locis patet. Fuit illa Licymnia uxor Maecenatis, Proculeii, et Muraenae soror. *p*) Pro, lucide: neutra enim adjectivorum apud Latinos, itidem ut apud Graecos, saepe usurpantur pro adverbiis; sic, dulce ridens, pro dulciter: torva tuens, pro torve etc. *q*) Quae maxima cum dignitate saltat in choris, jocatus in circulis, cum virginibus movetur ad numerum, consertis in orbem brachiis, in Dianae festis. *r*) Saltantem. Sic Virgilius dixit, ludere in numerum, pro, saltare *s*) An velles dare, et permutare omnia, quae Achaemenes (Rex Persarum ditissimus) olim obtinuit, et possedit, aut opes Mygdonis Regis Phry-

Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes,
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos?

ODE X. *Dirae in arborem, cujus causa paene oppressus fuerat.*

ILle *a*) et nefasto *b*) te posuit die,
Quicumque primum, et sacrilega manu
Produxit, *c*) arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi,
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem *d*), et penetralia *e*)
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis: ille *f*) venena Colcha *g*),
Et quidquid usquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui statuit meo
Te triste lignum, te caducum *h*)
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, numquam homini satis

giae, aut Arabum divitias, pro uno Licymniae crine? Certe malles unum ejus crinem, quam illa omnia. Phrygia, Arabia, regiones Asiae.

a) O arbos, quicumque te sacrilega manu plantavit, in exitium, et opprobrium pagi, ille et te infausto die posuit, et, ut opinor, parentis sui cervicem fregit, etc. *b*) Infelici funesto. Apud Romanos alii dies fasti dicebantur, ii scilicet quibus lites agi fas erat, alii nefasti quibus forum clausum, nec Praetor seu Judex Urbanus fari poterat, et uti suis illis solemnibus verbis, *do*, *dico*, *addico*. Nefastus dies saepe accipiebatur pro funesto. *c*) Sevit, educavit, protulit. *d*) Gulam fregisse, strangulasse. *e*) Interiorem partem domus noctu inquinasse sanguine hospitis a se occisi. Jus hospitii maxime sanctum habebatur: itaque gravissimum erat scelus necare hospitem. *f*) Dixerat Horatius; satam arborem die infausto; nunc addit satam ab homine venefico. *g*) Colchis est Asiae regio, prope Pontum, ubi venena praesentissima nascuntur. *h*) Quod

Cautum *i*) est in horas *k*). Navita Bosporum *l*)
 Poenus *m*) perhorrescit; neque ultra *n*)
  Caeca *o*) timet aliunde fata:
Miles sagittas, et celerem fugam *p*)
Parthi; catenas Parthus, et Italum
 Robur: sed improvisa *q*) leti
  Vis rapuit, rapietque gentes.
Quam paene *r*) furvae regna Proserpinae *s*),
Et iudicantem vidimus Aeacum *t*),
 Sedesque *u*) descriptas *x*) piorum, et
  Aeoliis *y*) fidibus querentem *z*)
Sappho *a*) puellis de popularibus *b*);
Et te sonantem *c*) plenius *d*) aureo,
 Alcaee *e*), plectro dura navis,

cecidisti. *i*) Provisum est. *k*) Horis singulis. *l*) Est fretum angustum, et periculosum, inter Mare Aegaeum, et Propontidem, Hellespontus alio nomine. Non procul abest alius inter Propontidem, et Pontum Euxinum, ac Bosphorus Thracius dicitur. Denique est Bosphorus Cimmerius, inter Pontum Euxinum, et Meotidem paludem. *m*) Carthaginensis, pro quolibet ponitur navita. *n*) Praeterea. *o*) Inexpectata, ignota. *p*) Simulabant fugam Parthi et inter fugiendum arcu converso in hostem, ex humeris tela jaculabantur, quibus persequentes enecabant. *q*) Quam nemo certe potest providere, et prospicere. *r*) Nihil propius factum est, quam ut istius arboris casu interirem. *s*) Uxor Plutonis, Cereris filia. *t*) Tres erant apud Inferos noti judices; Minos, Aeacus, et Radamanthus. *u*) Campos Elysios. *x*) Illis a Plutone attributas. Legitur etiam, *discretas*, idest disjunctas, et separatas ab impiorum sedibus. *y*) Sappho fuit Poetria, oriunda e Lesbo insula, in qua urbes quaedam Aeolicae ditionis erant: itaque idem est hic, *Aeoliis*, atque Lesbiis. Aeoles autem Graeciae populi fuerunt, qui relicta patria, transierunt in Mysiam, regionem Asiae minoris, inter Troadem, et Joniam, ibique 12. urbes condidere. *z*) Ab iis enim multa in Sappho dicta erant contumeliose.

a) Est accusativus Graecus: Sapphonem. *b*) Ejusdem populi, et loci. *c*) Canentem. *d*) Alcaeus habet stilum grandiorem, et pleniorem quam Sappho; agit enim de rebus bellicis: et ipse gravia cum patriae suae tyrannis bella gesserat,

Dura fugae mala *f)*, dura belli.
Utrumque *g)* sacro *h)* digna silentio
Mirantur umbrae dicere: sed magis
Pugnas, et exactos *i)* tyrannos,
Densum humeris *k)* bibit aure *l)* vulgus.
Quid mirum *m)*? Ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps *n)*
Aures, et intorti capillis
Eumenidum *o)* recreantur angues?
Quin et Prometheus *p)*, et Pelopis parens *q)*,
Dulci *r)* laborum decipitur sono;
Nec curat Orion *s)* leones,
Aut timidos agitare lyncas *t)*.

interdum victor, interdum coactus fugere, etc. *e)* Fuit Alcaeus Poeta Lyricus, ejusdem insulae ac Sappho, et urbis Mitilenes civis, in eadem insula. *f)* Quae ipse vivus pertulerat, *g)* Sapphonem, et Alcaeum. *h)* Religioso, quali divinae res et sacrae audiuntur. *i)* Pulsos. Attentius audiunt Alcaeum, propter argumenti quod canit, gravitatem, cum describit pulsos e Lesbo Tyrannos, etc. *k)* Habens humeros densatos, et pressos, ut fit in conserta multitudine. *l)* Audit avide. *m)* Non est mirum illos audiri tam attente ab umbris Inferorum, siquidem ipse Cerberus, etc. *n)* Tria vulgo capita Cerbero effingunt Poetae, interdum centena, *o)* Furiarum. Graeca dictio Eumenides sonat *propitiae*, *placabiles*, et per antiphrasim de furiis dicitur, quae minime tales sunt, sed infestae et implacabiles. *p)* Japeti filius; qui quod ignem hominibus a Diis iratis ereptum restituisset, admota ad currum Solis taeda, detrusus est ad Inferos; ubi vultur ejus jecur immortale rodit. *q)* Tantalus, qui mediis in aquis sitit; Od. 3. lib. 4. *r)* Ordo est: laborum decipitur, id est, obliviscitur, seu nullo suarum poenarum sensu afficitur, dulci sono, hoc est, ob dulcia Alcaei carmina. *Decipi laborum*, graeca locutio est: apud Graecos enim verbum *decipi*, sumitur pro oblivisci, et genitivo jungitur. *s)* Venator, dum viveret, insignis, eandem artem apud inferos agitare dicitur; quam tamen libenter omittit, ut Alcaeum audiat. *t)* Lynx, fera est cervo similis, varia et maculosa pelle, oculis acutissimis.

ODE XI. *Brevitas vitae ; mortis necessitas*

Heu, heu ! Fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni ; nec pietas *a*) moram
Rugis, et instanti senectae
Afferet, indomitaeque morti.
Non, si *b*) trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem *c*)
Plutona tauris ; qui ter amplum *d*)
Geryonen, Tityonque tristi *e*)
Compescit *f*) unda *g*), scilicet omnibus,
Quicumque terrae munere *h*) vescimur,
Enaviganda *i*) ; sive Reges,
Sive inopes erimus coloni *k*).
Frustra cruento Marte *l*) carebimus,
Fractisque *m*) rauci fluctibus Hadriae ;
Frustra per autumnos nocentem *n*)
Corporibus metuemus *o*) Austrum.
Visendus ater flumine languido *p*)

a) Tua virtus et pietas senectutem, et mortem non retardabit. *b*) Non effugies mortem, vel si placare coneris Plutonem sacrificio quotidiano trecentorum boum. Legendum, autem, *trecenis*, non, *tricenis* : nam in, *tricenis*, prima syllaba est longa, ut in voce, *triginta*, ex qua adjectivum, *triceni*, formatum est. *c*) Activam ista vox habet hic significationem : nempe lacrymari nescium ; indocilem flecti lacrymis. *d*) Tricorporem. Fuit Geryon Hispaniae Rex, ut ajunt; qui, quod insulas tres, aut tres provincias obtineret, fictus est a poëtis habere tria corpora inter se juncta; ab Hercule occisum ferunt. *e*) Fuit Tityus unus e Gigantibus, de quo Virg. lib. 6. Ejus praecordia semper renascentia aquila lancinare fingitur *f*) Inclusos tenet, prohibetque ne ad Superos emergant. *g*) Nempe Styge, et aliis Inferorum fluviis. *h*) Pane, frugibus. *i*) Quam undam omnes debemus enavigare, *k*) Agricolae. *l*) A bello abstinebimus, et a navigatione. *m*) Agitati fluctus alliduntur, et franguntur ad litora; unde ingens murmur. De Hadria, vide Oden 8. hujus libri. *n*) Morbos enim humido calore, et febres affert.. *o*) Et quantum fieri potest, cavebimus ne noceat. *p*) Idest fluctus, motu

Cocytus *q*) errans, et Danai genus *r*)
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Aeolides *s*) laboris *t*).
Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te, praeter invisas cupressos *u*)
Ulla brevem *x*) dominum sequetur.
Absumet heres Caecuba *y*) dignior *z*)
Servata centum clavibus; et mero
Tinget *aa*) pavimentum, superbis
Pontificum potiore coenis *bb*).

ODE XII. *In saeculi sui luxum.*

IAm pauca *a*) aratro iugera regiae
Moles relinquent: undique latius

lento. *q*) Inferorum fluvius. *r*) Danaides, filiae Danai; quae quod suos sponsos Aegypti patrui sui filios, interemissent, ea damnati poena sunt, ut aquam immittant in dolium pertusum. Danaus, et Aegyptus, fratres fuere Beli Regis Aegypti. Danao 50. erant filiae, Aegypto filii totidem, qui filias Danai duxerunt, et ab iis omnes prima nuptiarum nocte sunt caesi praeter Lynceum, cui pepercit Hypermnestra. V. Od. 8. lib. 3. *s*) Aeoli filius; latrociniis infamis, in Tartaro saxum in cacumen montis propellit, quod semper sua sponte devolvitur, longo labore, et irrito. *t*) Verba accusandi, et damnandi, cum genitivo etiam ponuntur: damnari labore, et laboris. *u*) Cupressini rami figebantur pro foribus ejus domus, in qua quis diem obiisset: eodem ligno cadavera cremabantur. Caesa cupressus non revirescit aut repullulat: ita mortuus homo non revivisct. Hinc adhibita haec arbor in funeribus. *x*) Brevi tempore viventem. *y*) Vina generosa, nata in Caecubis agris Campaniae Italae. *z*) Te dignior, quippe qui utatur bonis, quibus tu male parcis. *aa*) Effundet in pavimentum, et disperdet. *bb*) Praestantiore vino quam quod in coenis pontificum apponitur. Salios intelligit, qui laute admodum, certis praesertim diebus, epulabantur. Vide Od. 30. lib. 1.

a) Aedificia superba, et magnis molibus ac substructionibus, Regiarum instar aedium, extructa, relinquent brevi pau-

Extenta visentur Lucrino *b*).
Stagna lacu ; platanusque caelebs *c*)
Evincet *d*) ulmos. Tum violaria *e*) , et
Myrtus *f*) , et omnis copia narium *g*) ,
Spargent olivetis *h*) odorem ,
Fertilibus domino priori :
Tum spissa ramis laurea *i*) fervidos
Excludet ictus *k*). Non ita Romuli
Praescriptum , et intonsi *l*) Catonis
Auspiciis *m*) , veterumque norma *n*).
Privatus illis census *o*) , erat brevis ,
Commune *p*) magnum *q*): nulla decempedis *r*)
Metata *s*) privatis opacam *t*)
Porticus excipiebat Arcton *u*) :

ca , quae arari possint , jugera. *b*) Erat in sinu Bajano, prope lacum Avernum. *c*) Quae vitibus non maritatur : sterilis. *d*) Emovebit , loco cedere coget : honore ac numero superabit ulmos ; quae quia fecundis vitibus sociantur, utiliores sunt platanis , quae opacitati et umbrae tantum serviunt. *e*) Loca violis consita. *f*) Est in plurali nominativo , quartae declinationis : eadem vox alias secundae quoque declinationis est. Hic autem ultima produci debet : atque adeo est quartae. Legitur tamen in multis codicibus : *tum violaria , myrtusque , et omnis etc.* *g*) Opes , ac divitiae narium , nempe flores , qui nares juvant , beantque : unde recte , et pulchre dici possunt , more ac jure poetico , opes narium. *h*) In locis, quae prius oleis erant consita , et fertilia , ac proinde utilia domino priori , nempe agricolae cuipiam , aut civi, qui ea conseverat oleis. *i*) Laurus. *k*) Solis radios ardentes. *l*) Impexi , barbati , et inculti , alieni ab omni luxu. *m*) Legibus , quae captis prius auspiciis ferebantur : vel , consiliis , et auctoritate : auspex enim is dicebatur , cujus ductu , et auctoritate fiebat aliquid. *n*) Consuetudine veterum , et moribus, qui recta nobis vivendi norma , et regula esse debent. *o*) Opes , res familiaris. *p*) Publica res , aedes , opes publicae et communes. *q*) Erat splendidum , et amplum. *r*) Decempeda , est pertica seu mensura 10. pedum : vocat illas privatas , quasi diceret , non habebant privati , ut nunc fit , porticus oppositas Septentrioni, et decempedis metatas. *s*) Emensa, mensurata. *t*) Idest umbrosam ; quia porticus Septentrioni obversa erat , unde Sol meridianus illam porticum non videbat. *u*) Significat ea vox pro-

Nec fortuitum *x*) spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu jubentes, et Deorum
Templa *y*) novo decorare saxo.

ODE XIII. *Animi tranquillitatem, non opibus aut honoribus, sed eorum contemptu comparari.*

OTium divos rogat in patenti
Prensus *a*) Aegaeo *b*); simul *c*) atra nubes
Condidit Lunam, neque certa *d*) fulgent
Sidera nautis:
Otium *e*) bello furiosa Thrace;
Otium Medi *f*) pharetra decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpura venale, nec auro *g*).
Non enim gazae *h*), neque consularis
Summovet lictor *i*) miseros tumultus

prie ursam, signum Septentrionale: in hoc vero loco significat ventum frigidum, a Septentrione, et Arcto flantem, quo aestivi calores lenirentur, et cui obversa erat porticus, ut exciperet auram frigidam. *x*) Leges jubebant non spernere cespitem fortuitum; id est, jubebant adhiberi, et praeferre sumptuosis lectis, ac sedilibus, cespitem forte oblatum, humum nudam, et gramineam, in qua jaceres, vel sederes, dormires etc. *y*) Nitido, recens secto saxo templa extruere; vel, jam extructis novum decus saxeis ornamentis, v. g. marmoreis, addere.

a) Homo, nauta, tempestate subita deprehensus, in vasto mari. *b*) Mare Aegaeum est inter Graeciam, et minorem Asiam. *c*) Simul atque, postquam. *d*) Quae illius cursum certo regere possint, quae certo, et constanter appareant. *e*) Subaudi, rogat Deos. Thrace autem idem est, ac Thracia, Europae regio, supra Graeciam, et Aegaeum mare sita, belli artibus clara. Sensus est: Thraces otium pariter expetunt. *f*) Prope Persidem habitabant in Asia. *g*) Quod otium emi non potest gemmis, auro, etc. *h*) Opes. Proprie vox ea significat Persarum thesauros. *i*) Erat publicus minister, qui Magistratibus praeibat, ac fasces praeferebat, etc. Illius munus erat submovere populum, ut eunti Consuli via

Mentis *k*), et Curas laqueata *l*) circum
Tecta volantes.
Vivitur *m*) parvo bene, cui paternum
Spendet *n*) in mensa tenui salinum *o*);
Nec leves somnos timor, aut cupido *p*)
Sordidus aufert.
Quid brevi *q*) fortes iaculamur aevo
Multa? Quid *r*) terras alio calentes
Sole mutamus? Patriae quis exsul *s*)
Se quoque fugit?
Scandit æratas *t*) vitiosa *u*) naves
Cura: nec turmas *x*) equitum relinquit,
Ocior cervis, et agente *y*) nimbos
Ocior Euro.

pateret, tumultum cohibere, etc. *k*) Metus: sollicitudines. *l*) Laquearibus pictis, aureis ornata; idest, domos divitum. *m*) Ordo est: ab illo vivitur bene, seu beate, in modica re familiari, et parvo sumptu, cui est salinum paternum, mundum, et nitidum, in tenui, et frugali mensa. Ille vivit felix, qui contentus est parvis opibus a parentibus acceptis, qui sobrius ac temperans est. *n*) Significat ea vox hominem ita frugalem, ut sordidus, et immundus non sit. *o*) Vasculum salis. In mensis veterum praecipua quadam religione sal apponebatur, et sacer esse putabatur. Ponitur hic salinum, pro cetera suppellectile. *p*) Avaritia. *q*) Cur in tanta vitae brevitate, multa fortiter, et animose, quasi diu victuri, molimur, et destinamus? Cur cogitationes ac desideria, ut jacula, in multas res intendimus? *r*) Cur quaestus, et lucri scilicet causa, migramus in longinquas oras, calidiores, aut frigidiores, ubi Sol proinde alius videtur esse, atque est in patria nostra, quam relinquimus? Quis patriam fugiens, et volontarïum quodammodo exilium suscipiens, se quoque, suas cupiditates, et curas fugere potest? Nemo certe. *s*) Cum patriam quis relinquit, sequuntur eum curae, et in eandem cum eo navim scandunt, etc. *t*) Rostra navium, seu prorae, et anteriores partes ære et ferro muniebantur. *u*) Vitiorum, et malarum cupiditatum proles, et comes. *x*) Nam, ut ait alibi, *Post equitem sedet atra cura.* *y*) Nubes propellente. Est Eurus, ventus flans ab Oriente.

Laetus *z*) in praesens animus, quod ultra est *a*)
Oderit *b*) curare; et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem *c*);
Longa Tithonum *d*) minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora *e*).
Te greges *f*) centum, Siculaeque *g*) circum
Mugiunt vaccae; tibi *h*) tollit hinnitum
Apta quadrigis *i*) equa; te bis Afro
Murice *k*) tinctae
Vestiunt lanae: mihi parva rura *l*), et
Spiritum *m*) Graiae tenuem Camenae

z) Animus sit contertus praesentibus, et laetus sua sorte, quaecumque obtigerit.

a) Quod futurum est. *b*) Fugiat, caveat. *c*) Vide lib. 1. Od. 5. 7. 9. 13. *d*) Fuit Tithonus, Aurorae maritus: cui cum vitam longissimam, imo ipsam immortalitatem, uxor a Jove exorasset, gravi, et molesta senectute confectus est; ita ut, exsiccato corpore, membrisque contractis, ab eodem Jove petierit ut in cicadam mutaretur. *e*) Occasio, tempus. Data occasione, fortunas, et commoda forte consequar, quae tu frustra speraveris, et quaesieris. *f*) Ordo est: circum te mugiunt centum greges. *g*) Pingues: quia in Sicilia erant laeta pascua: vel, quia Grosphus ipse, ad quem scribit, agros in Sicilia habebat. *h*) In tua commoda hinniens equa: vel, equa plurima in tuis gregibus tibi hinnit: quippe quae tua sit. *i*) Quadriga est currus quem trahunt quatuor equi; Quadrigis vulgo utebantur in Circo, ad certamina curulia. *k*) Pisciculo, cujus e sanguine, aut tabo, fit purpureus color; qui ut esset vividior et diuturnior, bis eo lanae tingebantur. In Africae autem litore, murices optimi capiebantur, ut in Tirio. *l*) Villam in agro Sabino. *m*) Ingenium aptum ad lyricos versus, Graecorum exemplo faciendos. Alcaeus enim, et alii, quos imitatus est Horatius, Graeci erant. Est autem hic ordo: mihi Parca dedit parva rura, et spiritum Grajae Camenae. Eadem mihi dedit spernere vulgus, hoc est hanc mihi facultatem, et laudem tribuit, ut a vulgo dissentiam, ejus de me

Parca non mendax *n*) dedit, et malignum
Spernere vulgus.

ODE XIV. *Maecenatem, de morborum et senectutis incommodis querentem, consolatur, eique se superstitem fore negat.*

CUR me querelis *a*) exanimas tuis?
Nec Dis amicum est, *b*) nec mihi, te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
Ah! te meae si partem animae *c*) rapit
Maturior vis *d*), quid moror *e*) altera *f*),
Nec carus aeque, nec superstes *g*)
Integer? Ille dies utramque *h*)
Ducet ruinam. Non ego *i*) perfidum
Dixi sacramentum *k*): ibimus, ibimus,
Utcumque *l*) praecedes *m*), supremum
Carpere iter comites parati.

opinionem spernam. *n*) Quae meis votis respondet: vel, quae falli non potest, si quid statuerit: ita ut tali sit quisque indole, ac ingenio, quali eum esse Parcae voluerint, neque alio esse possit, quam illae statuerint.

a) Maecenas, cum incommoda uteretur valetudine, queri solitus erat de morbi, vel etiam de vitae diuturnitate, quae molesta aegrotis, aut parum valentibus esse solet. *b*) Gratum est. *c*) Virgilium alibi vocat animae dimidium suae. *d*) Mors maturior, quam mea; vel, semper maturior, quam Reipublica utilitas postulet. *e*) Cur vivere diutius amem ego, qui non ero deinceps, postquam scilicet vivere desieris, aeque carus Augusto, et Romanis, ac sum, dum vivis tu, qui es praesidium, et dulce decus meum? Vel, qui non sum mihi ipsi aeque carus, atque tu mihi es? *f*) Ego altera pars animae meae, cum tu altera sis. *g*) Et qui non sum futurus integer, si superstes sum, si, te extincto, pergam vivere, siquidem dimidiam animae meae partem, te mortuo, perdam. *h*) Utramque, te et me, sternet, obruet, sepeliet. *i*) Non temere juravi, non animo perfido, et pejerare volens promisi nos una ituros ad tumulum. *k*) Proprie est juramenti formula, quam dicunt milites, cum nomen militiae dant. *l*) Quandocumque. *m*) Prior e vita migrabis,

Me nec Chimaerae *n*) spiritus *o*) igneae ;
Nec, si resurgat, centimanus Gyges *p*),
Divellet *q*) unquam : sic potenti
Iustitiae *r*), placitumque Parcis.
Seu Libra *s*), seu me Scorpius adspicit *t*)
Formidolosus *u*), pars violentior *x*)
Natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus *y*) undae ;
Utrumque *z*) nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Iovis *aa*) impio
Tutela Saturno refulgens *bb*)
Eripuit, volucrisque Fati *cc*)
Tardavit alas ; quum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus *dd*) illapsus cerebro
Sustulerat *ee*), nisi Faunus *ff*) ictum

n) Fuit mons in Lycia flammas evomens : monstrum finxerunt Poetae, capite leonino, caprino ventre, draconis cauda. *o*) Halitus, flatus. *p*) Unus e Gigantibus, quem centum habuisse manus fingunt Poetae. *q*) A te separabit. *r*) Quasi postularet aequitas ac justitia, ut duo amici conjunctissimi nonnisi eodem tempore morerentur. *s*) Sunt duo signa caelestia, septimum, et octavum in Zodiaco. *t*) Mihi nascenti praefuit. *u*) Metuendus, gravis. *x*) Qui Scorpius, ex omnibus astris, quae locum in meo habent horoscopo, (id enim sonat *hora natalis*) est inimicissimum sidus. *y*) Signum decimum Zodiaci. Putant astrologi Capricornum Occidentali terrarum parti maxime dominari, vimque in ea suam imprimis exercere, tempestates excitando, etc. unde dicitur hic tyrannus maris Hesperii, idest, Occidentalis, ab Hespero, stella vespertina. *z*) Ordo est : sive ego sub Libra, sive sub Scorpio natus sim ; certe astra, quae nostrae nativitati praefuerunt, valde inter se consentiunt. Probat hoc a gemino eventu.

aa) Te patrocinium Jovis, oppositi Saturno, eripuit morti. *bb*) Contra fulgens ; radios Saturni radiis oppositos emittens, ejusque vim impiam, ac malignam refringens, ac retundens. Impius Saturnus vocatur quia liberos devorabat, ut Poetae canunt. *cc*) Mortis. Ereptus e gravi morbo Maecenas fuerat; idemque paulo post, cum in theatrum prodiisset, laeta gratulantium civium acclamatione acceptus est. Valetudinem ejus tribuit Horatius propitio Jovi. *dd*) Vide Oden 10. hujus libri. *ee*) Procul dubio occidisset. *ff*) Horatius suam salu-

Dextra levasset, Mercurialium *gg)*
Custos virorum. Reddere victimas,
Aedemque *hh)* votivam memento:
Nos humilem *ii)* feriemus agnam *kk)*.

ODE XV. *Se parvo contentum vivere: alios, mortis instantis oblitos, nullum aedificandi, agros continuandi, etc. finem facere.*

NON ebur, neque aureum
Mea renidet *a)* in domo lacunar *b)*:
Non trabes Hymettiae *c)*
Premunt columnas ultima recisas
Africa *d)*; neque Attali *e)*
Ignotus heres regiam occupavi;
Nec Laconicas *f)* mihi
Trahunt *g)* honestae purpuras clientae *h)*.

...em ita Fauno tribuit, ut astrorum vi benigna factum esse velit, quod servatus a Fauno fuerit: quemadmodum Maecenatis valetudinem medicorum ac remediorum ope quaesitam, Jovi tribuit. Mentionem porro Fauni facit hoc in loco, quia casus ille arboris contigit ruri. *gg)* Eruditorum, qui sunt in tutela Mercurii, eloquentiae praesidis. Faunus autem Mercurii est amicissimus, ac Bacchi; cui Baccho cari etiam Poetae sunt. *hh)* Templum voto, si convalesceres, promissum. *ii)* Tenuem victimam meis fortunis congruentem. *kk)* Quae hostia Fauno immolari solita erat.

a) Splendet, ridet. Sic alibi dixit, ridet argento domus. *b)* Idem est quod laquear. Ital. *sfondo*, *soffitto*, *cielo della stanza*. *c)* Caesae in silvis montis Hymetti, in Attica. *d)* In Numidia, ubi marmor eximium. *e)* Fuit ille Pergami in Asia Rex, Eumenis filius; qui cum sine liberis moriens Romanum populum heredem suum instituisset, Aristonicus, Eumenis ex pellice filius, invasit Asiam, et Regiam Attali, licet heres ab eo non dictus: unde ignotus hic ab Horatio vocatur. Sed eum Perpenna Consul profligavit, anno U. C. 624. Nonnulli hoc interpretantur de ipso populo Romano, qui Attali hereditatem adiit, ignotus heres, idest, non propinquus, non affinis. *f)* Lanas tinctas apud Taenarum, Laconiae in Peloponneso promontorium, ubi eximius capiebatur murex. *g)* Nent, ducunt. *h)* Feminae hone-

At fides, et ingeni
Benigna vena *i*) est ; pauperemque dives
Me petit *k*) : nihil supra
Deos lacesso *l*) : nec potentem amicum *m*)
Largiora flagito ,
Satis beatus unicis Sabinis *n*).
Truditur *o*) dies die ,
Novaeque pergunt interire Lunae :
Tu secanda *p*) marmora
Locas sub ipsum funus ; et , sepulcri
Immemor , struis domos ,
Marisque Baiis obstrepentis *q*) urges *r*)
Summovere *s*) litora ,
Parum locuples continente ripa *t*).
Quid , quod usque proximos
Revellis agri terminos , et ultra
Limites clientium
Salis *u*) avarus ? Pellitur paternos

sto loco natae , quarum ego patronus sim. *i*) Copia non poenitenda. Ducitur metaphora a fontibus, qui si uberiores sunt, benigna et divite vena fluere dicuntur : vel , a metallis , quorum venae aliae latiores , et ampliores , aliae angustiores . *k*) Me ambit , consulit , colit ; ego pauper , ob fidem et ingenium , divitibus in honore , et pretio sum. *l*) Flagito . *m*) Maecenatem v. g. *n*) Villa mea , in agro Sabino. *o*) Expellitur et decedit , alio die ipsi succedente *p*) Tu , o quisquis es , sub ipsam mortem , paulo ante obitum qui tibi imminet , conducis homines , qui secent tibi marmora , struendis novis domibus. *q*) Bajas alluentis. Ad sinum Bajanum , non procul Neapoli , propter amoenitatem loci , aedes multae visebantur , a nobilibus extructae. Potest etiam dici mare obstrepere Bajis , idest , conqueri et infremere , quod sua sibi eripiantur litora , et angustiores termini dentur. *r*) Festinas *s*) Ulterius protendere , jactis molibus , quae mare arceant , et removeant , litus vero promoveant , et proferant. Proprie non summoventur litora, sed mare in litore positum , quod propellitur. *t*) Non satis habes si ripam continentem possideas : occupas etiam litus excluso , et emoto mari. Terra continens ea vocatur, quae in insula non est; ital. *terra ferma*. *u*) Transilis , transgrederis. Porro a te vicinorum et clientium

In sinu ferens Deos
  Et uxor, et vir, sordidosque *x*) natos.
Nulla *y*) certior tamen,
  Rapacis Orci fine, destinata
Aula divitem manet
  Herum. Quid ultra tendis *z*)? Aequa tellus
Pauperi recluditur *aa*),
  Regumque pueris: nec satelles Orci *bb*)
Callidum *cc*) Promethea
  Revexit, auro captus. Hic superbum
Tantalum *dd*), atque Tantali
  Genus *ee*) coercet *ff*): hic levare *gg*) functum

agros invadente, pellitur paterna domo, eliminatur, etc. *x*) Inopes et pannosos, quippe a te spoliatos: vel, paedore, et illuvie foedos, ut agrestium pueruli sunt. *y*) Ordo est: tamen aula nulla, domus nulla manet, hoc est, expectat divitem herum, certior sede, et aula Orci, seu Plutonis rapacis, ipsi destinata. Quamlibet magnificas, et amplas domos aedificet ille dives clientium vexator, tamen nulla domus illi certius obventura est, quam domus Orci, qui omnes ad se rapit; quae domus finis est, et postrema omnium domorum. Pro, *fine*, legunt aliqui, *sedes*: eodem autem sensum: nempe quia tumulus et Orci domus, est finibus ultimus, et domus postrema mortalibus destinata. *z*) Moliris: vel, cur agros aliis alios adjicere pergis?

aa) Aperitur. Tumulus Reges, ac pauperes perinde accipit. *bb*) Charon Inferorum custos, et portitor, ac Plutonis quasi satelles. *cc*) Prometheus callidus dicitur; quia caelestem ignem astu e caelo in terras detulit, inscio Jove; a quo eam ob rem detrusus est in Inferos, et vulturi traditus, fecunda in poenas viscera devoranti. Vide Oden 7. lib. 4. *dd*) Is, prae superbia, Deos, quos ad convivium vocaverat, falli a se posse speravit, illisque Pelopem filium suum caesum coctumque apposuit: id revera Cererem latuit, quae illius humerum comedit: sed Jupiter Pelopem luci redonavit, et loco humeri a Cerere comesi, eburneum ipsi humerum indidit. *ee*) Atreum, Thyestem, Agamemnonem. Od 5. lib. 1. *ff*) Continet ne fugiant. *gg*) Charon, vel Mors, audit levare. id est, audit ut levet, Graeca phrasi, vel vocatus levare, idest, rogatus levare, audit pauperem, etc. praesto est ad levandos pauperes, et liberandos ab aerumnis, quas perferunt in vita, sive ab iis vocetur, sive non vocetur: cum con-

Pauperem laboribus
Vocatus, atque non vocatus, audit.

ODE XVI. *Bacchi laudes.*

BAcchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, (credite posteri)
Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas *a*).
Evoe! *b*) Recenti mens *c*) trepidat metu,
Plenoque *d*) Bacchi pectore, turbidum
Laetatur. Evoe! Parce, *e*) Liber *f*)!
Parce, gravi metuende thyrso *g*)!
Fas *h*) pervicaces *i*) est mihi Thyiadas *k*),
Vinique fontem *l*), lactis et uberes
Cantare rivos, atque truncis

tra divites ad graviores tantum poenas abripiat invitos, et ab iis profecto non vocatus.

a) Ad audiendum erectas: pinguntur Satyri cum auriculis grandioribus, et in acumen desinentibus. *b*) O Bacche; dictus est Evius, a Jove, cum rem in Gigantes strenue gereret. Vide lib. 1. Oden 16. *c*) Adhuc attonitus sum, et sacro quodam horrore percitus, nempe ob visum Numen. *d*) Ordo est; et mens turbidum (est hic neutrum, adverbii loco positum) laetatur, pectore pleno Bacchi, quia pectus plenum est Bacchi, seu Baccho; idest; meum pectus insidet, implet Bacchus, et mentem non satis sui compotem, metu laetitiaque perfundit. *e*) Veniam petit, metuens ne quid in Bacchum peccaverit, quem aspicere cum Satyris, et audire tam fidenter sit ausus, vel; rogat ne ab eo agatur in furorem, ac dementiam; quaedam enim Numina, ut Diana, Bacchus, Nymphae, etc. furorem immittere putabantur, si quis ea videret. Porro ut Bacchum iratum quasi demulceat, promittit se illius laudes cantaturum. *f*) Sic vocatur Bacchus, quia magna est in vino libertas, et licentia. *g*) Est hasta pampinis involuta, qua Bacchus armatur. *h*) Quoniam impune Bacchum vidi, et ejus Numine sum afflatus, licet mihi, tuto possum, ejus laudes canere, sacra describere. *i*) Protervas, petulantes. *k*) Bacchas, Maenadas, a voce Graeca, quae significat, currere furentis in morem. *l*) Haec omnia Bacchus fecisse dicebatur, cum ex Indiis rediret in triumphantis morem; nempe vini fontes in siccis agris

Lapsa cavis iterare *m*) mella :
Fas et beatae coniugis *n*) additum
Stellis honorem, tectaque Penthei *o*)
Disjecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi *p*).
Tu flectis amnes *q*), tu mare barbarum *r*):
Tu separatis *s*) uvidus *t*) in iugis
Nodo *u*) coerces viperino
Bistonidum sine fraude *x*) crines.
Tu, quum Parentis *y*) regna per arduum *z*)
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum *aa*) retorsisti *bb*) leonis
Unguibus, horribilique mala *cc*):
Quamquam *dd*) choreis aptior, et iocis,

elicuisse, et lactis rivos, etc. *m*) Iterum atque iterum canere dicendo ingeminare. *n*) Coronam nuptialem Ariadnes, quam stellis inseruisti, cum illam a Theseo desertam duxisti. Erat Ariadne filia Minois, et Pasiphaes: cujus ope Theseus evasit e Labyrintho Cretensi. Is eam abductam postmodum in insula Naxo destituit; mox a Baccho in uxorem ducta est. *o*) Pentheus, Rex Thebarum, quia Bacchum spreverat, a matre, per Bacchum in furorem acta, discerptus est, et ejus Regia eversa. *p*) Rex Thraciae fuit: qui, cum vites tota regione jussisset excindi, a Baccho in furorem actus, et oculis privatus est. *q*) Indum, et Gangem, fluvios Indiae, (de qua Bacchus triumphavit) domas, et servire tibi cogis. *r*) Indicum. *s*) Remotis, secretis. *t*) Vino madidus. *u*) Crines Baccharum, quae Bistonides dicuntur. Bistonis mulierem Thraciam significat: Bistones sunt pupuli Thraciae vino, et Baccho dediti. Religas serpentibus, et in nodum colligis. Maenades, et ipse Bacchus, pingebantur anguibus coronatae. *x*) Ita ut illi angues nihil noceant Bistonidibus. Fraus, etiam apud Ciceronem, saepe pro periculo, ed damno ponitur. *y*) Jovis. *z*) Subaudi, iter, per montes, alios aliis aggestos.

aa) Unum e Gigantibus. *bb*) Tu, in leonem conversus, repulisti, et dejecisti Caelo, redire ac fugere coegisti Rhoetum, etc. *cc*) Maxilla, dentibus leonis, quibus eum lacerasti. *dd*) Etsi vulgo existimatus aptior choreis, et jocis, dicebaris, non adeo esse ad pugnam idoneus; tamen tu idem medius inter bellum et pacem eras, idest, aeque ad utrumque comparatus, et pace et bello bonum te esse ostendebas. Vinum nunc feroces mitigat, nunc mites efferatos reddit.

Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnae ferebaris; sed idem
Pacis eras, mediusque belli.
Te vidit insons *ee*) Cerberus aureo
Cornu decorum *ff*), leniter atterens *gg*)
Caudam; et recedentis *hh*) trilingui *ii*)
Ore pedes, tetigitque crura.

ODE XVII. *Horatii in cygnum metamorphosis, et immortalitas.*

NON usitata *a*), nec tenui ferar
Penna, biformis *b*) per liquidum aethera
Vates: neque in terris morabor
Longius; invidiaque major *c*)
Urbes relinquam *d*). Non ego, pauperum
Sanguis *e*) parentum, non ego, quem vocas *f*)
Dilecte, Maecenas, obibo;
Nec Stygia *g*) cohibebor unda.

ee) Tibi innoxius. Bacchus Inferos petivit, ut Ariadnam uxorem eriperet. *ff*) Baccho dantur cornua: quia vinum robustos, et pugnaces facit. *gg*) Humum identidem cauda terens, ex verberans; ut canes dominis blandientes solent. *hh*) Ex inferis. *ii*) Quia Cerberus est triceps.

a) Non mutabor in Cygnum vulgarem, ut plebeii Poetae, non induam breves, et humiles pennas, quibus illi solent volare. His verbis innuit se gloria et fama ipsos superaturum. Ordo autem est: ego, vates biformis ferar per aethera, non usitata, aut tenui penna. *b*) Ex homine mutatus in Cygnum; qui duplicem formam, seu naturam habuerim, hominis antea, jam alitis, et cygni. *c*) Superans invidiam. Illis porro solis non invidetur, quorum virtus et gloria, omnium consensu, extra communem sortem, et aleam est. *d*) Aethera petens. *e*) Proles, genus. *f*) Quem ita compellare soles: O dilecte Horati. Vel, non ego, quem vocas, et familiariter appellas pauperum sanguinem parentum, et libertino patre natum: ita enim per jocum et amicitiam a dilecto Maecenate vocabatur aliquando: vel quem vocas, idest, quem domum tuam saepe vocas, quem adhibes familiariter. *g*) Non petam Inferos, non moriar. Styx novies interfusa cohibet, seu coercet Manes, ne ad Superos regredi pos-

Iam, iam residunt *h*) cruribus asperae *i*)
Pelles ; et album mutor in alitem *k*)
Superne *l*) ; nascunturque leves
Per digitos , homerosque plumae.
Iam Daedaleo *m*) ocior Icaro ,
Visam *n*) gementis *o*) litora Bospori ,
Syrtesque Gaetulas , canorus
Ales , Hyperboreosque *p*) campos.
Me Colchus *q*), et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis , *r*) Dacus *s*) , et ultimi
Noscent Geloni *t*) ; me peritus
Discet Iber *u*) , Rhodanique potor *x*) .
Absint *y*) inani *z*) funere neniae ,
Luctusque turpes *aa*) , et querimoniae :
Compesce clamorem *bb*), ac sepulcri
Mitte *cc*) supervacuos honores.

sint. *h*) Adhaerescunt. *i*) Instar squamularum, quibus cygnorum crura teguntur. *k*) Cygnum. *l*) Id est, circa superiores partes; alas, et tergum albis decorum plumis, induo. Legi volunt quidam, *superna*, ita ut neutrum sit plurale, pro adverbio positum, Graeco more : sed minus commode; tum ob asperiorem pronunciationem, quae oriretur ex prima syllaba sequentis vocis; tum quod ultima syllaba in *superne*, sit brevis, teste Lucretio. *m*) Filio Daedali, qui pennas sibi aptavit, etc. *n*) Volando petam. *o*) Ob procellas, quae in eo frequentes excitantur. De Bosphoro, vide Oden 10. hujus libri; de Syrtibus. Od. 4. *p*) Septentrionales, Boreae subjectos. *q*) Populus Asiae, juxta Pontum, ad quem Jason cum Argonautis navigavit. *r*) Marsi erant Italiae populi, qui pedestri pugna imprimis valebant. Cohors est pars legionis; legio sex fere militum habebat millia; in ea cohortes erant decem. *s*) Europae populus ad Septentrionem: ea regio continet nunc Bulgariam, Valachiam, Moldaviam, Serviam, etc. *t*) Scythis erant vicini, ad Septentrionem. *u*) Hispanus, ab fluvio Ibero sic dictus. *x*) Galli. Rhodanus fluvius est Galliae Lugdunensis. *y*) Noli, o Maecenas, tristibus neniis meum funus prosequi. Nenia est cantus lugubris. *z*) Quia mihi, mutato in cygnum, inutile funus erit, ubi nullum cadaver, nullus mortuus; ero enim immortalis. *aa*) Indigni me, qui semper victurus sum. *bb*) Magna voce mortuos valere extremum jubebant. *cc*) Omitte.

Q. HORATII FLACCI ODARVM
LIBER TERTIVS

ODE I. *Haec Ode varia morum praecepta continet, atque illud in primis, vitam beatam non opibus, et honoribus parari, sed sola virtute.*

ODI profanum *a*) vulgus, et arceo:
Favete linguis *b*) : carmina non prius *c*)
Audita, Musarum sacerdos *d*)
Virginibus *e*), puerisque canto.
Regum *f*) timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari *g*) Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Est, ut *h*) viro vir *i*) latius *k*) ordinet

a) Mysteria verae virtutis, ac philosophiae explicaturus, homines pravis opinionibus imbutos, et ad haec audienda minus idoneos arceo. Profanus proprie dicitur, qui a fano, et sacris arcendus est, non sacer, non religiosus, non initiatus. *b*) Attendite cum silentio; vel bona verba dicite, ευφημειτε. vos qui non estis profani. Porro haec verba, *favete linguis*, usurpabantur in sacrificiis: iisque homines jubebantur attendere, nihil dicere obscoenum, sed bona verba. *c*) Propter rerum, quas continent, dignitatem, et utilitatem. Sic attentio conciliatur. *d*) Dicuntur poetae Musarum esse sacerdotes, et aeditui. *e*) Vel, et virginibus, et pueris recitanda, ut eorum animis, adhuc teneris et mollibus, altius inhaereant: vel, ad iisdem audienda diligentius, quibus esse possunt utiliora, et quorum aetas facile ad virtutem fingi, et erudiri potest. *f*) En illa, quae promisit, praecepta et mysteria. Quorum primum spectat pietatem erga Superos, et Reges: alterum, moriendi necessitatem, etc. Ordo est: imperium Regum est in proprios greges, idest, in populos ipsis subditos; Jovis in Reges: imperant hominibus Reges, Regibus Deus. *g*) Qui Jupiter insignem gloriam retulit, Gigantibus debellatis. *h*) Contingit, ut etc. *i*) Alius alio: hic illo. *k*) Agros latiores, praedia lautiora possideat, in quibus, per sulcos, et scrobes humi factas, arbores in quincuncem, v. g. digerat, ac describat. Vites maxime intelli-

Arbusta sulcis ; *l*) hic generosior *m*)
Descendat in campum *n*) petitor *o*) ;
Moribus hic *p*) meliorque fama
Contendat ; illi *q*) turba clientium
Sit maior : aequa *r*) lege Necessitas *s*)
Sortitur *t*) insignes , et imos *u*) :
Omne capax *x*) movet *y*) urna nomen.
Districtus *z*) ensis cui super impia
Cervice *a*) pendet, non Siculae *b*) dapes
Dulcem elaborabunt *c*) saporem ;
Non avium , citharaeque cantus
Somnum reducent *d*) . Somnus agrestium *e*)

guntur; quae sulcis, et fossis deponuntur. *l*) Alius quispiam. *m*) Nobilior, clarioris generis, quam sui competitores. *n*) Martium, prope Romam ad Tiberim. Eo populus conveniebat, ad ferenda suffragia, et creandos Magistratus. Porro cum Roma in collibus , et loco editiore esset posita , discendendum erat in campum Martium , in declivi et plano loco, ad ripam Tiberis positum. *o*) Honorum. Candidatus . *p*) Alter quispiam contendat cum aemulis suis, et rivalibus candidatis, melior, idest, praestantior , ob mores, et famam. *q*) Ut alius plures alio habeat clientes. Quinam sint clientes, qui patroni, saepe antea dictum. *r*) Aequali. *s*) Fatum , mors omnibus obeunda . *t*) Sorte quasi jacta deligit , et leto destinat : ex urna quasi educit eorum nomina. Vide lib. 2. Od. 3. *u*) Ignobiles, obscuro loco , et humili natos. *x*) Ampla. *y*) Vide lib. 2. Ode 3. *z*) Nudatus. Ordo est, non dapes Siculae gustum , et edendi appetentiam afferent , aut somnum conciliabunt ei , cui super capite pendebit ensis nudus. Respicit historiam Damoclis. Erat ille Dionysii , Siciliae Tyranni , aulicus et assentator : cujus cum felicitatem, et conditionem praeter modum laudaret, Dionysius, ut eum dedoceret, jussit hominem accumbere ad Regiam mensam , et ut Regem tractari ; sed supra illius caput ensem nudum, equina seta appensum demitti voluit : quo metu Damocles ita exanimatus est, ut ne cibos quidem attigerit. Vide Ciceronem 5. libro Quaest. Tusc.

a) Vel , de Damocle ipso loquitur , vel , de scelerato , et impio quolibet ; qui si videret imminentem capiti gladium , non secus ac Damocles perturbaretur. *b*) Instructae à Dionysio, Rege Siciliae : vel exquisitae, et magnificae: erant enim Siculi in conviviis lautissimi. *c*) Efficient , provocabunt. Difficultatem et molem rei vox ea indicat. *d*) Quem

Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe *f*).
Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat *g*) mare,
Nec saevus Arcturi *h*) cadentis
Impetus, aut orientis Haedi *i*):
Non verberatae grandine vineae,
Fundusque mendax *k*); arbore *l*) nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta *m*) pisces aequora sentiunt,
Iactis in altum molibus: huc *n*) frequens
Caementa *o*) demittit redemptor *p*)
Cum famulis, dominusque *q*) terrae
Fastidiosus *r*): sed Timor, et Minae *s*)

metus abstulit. *e*) Ordo est: lenis somnus non humiles domos virorum agrestium spernit, id est, ultro illas subit. *f*) Amoenae valles erant, et sylvae, in Thessalia. *g*) Sententia est: eum, qui desiderat quod ad vivendum satis est, qui parvo contentus est, non sollicitat, non anxium, et sollicitum reddit mare procellosum, non terrent procellae; quia non se committit periculosae navigationi, lucri causa. *h*) Est Arcturus signum Ursam consequens, et quasi ejus custos; quod Graeca vox ipsa significat: dicitur etiam Arctophylax. *i*) Haedus gemina stella est, in sinistra manu Aurigae, sive Erichthonii. Cum Haedi oriuntur, magnas cient procellas; ut Arcturus, cum occidit. *k*) Sterilis: qui spem agricolae fallit. *l*) Arboribus, sterilitatis suae culpam conferentibus, modo in aquas et imbres nimios, modo in calores, ab sideribus agros torrentibus, id est urentibus, profectos, modo in hiemes asperas. Hoc autem arboribus Poeta tribuit, quasi essent sensu, et intelligentia praeditae; quod magnam habet in elocutione dignitatem. *m*) Quae ob jactas in mare moles, angustiora facta sunt. Queruntur pisces, quod sua regna homines usurpent, etc. Est autem moles, pila saxea. *n*) In altum mare. *o*) Lapidum caesorum fragmenta, rudia et impolita: sic vocatur materia illa omnis, quae ad substructiones, operumque fundamenta, e rudi saxo plerumque adhibetur. *p*) Qui opus aliquod faciendum, v. g. domum, aggerem, suo periculo, certa mercede pacta, conducit, et in se recipit. *q*) Herus aliquis, homo nobilis. *r*) Qui fastidit ter-

Scandunt *t)* eodem, quo dominus; neque
Decedit *u)* aerata *x)* triremi, et
Post equitem *y)* sedet atra Cura.
Quod si dolentem *z)* nec Phrygius lapis *aa)*
Nec purpurarum *bb)* sidere clarior
Delinit *cc)* usus, nec Falerna
Vitis, Achaemeniumque *dd)* costum *ee)*;
Cur invidendis *ff)* postibus, et novo
Sublime ritu moliar atrium *gg)*?
Cur valle *hh)* permutem Sabina
Divitias operosiores?

ODE II. *Bellicae fortitudinis, probitatis, et religiosi silentii commendatio.*

ANgustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia *a)* puer
Condiscat, et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta;
Vitamque sub dio *b)*, et trepidis agat *c)*

ram continentem: et in litore, in mari, aedes extruit, terris non contentus. Vide Oden 15. lib. 2. *s)* Forte oblatrantis conscientiae. *t)* Eundem in locum ascendunt: in mari non minus quam in terris adsunt. *u)* Demigrat, abscedit. *x)* Hebente rostrum aereum *y)* In eodem equo cum equite, a tergo equitis haeret. *z)* Me aliquo, vel corporis, vel animi, dolore affectum.

aa) Columnae marmoreae, advectae e Phrygia. *bb)* Nec usus vestium purpurearum, sideribus micantiorum. *cc)* Dolores, et morbos levat. *dd)* Persicum, ab Rege Persarum Achaemene. *ee)* Aromatis genus. *ff)* Invidiae obnoxiis. Postes sunt januae latera; pro tota domo accipiuntur. *gg)* Primus erat locus aedium, et quasi aditus ad reliquam domum, aream in medio positam interdum et circum addita aedificia, continens: pro tota domo hic sumitur. *hh)* Idest; cur vallem, et agrum meum Sabinum permutem divitiis molestioribus, in quibus conservandis operae multum, et curae consumam? Mutamus enim quae adsunt, cum iis quae absunt. Est igitur hypallage Poetis usitata.

a) In militia, vel qui fiat robustus acri militia, et difficili. Vocat paupertatem angustam, idest, molestam, laboriosam. Parthos vero pro quibuslibet hostibus ponit; vel quia, quo tempore scripta est haec Ode, instabat bellum Parthicum. Vide Indi-

In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona *d)* bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta *e)* virgo,
Suspiret: heu, heu! *f)* Ne rudis agminum *g)*
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem *h)*, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.
Dulce, et decorum est pro patria mori.
Mors et fugacem *i)* persequitur virum,
Nec parcit *k)* imbellis iuventae
Poplitibus, timidoque tergo.
Virtus *l)*, repulsae nescia *m)* sordidae,
Intaminatis *n)* fulget honoribus;
Nec sumit, aut ponit secures *o)*,
Arbitrio popularis aurae *p)*.
Virtus, recludens immeritis mori *q)*
Caelum, negata *r)* tentat iter *s)* via;

ccm II. Odarum. *b)* Extra domum, in campo, in castris, etc. Dium, Divum, sumitur pro aperto et patenti. *c)* Inter metus, et media pericula. *d)* Uxor alicujus Regis Barbari, qui bellum cum Romanis gerat. *e)* Aetate provectior, nubilis. *f)* Verba sunt illius virginis, sponso suo metuentis a Romano iuvene: vel matronae, suo viro timentis. *g)* Imperitus rei militaris. *h)* Militem Romanum, instar leonis furentem in acie. *i)* Non tantum quemlibet obvium, non eos tantum qui fortiter dimicant, sed illos etiam qui fugiunt. *k)* Interficit etiam imbelles juvenes, qui terga, et poplites vertunt hosti. Est poples, genu aversum. Praestat igitur mori fortiter pugnando, quam turpiter fugiendo. *l)* Est secunda pars Odae, laudem virtutis quasi privatae continens: cum prima commendationem habeat virtutis bellicae. *m)* Quae nunquam novit turpem repulsam pati: etsi enim viri probi petitos honores non assequantur, sua tamen se virtute consolantur, eaque sola satis honorati sunt. *n)* Puris, incorruptis, non obnoxiis invidiae, petitionum indignitati, et molestiae: nam gloria vera semper virtutem comitatur. *o)* Insignia Consulatus, et Praeturae. Erant illae secures in medio virgarum: duodecim fasces Consuli, sex Praetori praeferebantur. *p)* Favoris, suffragii. *q)* Indignis qui moriantur, merentibus non mori. *r)* Ardua, difficili, non omnibus concessa: perrumpit obiices omnes, ut viam sibi faciat. *s)* Ad Caelum.

Coetusque vulgares *t*), et udam *u*)
Spernit humum fugiente penna.
Est et fideli *x*) tuta silentio
Merces *y*): vetabo *z*), qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus *aa*), fragilemve mecum
Solvat phaselum *bb*). Saepe Diespiter *cc*)
Neglectus *dd*) incesto *ee*) addidit *ff*) integrum *gg*):
Raro *hh*) antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

ODE III. *Justitia et constantia, homines impavidos gravissimis in periculis reddunt: eadem heroas evehunt Caelo, et veteres Romanos orbis dominos effecerunt.*

JUstum, ac tenacem propositi *a*) virum,
Non civium ardor *b*) prava jubentium

t) Vulgi. *u*) Coenosam, crassam, *x*) Haec tertia pars Odae est, ad religionem pertinens. Laudat partem unam pietatis, maxime apud Graecos notam et insignem, nempe silentium; quod praesertim servabatur in sacris Cereris, quae Eleusina vocabatur, a pago, ubi haec sacra fiebant: quod silentium si quis rupisset, aperiendo et alteri explicando arcana sacra, capitale scelus erat. *y*) Quaenam illa sit, non exponit: conjici potest ex opposita poena, esse peculiarem quandam gratiam apud Superos, et patrocinium, quo pios prosequantur. *z*) Cavebo, non committam ut, sub, etc. *aa*) Tecto, domo. *bb*) Pelago mecum se committat, soluto navis fune, quo litori alligari solet. Phaselus est cymba, navicula. *cc*) Jupiter, diei pater. *dd*) Parum pie cultus, violatus aliquo scelere *ee*) Non casto, scelerato. *ff*) Poenae comitem. *gg*) Innocentem, purum sceleris. *hh*) Et quamvis poena impiorum differatur interdum, et claudo eos pede sequi videatur; tamen raro eos abire inultos patitur, illos aliquando tandem assequitur.

a) Constantem. *b*) Tumultus, seditio civium, leges iniquas ferentium. Prava jubere, est, leges pravas ferre; quia, cum leges Romae ferebantur, Magistratus populum rogabat e suggestu, iis verbis; *Velitis, jubeatis, Quirites, ut etc.* Si populus legem probaret, respondebat, *Uti rogas*.

Non vultus instantis *c)* tyranni
Mente quatit solida *d)*, neque Auster *e)*,
Dux inquieti turbidus Hadriae ,
Nec fulminantis magna Iovis manus :
Si fractus illabatur *f)* orbis ,
Impavidum ferient ruinae.
Hac arte *g)* Pollux *h)* , et vagus *i)* Hercules
Innixus , arces *k)* attigit igneas :
Quos inter Augustus recumbens *l)*
Purpureo *m)* bibit ore nectar .
Hac te merentem *n)* , Bacche pater , tuae
Vexere tigres *o)* , indocili jugum
Collo trahentes : hac Quirinus *p)*
Martis *q)* equis Acheronta *r)* fugit ;
Gratum *s)* eloquuta consiliantibus *t)*
Iunone Divis : Ilion , Ilion

c) Minitantis, praesentem mortem intentantis. *d)* A proposito, et consilio dimovet. *e)* Non procellae , quae gravissimae excitantur ab Austro , Meridionali vento, in Adriatico Mari, quod Italiam ab Oriente claudit. *f)* In ejus caput illabatur. *g)* Justitia et constantia fretus. *h)* Jovis , et Ledae filius , Castoris frater, qui ob multas res praeclare gestas maxime in fugandis piratis , relatus est inter sidera. *i)* Qui orbem fere totum domandis monstris peragravit. Hercules porro fuit Jovis , et Alcmenae filius , Junonis odia , domitisque monstris famosus. *k)* Caelum stellis ornatum. *l)* Ad mensam accumbens . *m)* Pulcro. Augusto adhuc viventi divinos honores Romani detulerunt , eumque Deum , ac Caelo delapsum putavere. *n)* Promerentem adscribi Caelo , ob egregia tua facinora ! *o)* Currum Bacchi trahere dicuntur tigres , animal natura ferum , et indocile , ad significandam vini vim, et impotentiam. *p)* Romulus ; sic dictus a *Quiri* ; quae vox , lingua Sabinorum , hastam significat. *q)* Ex quo genitus ferebatur ; fretus virtute bellica. *r)* Inferos effugiens , Caelum petivit : idest immortalitatem est adeptus. Acheron flumen inferorum. Od. 3. lib. 1. *s)* Postquam Juno , in Deorum consessu , et concilio, rem ipsis gratam fuisset locuta ; nempe se permissuram , ut Romulus inter Divos referretur , ut Romani, ope virtutis , et justitiae , domini orbis evaderent ; Trojanorum exemplo admoniti , qui propter perfidiam, et alia vitia perierant. Quod Horatius in hac Ode spectat. *t)* Divis consilium

Fatalis, incestusque *u*) iudex *x*),
Et mulier peregrina *y*) vertit
In pulverem, ex quo *z*) destituit *a*) Deos
Mercede pacta *b*) Laomedon *c*), mihi,
Castaeque damnatum *d*) Minervae,
Cum populo, et duce *e*) fraudulento.
Iam nec Lacaenae splendet *f*) adulterae *g*)
Famosus *h*) hospes *i*), nec Priami domus
Periura *k*) pugnaces Achivos
Hectoreis opibus *l*) refringit *m*;
Nostrisque ductum *n*) seditionibus *o*)
Bellum resedit *p*). Protinus *q*) et graves
Iras *r*), et invisum nepotem,
Troia quem peperit sacerdos,
Marti redonabo: illum ego lucidas

habentibus de recipiendo Romulo in numerum Deorum. *u*) Non castus, impudicus. *x*) Paris; qui electus judex inter Junonem, Venerem, et Minervam, palmam Veneri adjudicavit, et sententiam patriae suae fatalem, id est exitialem tulit. *y*) Helena, quam a Graecia raptam, Paris Trojam vexit. *z*) Ex quo tempore. Jam tum, inquit, destinatum et certum Trojae fuit exitium: jam tum dici Troja potuit in pulverem redacta.

a) Fraudavit. *b*) Promissa. *c*) Priami pater. Is cum Trojae muros extrueret, Neptunus et Apollo suam illi operam ad eos condendos certa mercede locaverunt. Opere confecto, promissum pretium solvere Laomedon recusavit: hinc Deorum ira in Trojanos. *d*) Nempe Ilium invisum, detestatum: vel, a me et Minerva damnatum excidio. *e*) Laomedonte perfido. *f*) Vivit opibus formaque praestans. *g*) Helenae Lacedaemoniae. *h*) Infamis. Ea vox in pejorem vulgo partem accipitur. *i*) Paris. *k*) Ob Laomedontem, qui promissam Neptuno, et Apollini juramento pecuniam denegavit. *l*) Hectoris virtute, et fortitudine. *m*) Retundit, repellit. *n*) Productum, continuatum ad decem annos. *o*) Deorum inter se, ac Dearum dissensionibus. *p*) Sublatum est, confectum est. *q*) Haud mora, jam porro, in posterum. *r*) In gratiam, et honorem Martis, iras meas deponam, et quamvis Romulus, meus nepos, nempe Martis filii mei proles, sit mihi invisus, quia est genitus Ilia, seu Rhea Sylvia, Vestae sacerdote Troja, id est, a Trojanis oriunda,

Inire *s*) sedes, duceret *t*) nectaris
Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum;
Dum *u*) longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus; qualibet exsules *x*)
In parte regnanto *y*) beati:
Dum Priami, Paridisque busto
Insultet *z*) armentum, et catulos ferae
Celent inultae *a*); stet Capitolium *b*)
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis *c*).
Horrenda *d*) late nomen in ultimas
Extendat oras; qua medius *e*) liquor *f*)
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus:
Aurum *g*) irrepertum, et sic melius situm,

nempe filia Numitoris, unius ex Aeneae posteris; tamen illum reddam suo patri, ut ejus curru in Caelum evehatur. *s*) Ingredi, *t*) Bibere. *u*) Modo, ea lege, ut Roma, et Troja interposito mari longo separentur. *x*) Romani, ab Aenea orti, qui venit *Italiam fato profugus, etc.* Virg. *y*) Imperativus; regnent ubilibet, orbem obtineant. *z*) Greges impune premant sepulcra Priami et Paridis; adeoque Troja tota vastata sit, ac deserta.

a) Illaesae: impune, ob arborum densitatem, et solitudinem loci. *b*) Praecipuum Romae templum, Jovi sacrum. Arx Imperii. *c*) Parthos intelligit, qui Persarum Imperium invaserant, ut Persae Medorum olim. Vide lib. 1. Od. 2. etc. *d*) Metuendo, et terribilis hostibus Roma. Recte observat Torrentius hoc epitheto saepe significari admirationem quandam ex veneratione ortam: ita Sibyllam a Virgilio dici horrendam, etc. *e*) Imperet Roma, et qua mare medium, id est, Mediterraneum, in medias terras influens, separat Europam ab Africa, et qua Nilus Aegyptum rigat tumidus, hoc est, intumescens, et exundans: id est, ab uno maris Mediterranei litore nempe Occidentali et Atlantico, ad alterum litus, Nilo vicinum, et Orientale *f*) Aqua, mare. *g*) Sententia est: fortior sit Roma ad spernendum aurum; ita ut illud reperire non curet atque eruere, sed illud abditum esse patiatur, et celatum in terrae visceribus, ubi profecto melius latet, quam si indidem extrahatur: sit, inquam, Roma forior

Quum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere humanos in usus;
Omne sacrum rapiente dextra.
Quicumque h) mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis; visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae, pluviique rores.
Sed i) bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico: ne nimium pii k)
Rebusque l) fidentes, avitae m)
Tecta velint reparare Troiae.
Troiae renascens n) alite o) lugubri
Fortuna, tristi clade iterabitur;
Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis, et sorore.
Tersi resurgat murus aheneus p)
Auctore q) Phoebo, ter pereat r) meis s)
Excisus Argivis; ter uxor
Capta virum, puerosque ploret.

in auro spernendo, quam in eo cogendo, id est, coacervando, et congerendo in usus humanos; quippe cum auri cupiditas, et sacra fames impellat hominum manus ad rapienda, et spolianda omnia sacra, ad res sanctissimas violandas. h) Quaecumque regio, etiam orbis ultimi, obstabit armis Romae victricibus, ejusque triumphos morari voluerit, hanc debellet, eo perveniat armata, et victrix: etiam in illas oras pertingat, ubi calores et fulmina debacchantur (nempe in torridam mundi Zonam) aut illas, ubi glacies, et nebulae rigent: indicatur Zona frigida. i) Haec tamen felicia Romanis fata denuncio, et praedico, ea tantum conditione, ne etc. k) Nimio erga patriam suam amore capti. Existimari potest Horatius his verbis Caesarem notare voluisse: cui feruut in animo fuisse, Roma relicta, migrare Alexandriam, aut Ilium, translatis opibus Imperii. Svet. c. 79. l) Secundis rebus, opibus, gloria. m) Roma enim Trojanorum, quasi colonia fuit. n) Ordo est, fortuna, seu, infortunium Trojae, renascentis malis ominibus, et reparatae, iterabitur tristi clade. Troja, si reparetur, iterum, ut antea, concidet; ac ejus fortuna cladesque renovabitur. o) Omine. Od. 5. lib. 1. p) Firmissimus: quamvis ipso ex aere compactus. q) Structore, aedificante. r) Peribit, periret rueret. s) Grae-

Non haec iocosae *t*) conveniunt lyrae :
Quo, Musa, tendis? Desine pervicax *u*)
Referre sermones Deorum, et
Magna modis *x*) tenuare parvis.

ODE IV. *Musarum in se beneficia commemorat: iisdem acceptas refert Augusti victorias, quibus hostes Reipublicae, ut Jupiter Titanas, debellavit.*

DEscende Caelo *a*), dic age tibia,
Regina *b*), longum, Calliope, melos;
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus, citharaque Phoebi *c*).
Auditis *d*)? An me ludit amabilis
Insania? Audire, et videor pios *e*)
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae *f*) subeunt, et aurae.
Me *g*) fabulosae Vulture in Appulo,
Altricis *h*) extra limen Apuliae,

ciae enim praecipue favebat Juno. *t*) Lyricae, quae jocis et ludo gaudet. *u*) Audax, proterva. *x*) Cantibus.

a) De Musis dicturus, earum principem invocat. Habebant porro Musae quoque sedem in Caelo, ut Jovis filiae: habebant et montes sacros, et templa in terris, ut Parnassum, etc. *b*) Vel eam, sic honoris tantum causa, nominat; vel, quia Musarum primaria esse dicitur. *c*) Phoebo consecrata. Dicuntur Musae voce canere: Phoebus vero cithara. *d*) O amici, nonne eam canentem auditis? An me furor Poeticus grato errore decipit? Ego quidem certe videor mihi illam polo delapsam audire, et spatiari in amoenis saltibus, etc. *e*) Sacros, Musis consecratos. *f*) Alluunt aquae, perflant aurae. *g*) Primum beneficium a Musis acceptum. Ordo est: me puerum, ludo fatigatum, et somno victum, palumbes, idest, sylvestres columbae, fabulosae, sive, de quibus multa dici solent mira, texere nova, id est, viridi fronde, in Vulture Appulo (est mons Apuliae) extra limen patriae meae Apuliae. *h*) Paulo ante dixerat Vulturem montem esse Apulum: quomodo nunc dicit eundem esse extra limen Apuliae? Duplex Apulia est; altera Daunia, altera Peucetia: in illa est Venusium oppidum, Horatii patria; in hac Vultur, qui proinde est extra Apuliam Dau-

Ludo, fatigatumque somno *i*),
Fronde nova puerum palumbes
Texere; mirum quod foret *k*) omnibus
Quicumque celsae nidum Acherontiae *l*),
Saltusque Bantinos *m*), et arvum
Pingue tenent humilis Forenti;
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem, et ursis; ut premerer sacra
Lauroque, collataque *n*) myrto,
Non sine Dis *o*) animosus *p*) infans.
Vester *q*), Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos: seu mihi frigidum
Praeneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidae placuere Baiae.
Vestris *r*) amicum fontibus, et choris,
Non me Philippis *s*) versa acies retro,

niam, Horatii altricem, et natalem terram. Sunt qui dicant Vulturem in limite ipso Apuliae Peucetia fuisse: ita ut pars ejus esset in Apulia, pars in Lucania: adeoque aliqua sui parte esset extra limen, seu limitem Apuliae. *i*) Somni amore, dormiendi desiderio, vexatum et oppressum. *k*) Ita ut mirarentur omnes Acherontini, Bantini, et Ferentini, quo pacto dormirem tutus a viperis, etc. *l*) Urbs exigua erat, in limine Apuliae, et Lucaniae, in monte posita, instar niduli: aves enim in summis montibus nidificant. *m*) Bantia, Ferentum, oppida erant in Apuliae finibus. *n*) Comportata a palumbibus. *o*) Certo Deorum patrocinio: Musas intelligit. *p*) Impavidus, qui nihil a viperis et ursis timerem, *q*) Vestro patrocinio tutus sum, sive petam Sabinos (quae regio montibus ardua et aspera est) sive urbem Praenestinam, frigido in monte sitam, sive Tiburtinam, quae in declivi colle sedet; seu denique adeam Bajas, liquidis et puris aquis celebres. *r*) Sententia est, me, quia eram amicus vestris fontibus et choris, non extinxit acies Bruti et Cassii, ab Augusto fugata in campis Philippicis, non arbor execranda, dirisque devota, non factum a me naufragium ad Palinurum, promontorium Lucaniae, prope Siciliam. *s*) Philippi, urbs Thessaliae, ad quam devicti anno U. C. 712. Brutus et Cassius; quorum in exercitu Tribunus militum Horatius erat. Vide ejus vitam, et Indicem II. Odarum.

Devota *t*) non extinxit arbos ,
Nec Sicula Palinurus *u*) unda.
Utcumque *x*) mecum vos eritis , libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo *y*), et urentes arenas
Litoris *z*), Assyrii viator.
Visam Britannos *a*) hospitibus feros,
Et laetum equino sanguine *b*) Concanum :
Visam pharetratos Gelonos *c*),
Et Scythicum *d*) inviolatus *e*) amnem.
Vos Caesarem, altum militia *f*), simul *g*)
Fessas cohortes reddidit *h*) oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio *i*) recreatis antro.
Vos lene consilium *k*) et datis, et dato

t) Diris devota , execranda. Vide Od. 10. lib. 2. *u*) Ad hoc Siciliae promontorium. ut Acron scribit, e Macedonia rediens post Philippensem fugam, pene extinctus est , fracta navi, anno aetatis 24. Est etiam oppidum Lucaniae, ejusdem nominis , prope Veliam : quae loca Siculi ante Lucanos tenuere; ad quod oppidum navim fregisse Horatium plures volunt. *x*) Ubicumque. *y*) Visam , adibo . De Bosporo , vide librum 2. Od. 10. *z*) Assyria , Strabone teste , complectitur Babyloniam , et magnam partem adjacentium regionum. Itaque per litus Assyrium, intellige litus maris Persici , vel Caspii , vel etiam Syrii, nam Syria dicta quoque olim est Assyria; sive, campos arenosos et aestuantes, circa litus positos .

a) Anglos , qui tunc hospites suos immolabant Superis . *b*) Concani , gens quaedam Scythica , equorum sanguinem , lacti mixtum , adhibebant in potum, instar vini suavissimi. *c*) Erant Concanis et Scythis affines, boni jaculatores. *d*) Tanaim, quo Europa ab Asia distinguitur , versus Scythas, et Septentrionem . *e*) Incolumis, salvus. *f*) Educatum , innutritum militia: quia a teneris annis militiae fuit addictus. *g*) Simul atque, postquam. *h*) Finitis belli reddidit propriis Laribus. *i*) Pieria , fuit Atticae regio, Musis sacra. Significat Caesarem Musis et versibus delectari. *k*) Vos afflatis Caesari clementiam et lenitatem; mitia illa consilia suggeritis, et suggessisse gaudetis . In hac porro voce, *consilium*, duae ultimae syllabae in unam coalescunt; aut potius legendum, *consilum*, ut constet

Gaudetis, almae. Scimus *l*), ut impios *m*)
Titanas, immanemque turmam,
Fulmine sustulerit caduco *n*),
Qui terram inertem *o*), qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia *p*),
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.
Magnum illa terrorem intulerat Iovi
Fidens iuventus *q*), horrida brachiis *r*);
Fratresque *s*) tendentes *t*) opaco
Pelion imposuisse Olympo *u*).
Sed quid Typhoeus *x*), et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu *y*),
Quid Rhoetus, evulsisque truncis
Enceladus iaculator audax,
Contra sonantem Palladis aegida *z*)
Possent ruentes? Hinc *a*) avidus *b*) stetit
Vulcanus; hinc matrona Iuno, et
Nunquam *c*) humeris positurus arcum,

versus. *l*) Sententia videtur haec esse; injecta est a Musis ea mens Caesari, ut lenitate summa utatur adversus hostes; nam scimus et vidimus quam facile armatus eos vicerit, et vincere adhuc possit; ut scimus quam facile Jupiter Gigantes profligaverit. Comparat Brutum et Cassium, ceterosque conjuratos cum Gigantibus, Augustum cum Jove. *m*) Ordo est, scimus ut, id est, quemadmodum, qui terram et mare temperat, et gubernat, Divosque, mortalesque regit (nempe Jupiter, quem istis quatuor totis versibus describit) sustulerit fulmine impios Titanas. *n*) In Titanas cadente. *o*) Brutam, infimam. *p*) Inferos. *q*) Titanum: quos pro Gigantibus, eorum fratribus, ponit. *r*) Erant enim centimani; Ovid. 1. Metamorph. *s*) Titanes, vel Gigantes. *t*) Contendentes, laborantes. Imposuisse, pro imponere: id est, molitos imponere. *u*) Montes sunt Thessaliae. *x*) Typhoeus, Enceladus, Gigantum sunt nomina. *y*) Statura, habitu corporis. *z*) Clypeum: de quo vide Oden 13. libri 1.

a) Ex parte Jovis. *b*) Epithetum ignis proprium. *c*) Qui semper arcum gestat: vel, certus arcum non deponere, do-

Qui *d)* rore puro Castaliae lavit *e)*
Crines solutos ; qui Lyciae *f)* tenet
Dumeta, natalemque *g)* silvam,
Delius, et Patareus Apollo.
Vis *h)* consili expers mole ruit sua :
Vim temperatam *i)* Di quoque provehunt
In majus *k)* : idem odere vires
Omne nefas animo moventes *l)*.
Testis mearum centimanus *m)* Gyges
Sententiarum : notus et integrae *n)*
Tentator *o)* Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.
Iniecta *p)* monstris *q)* Terra dolet suis ;
Moeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum: nec peredit *r)*
Impositam celer ignis Aetnam :
Incontinentis *s)* nec Tityi iecur
Relinquit ales *t)*, nequitiae *u)* additus

nec profligati Gigantes perirent. *d)* Apollo : Castalia, fons est Parnassi. *e)* Ab autiquo lavere tertiae conjug. pro lavare. *f)* Est in Asia minori; ejus urbs praecipua Patara, ubi Apollo colebatur; hinc Patareus dicitur; quae vox, in ultimo versu hujus strophae posita, est trisyllaba. *g)* Deliam : natus est Apollo in Delo, insula maris Aegei. *h)* Vires prudentia destitutae, per se, nullo impellente, ruunt. *i)* Clementia, et consilio. *k)* Augent. *l)* Vires, quae ad perficienda scelera conferuntur. *m)* Gyges, unus e Gigantibus, testis est notus et idoneus eorum effatorum, quae hic scribo. *n)* Castae, intactae. *o)* Qui ejus pudicitiam attentavit, et ab ea sagittis confossus est. *p)* Imposita. Jupiter enim montes, a Gigantibus vibratos, in eosdem retorsit, eosque illis obruit. *q)* Gigantibus ex se genitis : erant enim Terrae filii. *r)* Quamvis Aetna injecta Encelado, ignes assidue vomat, non tamen illis ipsa consumitur, nec miserum Enceladum isto pondere levat. *s)* Qui Latonam temerare tentarat. *t)* Vultur *u)* Impudicitiae : hominis impuri cu-

Custos: amatorem trecentae
Pirithoum *x*) cohibent catenae.

ODE V. *Augustum laudat, quod a Parthis Romanorum vexilla receperit. Invehitur in Romanos milites, qui se Parthis olim dediderant: hinc sumit occasionem Reguli celebrandi.*

CAELO *a*) tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens Divus habebitur *b*)
Augustus, adiectis *c*) Britannis
Imperio, gravibusque Persis.
Milesne *d*) Crassi coniuge *e*) barbara
Turpis *f*) maritus vixit? Et hostium *g*)

stos et tortor, illi affixus et appositus. *x*) Thesei amicum, qui cum eo adortus est rapere ex inferis Proserpinam; sed Pluto admonitus eos in vincula conjecit. Theseum tamen postea Hercules solvisse dicitur, manente in Inferis Pirithoo.

a) Quemadmodum, quando tonantem audimus Jovem, cum credimus regnare Caelo; ita, cum Augustum videmus Persas et Britannos adjecisse Imperio Romano, nemo dubitare poterit, quin revera Deus sit, etiam praesens et vivens. Potest etiam ea vox, *praesens*, significare idem quod favens, propitius. *b*) Id est habendus erit, est censendus. *c*) Nec Persas Augustus, sive Parthos, nec Anglos per sese debellaverat; sed utrosque tantum nominis sui fama pacem petere coegerat: cum in utrosque tamen bellum paraverit. Vide Od. 27. libri 1. Quo id anno contigerit, docebit te index II. Odarum Chronologicus. Quam Augusti victoriam incruentam Horatius amplificat, exponendo gravitatem, et ignominiam cladis olim a Parthis acceptae. *d*) Quis credat Crassi milites duxisse barbaras conjuges, et cum illis vivere potuisse? Crassus a Parthis caesus fuit anno U. C. 702. Ejus milites, magnam partem capti, in Perside manserunt, ubi duxere Persicas uxores. *e*) Cum conjuge; vel turpis maritus, ob barbaram conjugem. *f*) Erat enim turpe Romano barbaram conjugem accipere. *g*) Ordo est; Marsus, atque Appulus, oblitus anciliorum, nominis, et togae, Jove incolumi et Roma, consenuit sub Rege Medo, in armis hostium, soccrorum suorum, nempe Parthorum, quorum filias duxerat.

(Proh Curia *h*), inversique mores!)
Consenuit socerorum in armis
Sub rege Medo *i*), Marsus, et Appulus *k*),
Anciliorum et nominis *l*) et togae *m*)
Oblitus, aeternaeque Vestae *n*),
Incolumi Iove *o*), et urbe Roma?
Hoc caverat *p*) mens provida Reguli *q*)
Dissentientis *r*) conditionibus
Foedis; et exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum,
Si non periret immiserabilis *s*)

h) O dignitas, et prudentia Senatus Romani! O morum antiquorum sanctitas! Quantum eo tempore detrimentum accepistis! Quam ab illis priscis mutati tunc eratis? *i*) Partho. *k*) Italiae populi, ac milites in primis fortes et insignes ea tempestate. Erant Ancilia clypeoli 12. sacri. Eorum unus e Caelo decidisse ferebatur: editumque fuisse oraculum, fore ut tamdiu Roma staret, quamdiu ille servaretur. Is igitur ne facile surripi posset, ad ejus formam et modum alii undecim facti erant, qui in templo Martis servabantur. *l*) Romani. *m*) Toga Romanorum erat propria · unde illos *gentem togatam* Virgilius vocat, lib. 1. Aen. Imponebatur tunicae, eratque instar pallii. *n*) In templo Vestae ignis servabatur, et nutriebatur a Vestalibus. *o*) Capitolio, ubi templum Iovis. Sententia est: fierine potuit ut Marsi, et Appuli, egregii milites, obliti sint tam facile sui nominis, vestis, Urbis, idque stante et florente Roma et Capitolio? Itane se turpiter hosti dedidisse! *p*) Id prospexerat Regulus, ac impedire conatus erat: ne scilicet reperirentur tam ignavi milites, qui idem facerent aliquando, quod isti Crassiani: nempe dum auctor fuit ne redimerentur captivi, sed perirent potius apud Carthaginenses: ceterique, exemplo territi, fortiter mori in acie, quam capi turpiter mallent. *q*) M. Attilius Regulus floruit circa ann. U. C. 500. Is captus a Carthaginensibus, ne milites Romani in pugna capti redimerentur, vetuit. Vide Ciceronem lib. 3. de Off. et Aulum Gel. lib. 6. cap. 4. *r*) Repudiantis foedas conditiones. Ea conditio proponebatur a Poenis, ut redderent Romanos captivos; ac suos vicissim ipsi, facta permutatione, reciperent. *s*) Cujus nemo miseresceret.

Captiva *t)* pubes. Signa *u*) ego *x*) Punicis
Affixa delubris, et arma *y*)
Militibus sine caede, dixit *z*),
Direpta vidi; vidi ego civium
Retorta *a*) tergo brachia libero,
Portasque non clausas *b*), et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus *c*) scilicet acrior
Miles redibit? Flagitio additis
Damnum: neque amissos *d*) colores
Lana refert medicata fuco *e*);
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat *f)* reponi *g*) deterioribus *h*).
Si pugnat *i*) extricata *k*) densis

t) Juvenes Romani, a Poenis capti. *u)* Vexilla nostra. *x*) Oratio Reguli in Senatu. *y*) Nostris militibus erepta, sine vulnere, et pugna. *z*) Regulus.

a) Vidi cives nostros et milites, qui antea erant liberi, quorum praecipua laus, et gloria libertas esse debuit, retortis in tergum manibus ligatos, instar servorum. *b*) Quae res indicat quam securi sint Poeni, qui portas urbium suarum apertas, et patentes habeant, qui colant arva, prius a nobis populata bello et vastata. *c*) Redemptus, veteres enim aurum non numerabant, sed appendebant. An creditis militem redemptum, pugnaturum acrius? Generosiorem ad bellum rediturum? Non ita est; erit ille segnior; et additis flagitio quod admisit, dum se capi passus est turpiter, damnum quod ignave pugnando afferet reipublicae: vel damnum pecuniae, quae peribit ignavum redimendo. *d)* Ut lana candidum et nativum colorem, quem amisit fuco medicata, id est, tincta, nunquam refert postea, hoc est, repraesentat, resumit: sed semper illum posteriorem retinet: sic animus iners et timidus, ignavia semel imbutus, amissam fortitudinem (quam veram virtutem Vates hic appellat) non recipit; semper ignavus restat. *e*) Est fucus herba quaedam, qua utuntur infectores: pro colore quolibet, eoque maxime adscititio, in primis pro minio et cerussa, usurpatur. *f)* Solet, amat. *g)* Restitui, redire. *h)* Ignavis, victis; est in dandi casu. *i*) Ironice haec omnia dicuntur, estque hic sensus: ut cerva, retibus semel extricata, non pugnat: sic emissus e servitutis vinculis captivus non potest rem strenue in bello gerere. *k*) Expedita,

Cerva plagis *l*); erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit *m*) hostibus:
Et Marte *n*) Poenos proteret altero,
Qui lora *o*) restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic *p*), unde vitam sumeret, inscius,
Pacem duello miscuit: o pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!
Fertur *q*) pudicae coniugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor *r*),
Ab se removisse; et virilem *s*)
Torvus humi posuisse *t*) vultum:
Donec labantes *u*) consilio Patres
Firmaret *x*) auctor *y*) nunquam alias dato;

liberata. *l*) Retibus arctioribus. *m*) Permisit, dedidit. *n*) Praelio. *o*) Vincula. *p*) Captivus ille ignavus, nesciens vitam ac salutem non esse precibus, aut fuga quaerendam, sed manu, et victoria retinendam, in ipsa acie, cum pugnandum foret, pacem ac vitam ab hoste petere maluit; resque disjunctissimas ita confudit, ac miscuit, pacem et duellum, idest bellum: in bello enim cum hoste acriter pugnandum, in pace, ab armis recedendum: neque ista temere confundenda. *q*) Dicitur Regulus. *r*) Ut capite diminutus. Caput apud Romanos statum significabat, qui perfectus erat, cum quis et liber, et civis esset: si alterutrum, idest, aut libertatem, ut jus civitatis amitteret, minui capite, minor esse capite, vel capitis, dicebatur. Utramque Regulus perdiderat: itaque se ut addictum hostibus, ac damnatum, nec jam ut Romanum civem aspiciens, sed ut servum, removet conjugem ac liberos, quasi alienos, nec amplius suos. Servus enim amittebat jus cognationis, etc. Porro, *capitis minor*, dictum est, eadem ratione, qua, *maturus aevi*: *integer vitae*, et alia id genus dicuntur. *s*) Immobilem suorum lacrymis, civium precibus, etc. *t*) Fixisse. *u*) Dubitantes, et in eam inclinantes sententiam, ut disciplinae militaris dignitati, ac severitati salutem Reguli praeferendam, captivosque cum eo redimendos, censerent. *x*) Persuaderet, a dubitatione in certam, et suam sententiam adduceret. *y*) Auctor appellatur is qui aliquid suadet, consulit, praestat,

Interque moerentes amicos,
Egregius properaret exul.
Atqui *z*) sciebat, quae sibi barbarus
Tortor *aa*) pararet: non aliter tamen
Dimovit *bb*) obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem:
Quam si clientum longa negotia
Diiudicata *cc*) lite, relinqueret;
Tendens *dd*) Venafranos in agros,
Aut Lacedaemonium Tarentum.

ODE VI. *Romanorum sui temporis vitia, maxime impietatem, et impudicitiam detestatur: priscorum mores celebrat.*

DElicta maiorum *a*) immeritus lues,
Romane, donec Templa refeceris,
Aedesque labentes Deorum, et
Foeda nigro simulacra fumo *b*).
Dîs te minorem quod geris, imperas *c*):
Hinc *d*) omne principium, huc refer exitum.
Dî multa neglecti dederunt
Hesperiae *e*) mala luctuosae.

et in se recipit. *z*) Attamen. *aa*) Poeni crudeles, qui cum illigatum in machina, vigilando necaverunt, resectis palpebris. *bb*) Repulit; viam sibi per obstantes aperuit. *cc*) Judicum sententiis finita, et composita: quorum unus erat antea, utpote Senator. *dd*) Ad oblectationem, et rusticationem scilicet. De Venafro, et Tarento, vide lib. 2. Od. 6.

a) Ob majorum flagitia, dabis poenas; ac licet eorum scelera non admiseris, atque adeo immeritus, et innocens videare, juste tamen plecteris, ob tuam in rebus sacris, in templis, v. g. reficiendis, negligentiam, et impietatem. *b*) Quum templa olim incensa fuere, et deformata. c) Orbis imperium obtines, quia Deos pie colis, iis inferiorem te fateris. *d*) A Diis, et cultu, initium ducito rerum omnium agendarum: huc, idest, ad eosdem, refer acceptum exitum, et felicitatem tuam, in rebus bene gerendis. *e*) Od. 30. lib. 1.

Iam bis Monaeses *f*), et Pacori manus *g*)
Non auspicatos *h*) contudit impetus
Nostros; et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet *i*).
Paene occupatam seditionibus *k*)
Delevit Urbem Dacus *l*), et Aethiops *m*)
Hic *n*) classe formidatus, ille *o*)
Missilibus melior sagittis.
Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere *p*), et genus *q*), et domos:
Hoc fonte *r*) derivata clades
In patriam, populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos *s*)
Matura *t*) virgo, et fingitur artubus *u*)

f) Parthorum dux, qui Regi suo Phraati infensus, contulit ad M. Antonium, eique auctor fuit belli contra Parthos suscipiendi, sed postea Phraati reconciliatus, diras clades Romanis intulit, circa annum ab U. C. 718. Vide Dionem lib. 49. et Justinum l. 42. *g*) Exercitus Pacori, qui filius fuit Orodis Parthorum Regis, et a patre, post Marcum Crassum caesum, missus contra Romanos, eosdem aliquot proeliis fudit, anno U. C. 702. *h*) Auspiciis neglectis, aut vitiose sumptis, factos. Quid essent auspicia, dictum alias. Vide lib. 2. Od. 12. *i*) Gestit, triumphat, quod suos torques (torquibus enim gaudebant Parthi, ut olim Galli) ampliores, et ornationes fecerit, adjecto auro, gemmisque, et cetera, quam nobis eripuerunt, praeda. *k*) Bellis civilibus, et privatis dissidiis. *l*) Populus Europae Septentrionalis, ubi nunc Transylvani, Moldavi, Hungari, etc. Appellabantur etiam Davi, et Daae. Illorum incursiones Augustus repressit, tribus eorum ducibus caesis. Svet. August. cap. 21. *m*) Populus Africae, qui Antonio contra Augustum pugnanti favit, ut ipsi etiam Daci. Aethiopas, eorumque Reginam Candacem, subinde Petronius Augusti auspiciis vicit. Dion. lib. 31. 54. *n*) Aethiopes, sive Aegyptii, qui Antonio classem et maritimum exercitum paraverant. *o*) Dacus. *p*) Adulteriis. *q*) Familias. *r*) Ex hac nequitia ortae sunt clades publicae. *s*) Lascivos; Jones enim, Graeciae populus, erant nequissimi. *t*) Nubilis, adulta. *u*) Fingit pedes ad istos motus, et componit. Per motus, saltationem intellige: utebantur enim latini verbo, *moveri*, pro saltare. Quidam legunt, *fingitur artibus*, nempe, ad malas istas artem informatur.

Iam nunc, et incestos amores
De tenero *x*) meditatur ungui.
Non his *y*) iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico;
Pyrrhumque *z*), et ingentem cecidit
Antiochum *a*), Hannibalemque *b*) dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis *c*) docta ligonibus
Versare glebas, et severae *d*)
Matris ad arbitrium recisos
Portare *e*) fustes; Sol *f*) ubi montium
Mutaret umbras, et iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum *g*)
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa *h*) quid non imminuit *i*) dies *k*)?
Aetas *l*) parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

x) A puero; ab ipsa jam tum pueritia. *y*) Impiis, mollibus, et effeminatis. *z*) Regem Epirotarum, victum a Fabricio, et Curio, anno U. C. 480. Ejus vitam scripsit Plutarcus.
a) Regem Syriae, quem vicit Lucius Scipio, anno U. C. 567. *b*) Vide Oden 6. lib. 2. *c*) Sabinis. Erant illi Italiae populi, labori assueti, et malo: olim Samnites etiam dicti teste Plin. lib. 3. cap. 12. *d*) Quae oneri non parcebat. *e*) Domum ex agro. *f*) Vesperi, cadente Sole, qui umbras montium projicit in aliam partem atque illam, in quam oriens eas projiciebat. *g*) Gratum agricolis, ob noctem, et quietem. *h*) Quae omnia consumit. *i*) Deterit, corrumpit. *k*) Temporis diuturnitas. *l*) Gradatio pulcherrima: nostri parentes erant avis nequiores, nos parentibus sumus, nostri liberi, nobis erunt.

ODE VII. *Maecenatem ad sacrificium, et epulas data occasione, invitat.*

MArtiis *a)* caelebs quid agam Calendis,
Quid velint flores, et acerra *b)* turis
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite *c)* vivo;
Docte sermones utriusque linguae:
Voveram *d)* dulces epulas, et album *e)*
Libero *f)* caprum *g)*, prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, festus *h)*,
Corticem *i)* adstrictum pice dimovebit *k)*
Amphorae *l)* bibere institutae,
Consule Tullo.

a) Martiis Calendis. Solebant matronae sacrifici Junoni, eximio apparatu facere, ipsarum vero mariti Jano; qui suis etiam uxoribus munera tunc floresque missitabant. Id ob eam fiebat causam, quod isto die olim Sabinae pacem et concordiam inter viros et patres suos conciliaverant. Quod beneficium a foeminis profectum, anno recurrente, Romani istis muneribus sacrisque recolebant, ut docet Servius Aen. 8. Audierat Maecenas ab Horatio sacrificium quoque fieri domi; miratus fuerat, quippe caelebs erat; id est, carebat uxore Horatius. Respondet illi Vates hac ode, cujus initium est ducendum ab 5. versu, *Docte Sermones etc.* O Maecenas, qui Latinam, et graecam linguam egregie doctus es, qui utramque praeclare calles, miraris quid agam, quid mihi velim cum isto sacrificio etc. *b)* Turis vasculum. *c)* Ara graminea id est, facta e congesto cespite viridi. *d)* En causa sacrificii, quod. Horatius faciebat, istis Martiis Calendis. *e)* Hostiae candidae Diis superis immolabantur, atrae Inferis. *f)* Baccho, cujus in tutela sunt poetae. *g)* Vites arrodere caper solet hinc Baccho immolabatur. *h)* Ob memoriam accepti a Baccho, qui me servavit, beneficii, Vid. Oden 16. lib. 11. *i)* Quo obstructa est et clausa vini amphora: suber adhibebatur vulgo. *k)* Relinet, tollet. *l)* Quae amphora mea instituta est coepit, docta est, assuevit, fumum bibere; in horreo, seu camino, posita est, ut crudus austerioris vini succus fumo mitesceret, ab eo tempore quo Tullus Consul est factus. L. Volcatius Tullus gessit Consulatum, anno U. C. 688. et 721.

Sume *m*) Maecenas, cyathos amici
Sospitis *n*) centum; et vigiles lucernas
Profer *o*) in lucem: procul omnis esto
    Clamor *p*) et ira.
Mitte *q*) civiles *r*) super Urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis *s*) agmen:
Medus infestus *t*), sibi luctuosis
    Dissidet armis.
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber *u*), sera domitus catena:
Iam Scythae laxo *x*) meditantur arcu
    Cedere campis *y*).
Negligens *z*), ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere:

m) Invitat illum ad epulas. *n*) In gratiam amici, gravissimo periculo liberati, *o*) Extende, protrahe. Sensus est producito convivium nocturnum usque ad diem: compotemus, lucernis accensis, et vigilemus in lucem. *p*) Quo saepe compotores debacchantur. *q*) Omitte. *r*) Quas sumis pro civium incolumitate. Fuerat enim Praefectus Urbis: sed reverso in Urbem, post confectum bellum Cantabricum, Augusto, poterat esse solutior, ac tranquillior. *s*) Dux erat Dacorum, sive Getarum, partes Antonii contra Augustum secutus. Getas a Romanis Dacos fuisse appellatos tradit Plin l. 4. c. 14. *t*) Sibi exitiales: sibi ipsis invicem infensi dissident Medi, bellis civilibus in seipsos armati. Vide lib. 2. Od. 2. Justinum, lib. 42. *u*) Domiti fuerunt penitus Cantabri, anno U. C. 736. cum per annos ferme ducentos bella cum Romanis gessissent. Vide Indicem II. Odarum. *x*) Laxato, et inutili, *y*) Ex Armenia discedere. Vide lib. 2. Ode 6. *z*) Ita sententiam compone. Negligens, id est, negligentior et remissior factus, parce, fuge nimium cavere et sollicitus esse, ne quid populus detrimenti capiat, ne qua parte laboret, privatus, id est, cum tu privatus sis, cum nullum Magistratum geras. Urbis enim Praefecturam sibi demandatam, Maecenas, reverso in Urbem Augusto, et confecto bello, videtur deposuisse. Ita cavere civitati parce, ut in ea sis quo-

Dona *aa*) praesentis rape laetus horae, et
Linque severa *bb*).

ODE VIII. *Mercurium, ac suam testudinem rogat, ut Liden sibi placatam reddant. Danaidum apud Inferos supplicium, et causam ejus narrat.*

MErcuri (nam te docilis magistro
Movit Amphion *a*) lapides, canendo)
Tuque, Testudo *b*), resonare septem
Callida nervis,
Nec loquax olim *c*), neque grata, nunc et
Divitum mensis, et amica Templis *d*);
Dic modos *e*) Lyde quibus obstinatas
Applicet aures.
Tu potes *f*) tigres, comitesque silvas
Ducere *g*), et rivos celeres morari:
Cessit immanis *h*) tibi blandienti
Ianitor aulae
Cerberus; quamvis furiale *i*) centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus *k*) teter, saniesque *l*) manet
Ore trilingui.

dammodo negligens. *aa*) Vitam, valetudinem, epulas. *bb*) Seria, curas.

a) Jovis et Antiopes filius, Urbis Thebanae muros, saxis ad lyrae sonum sponte se componentibus, extruxit. *b*) Lyram invenit Mercurius, eamque primo compegit e testudinis tergo et tegmine, quod cavum est, additis 7. chordis etc. *c*) Quae non eras apta ad canendum, prius quam te Mercurius fidibus instruxisset. *d*) Ubi Deorum laudes canuntur. *e*) O Mercuri, o testudo seu lyra mea, doce me carmina, quae Lyde libenter audiat. *f*) Suam lyram alloquitur. *g*) Ut fecit Orpheus. *h*) Inferorum: cum idem Orpheus descendisset ad Inferos, Eurydicen repetiturus. Vide Virgil. Georg. l. 4. *i*) Anguibus hirsutum, ut caput Furiarum. *k*) Anhelitus. *l*) Tabum, venenum. *m*) Is, cum Juno-

Quin et Ixion *m*), Tityosque *n*) vultu
Risit *o*) invito *p*); stetit urna *q*) paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces *r*).
Audiat Lyde scelus, atque notas
Virginum *s*) poenas, et inane *t*) lymphae
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata *u*),
Quae manent *x*) culpas etiam sub Orco.
Impiae (nam quid potuere majus? *y*)
Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face *z*) nuptiali
Digna, periurum *a*) fuit in parentem

nem temerare voluisset, dejectus in inferos fuit, et rotae, quae perpetuo circumagitur, affixus. *n*) Pro, Tityus. Vide Od. 4. hujus libri *o*) Propter lyrae, cantusque dulcedinem. *p*) Propter poenarum, quibus interim cruciabatur, acerbitatem. *q*) Urnae Danaidum, quibus aquam haustam in dolium pertusum et rimosum infundunt, siccae aliquandiu manserunt illis te audientibus, et laborem omittentibus. *r*) Orpheo canente. *s*) Danaidum; sic vocantur a Patre Danao Argivorum Rege: appellantur etiam Belides, ab avo suo Belo, Aegyptus et Danaus fratres fuere, Beli filii: Aegyptus filios habebat 50. quibus uxores a fratre Danao petiit totidem ejusdem Danai filias: annuit Danaus, sed, cum accepisset se ab uno e suis generis necandum esse, filiabus suis imperavit ut suos singulae sponsos mactarent noctu; quod omnes, praeter Hypermnestram, fecere. *t*) Ordo est: et audiat dolium inane lymphae, pereuntis, seu effluentis, in imo ejusdem dolii fundo, pertuso scilicet, nunquam aqua plenum. *u*) Poenas a fatis destinatas. Sera vocat; quia post mortem inferuntur sceleratis sub Orco, quae viventibus inferri jam tum debuerant; vel, quia nullo exitu terminanda sunt. *x*) Quae fata, quae poenae eos expectant, sceleribus destinatae sunt. *y*) Crudelius, subaudi, facere. *z*) Digna honore matrimonii. Sponsae ducebantur noctu, facibus accensis, in virorum domum.

a) Quia Danaus, Danaidum parens, promiserat suarum filiarum sponsis omnia laeta et fortunata. *b*) Glorio-

Splendide *b*) mendax *c*), et in omne virgo
Nobilis aevum:
Surge, quae dixit iuveni marito *d*);
Surge, ne longus tibi somnus *e*), unde
Non times *f*), detur; socerum *g*), et scelestas
Falle *h*) sorores *i*):
Quae, velut *k*) nactae vitulos leaenae,
Singulos *l*), eheu! lacerant: ego illis
Mollior, nec te feriam, nec intra
Claustra *m*) tenebo.
Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci;
Me vel extremos Numidarum *n*) in agros
Classe *o*) releget *p*).
I, pedes quo te rapiunt, et aurae *q*),
Dum favet nox, et Venus; *r*) i secundo *s*)
Omine: et nostri *t*) memorem sepulcro
Sculpe querelam.

ODE IX. *Fonti Bandusiae sacrificium, et a versibus suis nobilitatem promittit.*

O Fons Bandusiae *a*), splendidior vitro *b*),
Dulci digne mero *c*), non sine floribus,

se, pulcre. *c*) Pollicita erat suo parenti se sponsum necaturam. *d*) Lynceus vocabatur. *e*) Mors. *f*) Ab ea manu, quae tibi suspecta non est; a Danao, si te vivum offendat. *g*) Danaum. *h*) Effuge late. *i*) Meas. *k*) Tanquam leaenae vitulos, quos invenere, contrucidant. *l*) Suos singulae maritos, suum unaquaeque. *m*) Carcerem. *n*) In Africam. *o*) Navi. *p*) In exilium mittat. *q*) Et venti. Ito, fuge: vel terra, et pede; vel mari, et ventis. *r*) Ob meum in te amorem, et pietatem. *s*) Fausto. *t*) Cum ego mortua fuero, tu meo sepulcro insculpe carmen lugubre, quo significes te nostri, te mei amoris, et vitae meo beneficio acceptae, meminisse.

a) Erat ille fons, prope Venusiam Horatii patriam. V. Cl. Fea. *b*) Crystallo pellucidior. *c*) Qui dignus es, cui fiat sacrificium, fontium Numini fieri solitum, sparsis floribus, et mero.

Cras donaberis haedo *d)* ;
Cui frons turgida cornibus
Primis *e*), et venerem et proelia *f)* destinat *g)*;
Frustra : nam gelidos inficiet *h*) tibi *i*)
Rubro sanguine rivos
Lascivi soboles gregis *k)* .
Te flagrantis atrox hora *l)* Caniculae
Nescit *m*) tangere : tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes , et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium *n*)
Me dicente *o)* cavis impositam ilicem
Saxis , unde *p)* loquaces
Lymphae desiliunt *q*) tuae.

ODE X. *Augusti reditum ex Hispania, post Cantabricum bellum , celebrat* .

HErculis *a*) ritu *b)* modo dictus , o plebs,
Morte *c*) venalem petiisse laurum

d) Qui tibi immolabitur , seu Numini , quod tibi praesidet. Sua enim esse singulis fontibus credebant Numina : unde sacri saepe fontes appellantur. *e*) Recentibus , primum emergentibus . *f*) Solent hoedi adversis cornibus inter se pugnare. *g*) Frons illi destinat : idest , qui hoedus , sentiens erumpere sibi cornua , jam se accingit ad proelia : sed frustra ; nam etc. *h*) Tinget. *i*) In honorem tuum, tibi immolatus. *k*) Haedus ille. Capra est animal lascivum. *l*) Calida tempestas , aestivum tempus , quo saevire Canicula solet. Canicula est sidus , quo circa medium Julium exoriente , maximi calores excitantur . *m*) Nequit . *n*) Subaudi , unus : Graeca locutio. *o*) Cum ego laudabo quercum , quae imminet rupi, e qua fluis. *p*) Quibus e saxis. *q*) Defluunt , decurrunt.

a) Ordo est : o plebs , o Quirites. Caesar Augustus , qui modo, qui nuper vobis dictus est laurum et victoriam de Cantabris morte venalem petiisse , instar Herculis , repetit victor domum ab Hispania. In hoc bello periculosus morbus Augustum vexaverat : hinc querelae , et luctus populi Rom. quem Vates hac ode consolatur. *b*) More , et exemplo Herculis, quia Hercules olim, in eadem Hispania versatus, multos la-

Caesar, Hispana repetit Penates *d*)
Victor *e*) ab ora.
Unico *f*) gaudens mulier marito
Prodeat, iustis operata Divis;
Et soror *g*) clari Ducis, et decorae *h*)
Supplice vitta
Virginum matres *i*), iuvenumque nuper
Sospitum. Vos o pueri, et puellae
Iam virûm expertes *k*), male ominatis
Parcite verbis.
Hic dies, vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum *l*),
Nec mori per vim *m*) metuam, tenente *n*)
Caesare terras.
I, pete *o*) unguentum puer *p*), et coronas *q*)

bores, et vitae pericula adierat. *c*) Victoriam sanguine, et periculo sui capitis emendam. *d*) Erant dii domestici: pro ipsa domo ponuntur. *e*) De Cantabris. Vide II. Indicem Odarum, anno U. C. 728. 736. *f*) Matronae castae, unico viro addictae, domo prodeant obviam Caesari, postquam sacrificia obtulerint Diis iustis, qui Augustum, id merentem, et belli, et morbi periculo liberaverunt. *Operari*, *facere* significat *sacrificare*. Quidam volunt hic unam quandam designari mulierem, nempe Liviam, uxorem Augusti: quo sensu si versiculum hunc accipias, ita explica voces illas, *unico gaudens*, *etc.* nempe quae unice gauderet reditu, et salute sui viri: vel unico, id est, singulari, egregio. *g*) Octavia, Antonii nuper demortui uxor, soror Augusti. *h*) Solebant, in publicis supplicationibus, caput et manus taeniolis quibusdam sacris adoperire *i*) Antea matronas omnes erat allocutus; iam eas compellat proprie, quarum erat praecipua pars in ista laetitia ob liberos sospites, et cum Augusto redeuntes. *k*) Iuniores feminas alloquitur, et pueros, quibus, ob innatam aetatis garrulitatem, praesertim praecipiendum erat, ne verbis petulantioribus, profanis, turpibus, infaustis, diem sacram inquinarent. ut linguis faverent, abstinerent a verbis mali ominis. Vide notam in Ode prima huius libri, ad haec verba *Favete linguis*. Porro legendum potius, *male ominatis*, quam, *male nominatis*, ut habent codices nonnulli. *l*) Civile bellum hoc nomine proprie intelligitur. *m*) Per externum, et hostile bellum. *n*) Regente. *o*) Para, affer. *p*) Servum alloquitur. *q*) Coronati floribus, et unguentis de-

Et cadum *r*) Marsi memorem duelli *s*) ;
Spartacum *t*) si qua potuit vagantem
Fallere testa.
Dic et argutae *u*) properet Neaerae
Myrrheum *x*) nodo cohibere *y*) crinem :
Si per invisum mora ianitorem
Fiet, abito.
Lenit *z*) albescens animos capillus,
Litium, et rixae cupidos protervae.
Non ego *aa*) hoc ferrem, calidus juventa,
Consule Planco. *bb*).

ODE XI. *Aurum vincit, ac perrumpit omnia. Nihil cupere, parvo contentum esse, summae felicitatis est.*

INclusam Danaen *a*) turris ahenea,
Robustaeque fores, et vigilum canum

libuti accumbebant. *r*) Cujus vinum conditum sit, bello Marso, seu Marsico. Solebant enim ut saepe dictum antea, inscribere in operculo cadi, seu dolii, quo anno vinum diffusum foret. Porro bellum illud vocatum etiam fuit sociale; quia fuerat conflatum a sociis Italiae populis et foederatis; qui, cum jus civitatis sibi promissum obtinere non possent arma ceperunt. Hos inter quia praecipui Marsi erant, Marsicum est vocatum. Incidit in annum U. C. 663. Vide Florum lib. 3. cap. 18. *s*) Belli. *t*) Si qua ratione, vel, si forte aliqua testa potuit fallere, id est, latere Spartacum vagantem tota Italia, et eam devastantem. Fuit Spartacus gladiator, qui servos et gladiatores Rempublicam armavit, bellumque servile conflavit, anno U. C. 681. Lege Florum lib. 2. cap. 20. *u*) Scite et eleganter canenti. Neaera erat fidicina, quales saepe in conviviis adhibebant : eam Horatius per servulum accersiri jubet. *x*) Myrrheo unguento nitentem. *y*) Religare, colligere. *z*) Ordo et sensus est : capillus albescens, id est, aetas jam in senectutem vergens, lenit, temperat animos meos, hoc est, iracundiam rixae amantem.

aa) Repulsam a janitore non tulissem. *bb*) Consul fuit anno U. C. 711. quo anno Horatius natus erat annos admodum 24. legit Lambinus *Consule Tullo* ; de isto consule dictum supra Od. 7.

a) Erat Acrisii filia, Regis Argivorum. Audierat Acrisius

Tristes excubiae, munierant satis
Nocturnis ab adulteris ;
Si non Acrisium , virginis abditae
Custodem pavidum , Iupiter et Venus
Risissent : fore enim *b*) tutum iter, et
patens ,
Converso in pretium *c*) Deo *d*).
Aurum per medios ire satellites ,
Et perrumpere amat *e*) saxa *f*) , potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris *g*)
Argivi domus , ob lucrum
Demersa excidio : diffidit *h*) urbium
Portas vir Macedo *i*) , et subruit aemulos
Reges muneribus : munera navium
Saevos illaqueant *k*) duces *l*) .
Crescentem sequitur cura *m*) pecuniam ,
Maiorumque fames *n*). Iure *o*) perhorrui

se a nepote vita et solio privatum iri : quare filiam , ne quis ex ea nasceretur , ahenea turri incluserat. Jupiter, in pluviam auream conversus , Perseum ex ea suscepit , a quo Acrisius est interfectus. Huic fabulae occasionem dedit Proetus , Acrisii frater , qui corruptis auro custodibus , aditum ad Danaen invenit. *b*) Subandi , sciebant , ajebant. *c*) In aurum : *d*) Jovi. *e*) Solet. *f*) Arces , oppida munitissima. *g*) Amphiarai familia : qui cum (ut erat augur optimus) intellexisset periturum se in bello Thebano, quod agitabant Polynices , et Adrastus , cujus sororem Eriphylen Amphiaraus duxerat , adduci non poterat ut ad illud proficisceretur ; donec Adrastus monile auro et gemmis praestans Eriphylae dedit ; quo illecta , persuasit viro ut bellum peteret ; in quo ipse , terra discedente haustus est. Eriphyle subinde fuit ab Alcmaeone filio interempta. Alcmaeon ab Adrasto , et Polynice : Amphilochus etiam , Alcmaeonis frater, in bello Thebano periit. Ita ob unius mulieris avaritiam , tota domus exitio demersa est , id est extincta , eversa. *h*) Perfregit , dissecuit. Arietis , et tormenti muralis loco ei munera fuere. *i*) Philippus, Alexandri pater , Macedoniae Rex. *k*) Corrumpunt. *l*) Gubernatores : vel munera navium , id est , merces peregrinae , quae navibus advehuntur , duces exercituum capiunt. *m*) Servandae pecuniae , metus amittendae. *n*) Majorum opum , majoris pecuniae cupiditas. *o*) O Maecenas , qui equitum, et

Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit *p*),
A Dîs plura feret *q*). Nil cupientium
Nudus castra peto *r*); et transfuga divitum
Partes linquere gestio;
Contemptae *s*) dominus *t*) splendidior rei,
Quam si, quicquid arat impiger Appulus *u*),
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae, silvaque iugerum
Paucorum, et segetis certa fides *x*) meae,
Fulgentem *y*) imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.
Quanquam nec Calabrae *z*) mella ferunt apes;

Equestris ordinis (in eo enim ille constiterat prae modestia) decus es, ego jure pertimui magnas opes possidere, et honores; ceteris eminere nolui. *p*) Cupiditati suae, et avaritiae detraxerit. *q*) Obtinebit, a Diis scilicet. *r*) Metaphora ducitur a re bellica: ego partes relinquo avarorum, et amplector partes illorum, qui nihil desiderant, pauper, et nihil ipse possidens aut cupiens, praeter id quod satis est. *s*) Opum exiguarum, quas ipse contemno, et quas ob parvitatem alii merito spernant. *t*) Sapiens enim, sua sorte, ac tenui re contentus, ita se gerit, ut non ipsi pecunia: sed pecuniae ipse imperet. Sane avarus, pecuniae, quam tangere non audet, qua timet uti, dominus dici non debet. *u*) Apuliae solum ferax, et agricolae laboriosi erant. Supra Od. 4. *x*) Fundus fidelis, reddens semper cum foenore sementem commissam. *y*) Phrasis Graeca est: ita est ordinanda: rivus aquae purae, silva paucis constans jugeribus et praedium non mendax, fallit, id est, latet cum qui fulget Africae imperio, hoc est Imperatorem, Regem Africae; latet, inquam, illum, ab eo ignorantur esse hic rivus, haec silvula mea, beatior sorte ac opibus suis, et Regum omnium. Nescit Africae Rex exiguas meas opes, rivum, et silvulam, esse feliciorem sorte sua, regalibus opibus suis; *z*) Calabria, pars est extrema Italiae, prope Siciliam, ubi mel optimum.

Nec Laestrygonia *a)* Bacchus in amphora
Languescit *b)* mihi, nec pinguia Gallicis *c)*
Crescunt vellera pascuis:
Importuna tamen pauperies abest:
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto *d)* melius parva cupidine
Vectigalia *e)* porrigam;
Quam si Mygdoniis *f)* Regnum Alyattei *g)*
Campis continuem *h)*. Multa petentibus
Desunt multa. Bene est *i)*, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

ODE XII. *Aelium Lamiam rusticantem admonet de imminente in posterum diem tempestate quae ipsi occasionem genio indulgendi afferet.*

AELI, vetusto nobilis ab Lamo
(Quando *a)* et priores hinc *b)* Lamias ferunt
Denominatos, et nepotum
Per memores genus omne fastos *c)*

a) Formiana. Formiae, oppidum est Campaniae Italae, ad quod olim Laestrygones, Siciliae populi, commigrarunt; in ejus agro vites optimae, ut flores, et mel in Calabria. *b)* Senescit, mitescit. *c)* Nempe in Gallia Cisalpina, ad Padum, ubi laeta pascua. *d)* Imminuto, refrenato amore divitiarum. *e)* Extendam proventus meos latius, et agros, si nihil cupiam, quam si etc. Nam qui nihil cupit, ditior est, quam qui, multa cum habeat, plura cupit. Vectigal porro saepe sumitur pro fundo et praedio. Vel, vectigalia facilius pendam. *f)* Phrygiis. Mygdon fuit Rex Phrygiae, in Asia. *g)* Croesi; qui filius fuit Halyattis, et Rex Lydiae ditissimus. Legunt aliqui, *Halyattici*, vel *Halyattii* *h)* Continuatum, et aliis adjectum, possideam. *i)* Illi bene est, cum illo praeclare agitur, cui etc.

a) Siquidem. *b)* Ab isto vetusto Lamo, Laestrygonum Rege, Formiarum conditore. Fuit Aeliorum gens Romae in primis nobilis, omnes honores, ac tandem imperium ipsum adepta. Q. Aelius Lamia interfuit bello Cantabrico, et Augusto carus extitit: ad eum scriptam hanc Odem apparet. *c)* Fasti erant libri et tabulae publicae, in quas re-

Auctore *d*) ab illo ducis originem :)
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps *e*), et innantem *f*) Maricae
Litoribus tenuisse Lirim ;
Late tyrannus *g*) ; cras *h*) foliis nemus
Multis, et alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet ; aquae nisi fallit augur
Annosa cornix *i*). Dum potes *k*), aridum
Compone *l*) lignum : cras genium *m*) mero
Curabis, et porco *n*) bimestri,
Cum famulis operum *o*) solutis *p*).

ferebantur quid quoque die gestum esset ad Remp. spectans, virorum Principum nomina, et res gestae etc. *d*) Familiae principe. *e*) Primus. *f*) Qui dicitur tenuisse, id est, obtinuisse, possedisse, Formias, et Lirim fluvium, qui innatat Maricae litoribus, sive, qui alluit litora Maricae. Vocat autem Maricae litora, maritimam oram, in qua sunt Cajeta, Formiae, Minturnae; ubi Liris, prope Minturnas, effundit se in mare: in isto enim tractu Dea Marica, Fauni uxor, eadem quae Circe, olim colebatur. Est Liris fluvius Italiae, dividens Latium a Campania; nunc *Garigliano* vel *Scafati*, vocatus. *g*) Late Rex: amplam ditionem obtinens. *h*) Ordo est; cras tempestas immissa ab Euro, nisi fallit me cornix, quae est augur et divina imbrium imminentium, sternet, scil. consternet silvas, foliis excussit vento, et litora, inutili alga. Est alga, herba quaedam marina, junco et spuma mixta, quam fluctus in ripam projiciunt: hinc proverbium, *alga vilius*, de re inutili. *i*) Virgil. 1. Georg. *Cornix rauca pluviam vocat improba voce.* *k*) Nempe antequam imbre et tempestate madefiat lignum. *l*) Collige, comporta, impone foco jube. *m*) Genio et epulis indulgebis. *n*) Immolabatur porcus Lari et Genio; quia haec pecus ad escam tantum utilis est, ac proinde alendae familiae maxime servit, cui praesunt Lares, et vitae tutandae, cujus potens est Genius, et quasi arbiter. *o*) Genitivus, Graeco more, pro ablativo. *p*) Qui propter tempestatem, labore et opere soluti erunt, vacabunt ab opere rustico.

ODE XII. *Faunum abeuntem precatur, ut agro pecorique sit innoxius.*

FAune, Nympharum fugientum amator,
Per meos *a*) fines, et aprica rura
Lenis incedas; abeasque *b*) parvis
Aequus *c*) alumnis *d*);
Si tener pleno *e*) cadit *f*) haedus anno;
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae *g*); vetus ara multo
Fumat odore *h*).
Ludit herboso pecus omne campo,
Dum tibi Nonae *i*) redeunt Decembres;
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus.
Inter *k*) audaces lupus errat agnos:
Spargit *l*) agrestes tibi silva frondes:
Gaudet invisam *m*) pepulisse *n*) fossor *o*)
Ter pede terram.

a) In agro Sabino villam habebat. *b*) Faunus, idem qui Pan, partem anni degere dicebatur in Arcadia sua, partem in Italia: in eam veniebat Idib. Februarii, abibat Nonis Decemb. Hoc ideo finxere, quod Faunus agris ac telluri praesit, quae, in Italia, mense Februario, solet, hieme depulsa, reflorescere; Decembri, silere et quiescere. *c*) Mitis, innoxius. *d*) Ovium, et aliis id genus fetibus, qui aluntur in villa: ruris vernulis. *e*) Exacto, absoluto. Ut Faunum sibi conciliet, commemorat ea, quae in ejus honorem solebat praestare. *f*) Tibi a me sacrificatur. *g*) A nominativo, cratera, craterae. Dicitur et crater, crateris. Vocatur autem cratera sodalis, id est, socia et amica Veneris, quia sine Baccho et Cerere, ut fert paroemia, friget Venus. *h*) Ture. *i*) Die 5. Decembris, fiebat sacrificium istud Fauno. *k*) Ita freti sunt praesidio tuo agni, ut lupos non curent, interque ipsos lupi errent sine fraude. *l*) Silvae spoliant se frondibus, non tam hiemis adventu, quam pietate erga te; ut nempe tibi humum sternant foliis suis, et sic abeuntem cohonestent et colant. *m*) Invisam vocat, qui in ea colenda et exercenda sudat. *n*) Saltando ad numerum. *o*) Vinitor, colonus.

ODE XIV. *Telephum hortatur, ut, omissis litteris, et historiis, de vino et epulis cogitet.*

QUantum *a*) distet *b*) ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, et genus Aeaci *c*),
Et pugnata sacro bella sub Ilio *d*):
Quo Chium *e*) pretio cadum
Mercemur, quis aquam *f*) temperet *g*) ignibus,
Quo praebente *h*) domum, et quota
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunae *i*) propere novae *k*),

a) Ordo est. O Telephe tu mihi narras odiose quantum sit intervallum temporis inter duos Reges Graecos, Inachum, et Codrum etc. taces interim, nihil dicis, quemadmodum mercemur optimum vinum etc. *b*) Quanto post tempore vixerit. Inachus Argivorum Regno initium dedit, circa annum mundi 2107. Codrus, Atheniensium Rex ultimus, circa 2980. Is pro patria se devovit, in bello quod inter Dorienses et Athenienses erat. Cum enim oraculum respondisset, eos fore superiores, quorum dux in acie occidisset, pastorali sumpto habitu, hostium agmen ingressus, dum temere jurgium ciet, ab gregario milite interfectus est. *c*) Fuit Aeacus, Jovis filius, Pelei pater, Achillis avus. Per Aeaci genus, possunt significari Aeacidae, Peleus, Achilles, Pyrrhus etc. Sic Danaides appellat Danai genus, lib. 2. *d*) Troja, sic dicta ab Ilo, Trojana Rege. Sacrum dicitur, ob templorum in ea urbe celebritatem ac multitudinem; vel, quia Neptunus et Apollo ejus moenia condiderant. *e*) Chios insula est maris Aegaei, inter Samum, et Lesbum, vino suo inclyta. *f*) Balnei, quo utebantur ante coenam. Interdum etiam calida vinum temperabant; ut vini frigiditas, nive, aut glacie quaesita, non noceret. *g*) Tepidam faciat. *h*) Cujus in domo, quota hora, mensae accumbam, ad focum, et propulsem hibernum frigus: quod Pelignum vocat, ab regione Pelignorum nota Horatio, quia Peligni erant vicini Sabinis: eorum regio, propter montes, frigida. *i*) Subaudi, poculum, nempe quod hauriam in honorem Lunae novae. Sic Ode. 7. vocat cyathos amici sospitis, eos qui in amici gratiam siccantur. Cedo pa-

Da *l*) Noctis mediae, da, puer, auguris *m*)
Murenae: tribus *n*), aut novem,
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares *o*),
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres *p*) prohibet supra,
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis iuncta sororibus.
Insanire iuvat *q*): cur Berecyntiae *r*)

teram; propinare placet Lunae novae, Nocti mediae, Licinio Muraenae, auguri recens ereato. Erat ille frater uxoris Maecenatis, et in ejus gratiam scripta baec Ode videtur. Vide l. 2. Oden 7. Forte per haec verba, *Auguris Muraenae*, significatur tempus matutinum, quo fere auguria captabantur ab auguribus, quorum unus erat Muraena. Sic tria quaedam tempora notare videtur, quod totam noctem vellet potando transigere. *k*) Per Lunam novam, quidam suspicantur Lunam vesperi surgentem indicari; ut ver novum dicitur, quod incipit, et Sol novus, Sol oriens; adeoque hac voce significari initium noctis et coenae, quam Horatius productam velit ad mediam noctem, cui se quoque propinaturum ait. Alii per Lunam novam, intelligunt crescentem, nondum plenam. *l*) Vocat servum, et quasi arrepto calice, infundi sibi jubet. *m*) Augures, illi erant, qui ex avium cantu, pastu, volatu, futura praedicebant, ac Deorum voluntatem renunciabant. *n*) Id est: commode, convenienter Musis, aut Gratiis bibitur, cum tria pocula ebibuntur, vel cum novem. Funduntur ergo pocula, id est vasa majora, in cyathos, vel tres in honorem Gratiarum, vel novem, in honorem Musarum. *o*) Novem. *p*) Ordo est: Gratia, sororibus juncta, id est, tres Gratiae, prohibent tangi pocula et ebibi supra tria, plura tribus; quia si bibantur plura, periculum est rixarum, quas Gratiae fugiunt. *q*) Citra modum, et liberalius bibere certum est. Itaque novem cyathos hauriam, Musarum memor, Gratiis invitis. *r*) Phrygiae. Berecynthus est mons Phrygiae. Tibiae Phrygiae, sive impares dicebantur, cum duae adhibebantur, altera dextra, altera sinistra, quae junctae sonum efficiebant mixtum ex acuto et gravi. Dextra enim tibia (ita dicta, quia dextra oris parte inflabatur) erat unico foramine, eoque apertiori; unde sonus gravior exibat: sinistra vero duplex habebat foramen. et utrumque angustius; unde sonus acutior. Si duae dextrae

Cessant flamina tibiae
  Cur pendet *s*) tacita fistula cum lyra ?
Parcentes *t*) ego dexteras
  Odi : sparge rosas : audiat invidus
Dementem *u*) strepitum Lycus *x*) ,
  Et vicina *y*) seni non habilis Lyco.

ODE XV. *Amphoram suam hortatur, ut in Corvini gratiam, vinum vetustum, cujus laudes prosequitur, depromat.*

O Nata *a*) mecum , Consule Manlio ,
  Seu tu querelas, sive geris *b*) iocos ,
    Seu rixam, et insanos amores ,
      Seu facilem pia *c*) testa somnum :
Quocumque *d*) lectum nomine Massicum *e*)

tibiae inflarentur , modus Lydius dicebatur; si duae sinistrae, Sarranus , sive Tyrius : et tunc pares tibiae esse dicebantur, quando scilicet duae erant dextrae , vel duae sinistrae. Modus porro Phrygius , de quo hic agit Horatius , erat jocis et conviviis accommodatior : ita forte dictus, quia inventus a Phrygibus. Adi Comoedias Terentii expurgatas , et a nobis illustratas, in Andriae limine , Phormionis , etc. *s*) E pariete. *t*) Parcas. O puer , sparge affatim et large rosas ; liberalis esto et prodigus : tales nunc amo. *u*) Inconditum , vehementem , ut ab ebriosis tollitur. *x*) Vicinus aliquis, Horatio infensus. *y*) Uxor Lyci : cujus mores discrepant a mariti moribus , cui cum marito non convenit.

a) Recte illi , meo judicio , sentiunt , qui negant designari aetatem amphorae vino vacuae ; quia non laudabatur vetustas vasis , sed vini. Itaque nata dicitur amphora , quo tempore impleta vino fuit ; nempe eodem anno , et Consule, quo natus erat Horatius , Urbis 689. L. Manlio Torquato, et L. Aurel. Cotta Cos. *b*) Quasi gravida esset amphora querelis , jocis , somno ; quia haec omnia parturire vinum solet. *c*) Vox amorem , et venerationem sonans . *d*) Non hic designatur nomen Consulis : illud enim disertis verbis jam attulit Horatius : haec igitur est sententia ; quaecumque fuerit causa et ratio , cur vinum in te conderetur. Varia enim erat vini bonitas , ob quam servabatur : aliud lenitate, aliud robore , aliud subtilitate , aliud alio nomine praestabat. *e*) Est mons in

Servas, moveri *f*) digna bono die *g*);
Descende *h*), Corvino *i*) iubente *k*)
Promere *l*) languidiora *m*) vina.
Non ille, quaquam Socraticis *n*) madet *o*)
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis *p*)
Saepe mero caluisse virtus.
Tu lene *a*) tormentum ingenio admoves.
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo.
Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque, et addis cornua *b*) pauperi;
Post te *c*) neque iratos trementi
Regum apices *d*) neque militum arma.
Te *e*) Liber *f*), et si laeta aderit Venus,

Campania, unde vinum optimum. *f*) Ut res sacra; ex apotheca deripi et proferri. Statuae Deorum, cum ad aliquam supplicationem efferebantur e templis, moveri propria voce dicebantur. Vide Od. 16. l. 1. *g*) Quo, vel Corvinus Consul creatus erat, anno U. C. 722. aut triumphum de Gallis idem retulerat anno 736. *h*) Ex apotheca, ex horreo. *i*) M. Valerio Messala Corvino qui, et consulatum gessit, et de Gallia triumphavit. Vide Svet. Aug. cap. 58. *k*) Quia forte se ad coenam ipse invitaverat apud Horatium. *l*) Descende ut promas. *m*) Vetusta, et proinde mitiora. *n*) Etsi Corvinus austeriori philosophia, quam Socrates docuit, et quae sobrietatem maxime commendat, totus imbutus sit, non erit ille tamen adeo tetricus et austerus, ut te negligat, ac respuat. *o*) Imbutus est ad plenum, delibutus. *p*) Censorii, qui, Plutarcho teste, moderatas epulas non spernebat. Priscus vocatur, sive senior; nam Cato Uticensis erat illius nepos: Catonis virtus, pro Catone virtute praedito.

a) Tu expugnas severitatem ac duritiam ingenii asperioris; velut admota bellica machina expugnantur arces. *b*) Vires, audaciam. *c*) Ubi plus adhibit. *d*) Diademata, potestatem et iram. *e*) Ordo est, Liber et Venus, si quidem laeta aderit, et Gratiae, et lucernae vivae te producent, usque dum, Phoebus rediens fugabit astra: id est, producent convivium, in quo tu vina nobis dabis, per totam noctem. *f*) Bacchus; qui

Segnesque *g*) nodum solvere Gratiae,
Vivaeque *h*) producent *i*) lucernae,
Dum *k*) rediens fugat astra Phoebus.

ODE XVI. *Dianae pinum consecrat; verrem pro victima pollicetur.*

MOntium custos *l*) nemorumque virgo,
Quae laborantes utero puellas,
Ter *m*) vocata audis, adimisque letho,
Diva triformis *n*),
Imminens *o*) villae tua *p*) pinus esto:
Quam per exactos *a*) ego laetus annos,
Verris *b*), obliquum *c*) meditantis *d*) ictum,
Sanguinem donem.

Lieus etiam dicitur, quia liberos et solutos facit. g) Quae segnes et pigrae sunt, ad solvendum nodum, quo se invicem insertis dextris tenent: quae mutuam concordiam arctissime retinent. *h*) Tamdiu lucerna vivere censetur, quandiu ardet. *i*) Proferent, protrahent. *k*) In lucem: tu continuabis epulas per totam noctem. *l*) Diana, sive Luna: partubus eadem dicebantur praeesse: tumque Lucina, et Ilithyia vocabatur. *m*) Numerus ternarius religioni servit; ac vulgo in sacri adhibebatur. *n*) Quia Luna tres maxime phases, ut vocant, seu species et formas habet, crescens, plena, decrescens: item tria nomina; in Caelo vocatur Luna; in terris, Diana; in Inferis, Hecate, sive Proserpina, *o*) Incumbens. Significat villam in declivi loco sitam fuisse, et pinum illi velut impositam, in loco superiori et vicino consitam. *p*) Tibi sacra, cujus in tutela sunt sylvae et arbores.

a) Absolutos, vertente anno quolibet, quotannis. *b*) Porcelli. *c*) Maiores dentes, quibus porci utuntur, cum aliquem petunt, ita sunt dispositi ad malae latus, ut ictum nisi obliquum inferre non possint. *d*) Infligere parantis: se ad obliquos ejusmodi morsus inferendos exercentis; sed frustra, quia prope

ODE XVII. *Phidilen monet, Deos rusticis et minime sumptuosis muneribus recte coli posse.*

CAElo supinas *e*) si tuleris manus.
Nascente Luna *f*), rustica Phidile;
Si thure placaris *g*), et horna *h*)
Fruge *i*) Lares *k*), avidaque porca;
Nec pestilentem *l*) sentiet Africum
Foecunda vitis, nec sterilem *m*) seges
Rubiginem, aut dulces alumni *n*)
Pomifero grave tempus *o*) anno.
Nam, quae *p*) nivali parcitur Algido

sacram pinum immolabitur. *e*) Sublimes, porrectas Coelum versus, ita ut vola Caelum respiceret, qui gestus erat supplicantium. Deos Caeleste precabantur, manibus in Caelum sublatis, marinos, ad mare porrectis; manes et inferos, terra manu vel pede percussa. *f*) In noviluniis maxime sacrificia fiebant pro terrae frugibus: quibus augendis aut minuendis praecipua Lunae vis est. *g*) Ultima syllaba longa est, ob caesuram, vel ob syncopen, placaris enim est pro placaveris. *h*) Praesentis anni: ab adiectivo, *hornus, horna, hornum. i*) Frumento. *k*) Deos domesticos: Penates etiam dicuntur. *l*) Ob calorem humidum. Est autem Africus, ventus meridionalis. *m*) Quia steriles agros facit. Rubigo est vitium segetis, cum aristae contrabescunt. *n*) Pueri et vernulae tui: vel, foetus pecudum. *o*) Subaudi, sentient: non sentient caeli et tempestatis gravitatem, in anno pomifero, id est, in autumno; in qua parte anni fructus leguntur, et morbi ingravescunt. *p*) Sensus est: maiores illae victimae, quae e sacrificiis devotae et destinatae, pascuntur in Algido (mons est Italiae) aut pascuis laetis, prope Albam (Urbs est Latii) illae, inquam, securi ferientur a pontificibus, in maioribus videlicet publicisque sacrificiis. Te vero nihil opus est tentare Deos tuos Lares multa bidentium caede: quae coronare illos soles rore marino, et myrto. *Deos tentare*, est, in hoc loco, Deorum pacem et beneficia exposcere, placare Deos velle, experire quid ab iis obtineri sacrificio possit.

Devota *a*), quercus inter et ilices,
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, pontificum secures
Cervice tinget. Te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium *b*)
Parvos *c*) coronantem marino
Rore Deos fragilique myrto
Immunis *d*) aram *e*) si tetigit manus;
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit *f*) aversos *g*) Penates
Farre *h*) pio, et saliente mica *i*).

a) Vota et promissa: aris destinata. *b*) Ovium, pecudum. Bidentes autem vocabantur: vel quia binos dentes hostiae sic dicta debebant habere, ceteris sex longiore, vel quasi bidennes, pro, biennes: quia bimae debebant esse. *c*) Tuos Deos Penates, quorum statuae parvae sunt: vel qui domui tuae parvae, et casulae presunt. *d*) Ita sententiam et voces compone. Si, id est: etsi tua manus immunis, hoc est, sine muneribus, vacua magnis muneribus, aram tetigerit: tamen farre pio, nempe tenui munusculo et pie oblato, mollibit Penates, non blandior futura, id est; non aptior futura ad eos placandos, cum hostia sumptuosa, id est, si hostias ingentes et sumptuosa munera iisdem offerret; Vel, in hunc modum; si, dummodo, tua manus immunis culpae, pura sceleris, aras tangat; tunc nulla hostia sumptuosa erit blandior et aptior ad placandos Deos, quam far pium et mica saliens. Eo sensu hostia nominativus casus erit: et in voce, *sumptuosa*, erit ultima syllaba producta, ob duas consonantes sequentes, in voce, *blandior*. *e*) Solebant aras manu tangere, cum Diis supplicabant. *f*) Molliet, placabit. *g*) Iratos. *h*) Hordeo molito, cui sal mixtus. Utrumque in ignem, arae impositum, conii ciebant: sal autem iniectus igni, salit. *i*) Salis mica.

ODE XVIII. *Saeculi sui vitia insectatur, et eorum remedia proponit.*

Intactis *k*) opulentior
Thesauris Arabum *l*), et divitis Indiae *m*)
Caementis *a*) licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, et mare Apulicum *b*);
Si figit *c*) adamantinos *d*)
Summis verticibus dira necessitas
Clavos; non animum metu,
Non mortis laqueis expedies *e*) caput.
Campestres *f*) melius Scythae *g*)
(Quorum plaustra vaga rite trahunt domos,)
Vivunt, et rigidi Getae,
Immetata *h*) quibus iugera liberas *i*)

seu particula. *k*) Ordo est: licet tu, opulentior Arabibus, et Indis, occupes et reples domibus tuis littus maris Tyrrheni et Adriatici: tamen non expedies animum curis et motu, non corpus mortis necessitate. Avaros igitur primo loco exagitat. *l*) Sunt in Asia, inter Aegyptum, et Judaeam, latrociniis suis infames ac divites. Intacti appellantur hic, quia nondum in eos arma Romani verterent. Factum id postea, Augusto decimum Consulatum gerente, ab Aelio Largo. Vide 2. Indice Odarum. *m*) Regio orientalis est, prope Sinam; quam medius Ganges secat, gemmis et auro locuples.

a) Molibus, caemento factis, quibus in maris littore domos imponebant. Vide Oden 1. huius libri. Sunt autem caementa, lapides minutim caesi. *b*) Adriaticum, in quo est Apulia, oppositum Tyrrheno. *c*) Si te mors, si fati necessitas invadit, si clavos summo vertici, id est, capiti tuo, figit, quibus te attrahat, sibique vindicet. Unco impacto Rei trahebantur in Gemonias. Vide. l. 1. Od. 29. Potest etiam ita explicari, siquidem necessitas, summorum virorum, puta; Regum et Principum, verticibus iniicit manus suas clavis trabalibus armatas: tu, illis tanto inferior, non effugies, non vitabis mortis laqueos. *d*) Duros instar adamantis. *e*) Exolves, extricabis. Sumptum a gladiatore retiario, qui conabatur caput Mirmillonis implicare reti. Vide Iuvenalem a nobis expurgatum, Sat. 8. *f*) Qui mediis in campis, ac identidem mutatis, degunt. *g*) Populi Septemtrionales, ubi nunc Moscovia et Tartaria. *h*) Non distincta meris et limitibus *i*) Nullius proprias,

Fruges, et Cererem ferunt;
  Nec cultura *k*) placet longior annua:
Defunctumque laboribus
  Aequali recreat sorte vicarius.
Illic *l*) matre carentibus
  Privignis mulier temperat innocens;
Nec dotata *a*) regit *b*) virum
  Coniux, nec nitido fidit *c*) adultero.
Dos est *d*) magna parentium
  Virtus, et metuens alterius viri
Certo foedere castitas:
  Et peccare *e*) nefas *f*), aut pretium *g*), est mori,
O quisquis *h*) volet impias
  Caedes, et rabiem tollere civicam *i*)
Si quaeret *k*), Pater urbium,
  Subscribi statuis, indomitam audeat
Refraenare licentiam *l*);

omnibus communes. *k*) Colendae terrae labor. Terram nemo diutius uno anno colit; sed postquam annuo labore aliquis eorum est defunctus et liberatus, eum vicarius, id est, successor, qui vices eius et locum accipit, recreat fatigatum et quiescere iubet eadem sorte nimirum et lege, nempe ut post annum quoque laborem ipsi succedatur. *l*) Apud illos noverca non nocet privignis, id est, sui viri filiis, ex alia coniuge susceptis; temperat sibi et abstinet ab eorum nece, in eo se innocentem praestat, quod ab illorum nece temperat.

a) Quae dotem ampiam viro attulit. *b*) Illi imperat, viri est domina. *c*) Credit, gaudet. *d*) Apud Scythas, et Getas, haec est dos virginum praecipua, quod probis ortae sint parentibus; quod castae et servantes certi, id est, coniugalis foederis quo ita se alligatas et obstrictas viro suo putant ut alterum fugiant. *e*) Fidem coniugalem violare. *f*) Nefas est, non licet. *g*) Poena est. Nefas sibi esse putant peccare; aut si peccant, merces peccati mors est. *h*) Hactenus de vitiis dixit: avaritia et impudicitia: iam agit de remediis. *i*) Seditiones, bella civilia; quorum caussae sunt vitia civium. *k*) Optabit, ambiet ut statuis suis istud elogium subscribatur, *Pater urbis, patriae etc.*. *l*) Auri et voluptatum cupiditatem, eaedes, fla-

Carus *m*) postgenitis : qualenus (heu nefas)!
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.
Quid *n*) tristes quaerimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur *o*)?
Quid leges sine moribus *p*),
Vanae proficiunt? si neque fervidis
Pars *q*) inclusa caloribus
Mundi, nec Boreae finitimum latus *r*),
Durataeque solo *s*) nives,
Mercatorem abigunt *a*)? Horrida *b*) callidi
Vincunt aequora navitae:
Magnum pauperies opprobrium *c*), iubet
Quidvis et facere et pati:
Virtutisque viam deserit arduae.
Vel nos in capitolium *d*),
Quo clamor *e*) vocat, et turba faventium,

gitia. *m*) Celebris futurus apud posteros, non suo aevo; quatenus, id est, quia nos odio iam habemus homines virtute praeditos: dum sunt incolumes, et vivunt: mortuos quaerimus et amamus: quod fit ob invidiam. *n*) Quo valent? quid iuvant? *o*) Amputatur. *p*) Virtutibus, studio et amore probitatis, sine proba institutione: Non satis est hominum peccata legibus, et metu poenae coercere: sed etiam oportet cives ab ineunte aetate bene institui, atque ad virtutem informari. *q*) Zona torrida. *r*) Zona frigida, hyperborea. *s*) In solo, in agris: vel ita ut solum et solidum pavimentum efficiant. *a*) Deterreant a navigando. *b*) Procellosa. *c*) Quam probrosam et turpem falso avari putant. Est autem hic ordo, pauperies (quae magnum est opprobrium) cogit homines ad quidvis turpe faciendum et ferendum; eademque deserit, id est, in caussa est cur deseratur virtutis via. *d*) Subaudi vocem infra positam, mittamus; comportemus, nimirum in templum Jovis Capitolini, gemmas, aurum etc. aurum Deo ac templis consecremus, ut a nobis repeti amplius nequeat, tamquam re sacra, et Superis addicta; ibique religioni ac pietati serviat, vel proiiciamus illud in mare. *e*) Romani cives interdum etiam Imperatores (id quod de Augusto Svetonius narrat) dona eiusmodi Capitolio et Jovi offerebant: quod populus secundo fa-

Vel nos in mare proximum ,
  Gemmas *f*) , et lapides , aurum et inutile,
Summi materiam *g*) mali ,
  Mittamus. Scelerum si bene poenitet ,
Eradenda Cupidinis *h*)
  Pravi sunt elementa *i*) ; et tenerae *k*) nimis
Mentes asperioribus
  Formandae studiis *l*) : Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer ;
  Venarique timet , ludere doctior ,
Seu Graeco *m*) iubeas trocho *n*) ,
  Seu malis *o*) vetita legibus alea *p*) :
Cum *q*) periura patris fides
  Consortem *a*) socium fallat , et hospitem :
Indignoque pecuniam
  Haeredi properet *b*) : scilicet improbae *c*)
Crescunt divitiae , tamen
  Curtae *d*) nescio quid semper abest rei.

vore et laetis acclamationibus spectabat, imo eos, qui haec ferrent, in templum applaudens deducebat. *f*) Gemma proprie est lapis quidem pretiosns, et pellucens, ut adamas etc. Lapis vero, alia quaelibet gemma, non perspicua. *g*) Omnium criminum occasionem et irritamentum. *h*) Amoris divitiarum. *i*) Primordia, radices, fibrae ipsae extirpandae *k*) Delicatae. *l*) Exercitationibus. *m*) A Graecis invento, *n*) Trochus, rota quaedam erat, sive circulus ferreus, insertis annulis refertus , quem vicatim pueri non sine arte quadam et venustate, cum sonoro annulorum tinnitu, agitabant. *o*) Seu malueris, a verbo, *malle*, *p*) Od. 4. l. 1. Od. 1. et 5. l. 11. *q*) Neque id mirum; siquidem ipsins pater est periurus , qui socium et hospitem fallere non dubitet. Periuram fidem vocat, quae falso iuramento firmata et periuro fuerit, ad socium facilius decipiendum.

a) Cum quo iniit lucri et damni societatem. *b*) Propere ac seducto quaerat , augere festinet. *c*) Vel , quae improbos efficiunt: vel, quae improbo labore, summo studio colliguntur. *d*) Opibus exiguis. Avaro suae opes, etsi crescant semper ,

ODE XIX. *Se, Bacchi Numine afflatum, laudes Caesaris non humili modo cantaturum.*

QUO, me, Bacche, rapis tui *e*)
Plenum? quae memora, aut quos agor *f*) in specus,
Velox mente nova *g*)? quibus
Antris, egregii Caesaris audias
Aeternum meditans decus *h*),
Stellis inserere *i*), et consilio Iovis?
Dicam insigne *k*), recens, adhuc
Indictum ore alio. Non secus *l*) in iugis *m*)
Ex somnis *n*) stupet Evias *o*)
Hebrum *p*) prospiciens et nive candidam
Thracen *q*), ac pede Barbaro *r*)

tamen videntur breves, et spe sua minores ac votis. *e*) Tuo afflatum numine: Entheo furore percitum. *f*) Ducor: rapi mihi videor. *g*) Novo afflatu, quasi pennis sublatus, et velox factus. *h*) Canens. Sic Virgil. *Sylvestri meditatur arundine Musam. i*) Ordo et sententia est: quibusnam in antris cantabo, et audiar canere decus aeternum, laudes immortales facinora praeclara, Caesaris, eaque inserere stellis, hoc est, ad caelum tollere, et ipsum Caesarem coetui Deorum, e quibus concilium Jovis constat, adscribere? Augustus adhuc superstes, inter Divos relatus, et Deus appellatus est. *k*) Aliquid eximium de Caesare cantabo, res novas, nulli antea dictas. *l*) Non alio furore Maenades corripiuntur, quam quo me perculsum nunc sentio. *m*) In montibus Baccho sacris, qualis est Parnassus, Rhodope. *n*) Sine somno, Virgil. Orgia, sive sacra Bacchi, noctu agitabantur. Vel, soluta somno, postquam furorem quasi edormivit, et ad se rediit. *o*) Bacchi sacerdos mulier et comes, ab Evius, id est, Bacchus. De qua voce dictum saepe antea. *p*) Thraciae fluvium. *q*) Thraciam. *r*) Pedibus Thracum, qui ad tua, o Bacchus, festa celebranda, in Rhodopem conveniunt, eamque pervagantur, Graecis ceteros omnes populos vocabant Barbaros. Adde quod Thraces, ob asperitatem regionis, erant in primis barbari et inculti.

Lustratam Rodopen. Ut mihi *a*) devio
Rupes, et vacuum nemus
Mirari libet! O Naiadum potens *b*),
Baccharumque, valentium *c*)
Proceras manibus vertere fraxinos;
Nil parvum, aut humili modo;
Nil mortale loquar: dulce periculum *d*) est,
O Lenaee *e*) sequi Deum *f*),
Cingentem viridi tempora pampino.

ODE XX. *Se nuncium rebus ludioris remittere.*

VIxi choreis nuper *g*) idoneus,
Et militavi *h*) non sine gloria:
Nunc arma *i*), defunctumque bello *k*)
Barbiton, hic paries habebit.

a) Quam ego libens et laetus aspicio, mirorque illas rupes, illud solitarium et vacuum hominibus nemus! Quam libenter devius huc illuc aberro et spatior! *b*) Ut Venerem Cypri potentem l. 1. dixit; sic Bacchum Naiadum potentem, id est, dominum, ducem, vocat. Naiades sunt Nymphae fontium, dantur illae comites Baccho, quia vinum aqua temperandum. *c*) Id est, quae Bacchae valent, possunt, fraxinos altas evertere. Euripides, in Bacchis, ait Pentheum insequente Agave, et Maenadibus, in fraxinum, seu abietem, ascendisse: eamque arborem statim a Bacchis eradicatam, et dejectam cum Pentheo fuisse. Vide Od. 16. l. 111. *d*) Periculosum ea polliceri quae praestare vix possim; arduum est ista magna, et sublimi modo, de Caesare dicere: sed haec difficultas est dulcis illi, qui Bacchum ducem et auctorem sequitur. *e*) Bacche, a voce graeca, quae torcular significat. *f*) Te Bacchum. Pampinus est vitis folium. *g*) Dum essem junior. *h*) Lusi, genio indulsi: habet enim sua castra, et arma Cupido, ut ait Ovidius. *i*) Versus, lyram. Solebant milites emeriti, ensem, artifices qui deponebant artem aliquam, instrumenta suae artis deo illius artis praesidi consecrare, et suspendere. Itaque Horatius barbytum, sive lyram suam, qua versus olim amatorios scripserat, Veneri consecrat, ac suspendit e pariete ad laevum latus statuae Veneris, quam in eodem pariete domi suae habebat. *k*) Cessantem a bello, nempe a ludicris carminibus. De-

Laevum *a*) marinae *b*) qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida
Funalia *c*), et vectes et arcus
Oppositis foribus minaces.
O quae beatam Diva *d*) tenes *e*) Cyprum, et
Memphim *f*) carentem Sithonia nive,
Regina, sublimi *g*) flagello
Tange Chloen *h*) semel *i*) arrogantem.

ODE XXI. *Galateam, mari se commissuram, faustis ominibus prosequitur; simulque; deterrere ab itinere conatur, Europae exemplo.*

IMpios *k*) parrae recinentis omen *l*)
Ducat, et praegnans canis, aut ab agro

functus opere aliquo dicitur, quid illud absolvit, bello, qui bello iam caret, in quo versatus antea fuit, emeritus.

a) Laeva, seu, sinistra pars minus est honorata: itaque, in Veneris honorem, ad eius sinistrum latus lyram ponit. Custodire, tegere latus est lateri adstare. Lege Satyram 5. l. 11. Sat. *b*) Venus e mari nata dicitur a poetis: unde illam Graeci Pontiam, et Pelagiam vocant. *c*) Iuvenes protervi, et petulantes solebant urbem noctu circumcursare cum lampadibus, vectibus, arcubus, etc. illisque armis fores evertebant: unde illos arcus vocat minaces foribus oppositis, seu clausis. *d*) Venus. *e*) Obtines, regis. Vide Od. l. 1. *f*) Urbem Aegypti primariam, ubi calores sunt maximi. Quare illa carere dicit nive Sithonia, idest, frigore aspero, quale est in Thracia, regione Europae frigida, et Septemtrionali, quae olim dicta est Sithonia. *g*) In altum sublato, ut ictus sit vehementior. *h*) Mulierem superbam, et ferocem: eam a Venere puniri orat. *i*) Saltem semel tange; sed ita, ut plagam probe sentiat. *k*) Homines impios, iter aggressuros, ducant sane, ac prosequantur mala omnia, quale est, vox parrae (est avis sinistra) recinentis, id est, iterum atque iterum canentis, occursu canis foetae, aut lupae ravae, hoc est, rufae, descendentis ab agro Lanuvino, etc. vel serpentis transversae, et instar iaculi iacentis humi, et equos territantis. *l*) Proprie vox est nominum ore prolata. Divino tamen nutu, quae aliquid fa-

Rava *m*) decurrens lupa Lanuvino *n*),
Foetaque vulpes:
Rumpat et serpens iter institutum *a*)
Si per *b*) obliquum similis sagittae
Terruit mannos *c*): ego cui *d*) timebo
Providus auspex.
Antequam stantes *e*) repetat paludes
Imbrium divina *f*) avis imminentum.
Oscinem *g*) corvum prece suscitabo
Solus ab ortu *h*),
Sis licet *i*) felix, ubicumque mavis *k*)
Et memor nostri Galatea vivas:
Teque nec laevus *l*) vetet ire picus,
Nec vaga cornix.

ciendum significat. *m*) Ravus color est inter flavum, et caesium. *n*) Lanuvium est vicus in via Appia, per quam iter factura erat Galatea, Brundusium versus (ubi portus erat maris Adriatici celeberrimus) et inde in Gracciam solutura.

a) Incoeptum. *b*) Istud, *Si* ponitur pro, *cum*: ita Catull. *Si luxerit* idest, *cum lucebit*. *c*) Manni sunt equi exigui. *d*) Legendum est hoc sine interrogationis nota, hoc sensu: ego cui timebo, idest, si quem carum habebo, cui omnia secunda cupiam evenire; in illius gratiam, precibus meis conabor obtinere a Diis, ut appareat illi corvus oscen ab oriente; idque faciam auspex, augur providus, antequam cornix repetat plaudes, ibique crocitans pluviam provocet, ae presagiat. Auguria enim capi non poterant, nisi sereno caelo. *e*) Pigras desides, stagnantes. *f*) Praenuncia, praesaga. *g*) Illae aves oscines dicebantur, quae augurium praebebant cantu, quasi, oricines; praepetes, quae volatu. *h*) Corvus ab ortu volans erat felicis ominis. Qui captabant auguria, orientem solem spectabant, ut Caeli partem auspicatissimam. *i*) Per me licet sis felix, cupio tibi omnia bene evenire: sed tamen vide, quaeso, quid agas, etc. *k*) Subaudi esse: ubicumque, ubi sis, felix esto. *l*) A sinistra volans, quae pars mali ominis censebatur. Picus Martius avis quaedam est, arborum forti-

Sed vides quanto trepidet *m*) tumultu *n*)
Pronus *o*) Orion ? ego , quid sit ater *p*)
Adriae novi sinus: et quid albus *q*)
Peccet iapyx *r*).
Hostium *s*) uxores , puerique caecos *t*)
Sentiant motus orientis Hoedi *a*) , et
Aequoris nigri fremitum , et trementes
Verbere *b*) ripas.
Sic *c*) et Europe *d*) niveum doloso *e*)
Credidit *f*) tauro latus , et scatentem *g*)
Belluis pontum , mediasque *h*) fraudes
Palluit audax.
Nuper *i*) in pratis studiosa florum , et
Debitae Nymphis opifex coronae ,
Nocte sublustri , nihil astra praeter
Vidit et undas

cem tundens rostro. *m*) Agitet omnia , et perturbare incipiat. *n*) Mugitu ventorum, et maris motu. *o*) Vergens in occasum , devexus : tunc enim tempestates excitat gravissimas. *p*) Quam periculosis tempestatibus scateat. *q*) Nubilus, frigidus. *r*) Ventus ex Apulia flans, commodus Graeciam petentibus ille quidem, ac proinde Galateae optandus , sed infidus tamen , ut Horatius ait , et qui peccare , id est , tempestates interdum soleret exercitare. *s*) Hostibus imprecari solebant mala , quae ab amicis vellent amoliri. *t*) Improvisos, ignotos.

a) Vide Od. 1. huius libri. *b*) Fluctuum , ripas tundentium in tempestate. *c*) Ut tu, o Galatea, nihil vides quod metuas ; sic Europe tauro se credidit, ac ponto, nihil periculi metuens , quod experta tamen est gravissimum. *d*) Nota fabula de Jove in taurum mutato, et Europam vehente ; hinc orta , quod Europe, Agenoris Phoenicum regis filia , rapta fuerit a quodam rege Cretae, qui, vel Taurus vocaretur, vel navi Tauro dicta, veheretur. *e*) Qui Deum tegebat. *f*) Commisit , imposuit, se tauri tergo, a quo est abrepta medias in undas. *g*) Plenum portentosis piscibus. *h*) Media pericula expalluit , quamvis esset audax. Fraus saepe pro periculo sumitur. Vel se tantum deceptam sensit , cum in media fraude esset , cum nihil opis aut remedii superesset. *i*) Ordo est : quae nuper , quae paulo ante , in pratis erat opifex studiosa florum , quae flores legebat, ut ex iis texeret coronam Nymphis debitam, id

Quae simul *k*) centum tetigit potentem
Oppidis Creten ; Pater *l*) , o relictum
Filiae nomen , pietasque , dixit ,
Victa furore.
Impudens liqui patrios Penates :
Impudens Orcum moror *m*). O Deorum
Si quis haec audis , utinam inter *n*) errem
Nuda leones !
Vilis Europe *a*) , pater urget absens :
Quid mori cessas , potes hac ab orno *b*)
Pendulum , zona bene te secuta *c*) ,
Laedere collum.
Sive te rupes , et acuta letho *d*)
Saxa delectant ; age , te procellae *e*)
Crede veloci ; nisi herile *f*) mavis
Carpere pensum ,
Regius sanguis , dominaeque tradi

est, promissam, eadem Europa nocte sublustri , hoc est , subobscura, nihil vidit praeter astra , et undas ; subaudi , nempe a tauro rapta , per medium mare. *k*) Simulatque pervenit in Cretam, in qua olim Urbes centum fuisse ferunt. *l*) Ordo est, dixit haec amens et furore victa, furenti similis : O pater quod nomen reiectum et violatum est a me tua filia! o pietas, quam sprevi , patrem ac patriam deserendo. *m*) Maneo invita , superstes sum, Plutonem demoror, qui me ut sibi debitam expectat. Orcum videtur is morari, qui non moritur tum, cum mori debet. *n*) Errem inter leones, ut ab iis discerpar.

a) Seipsam compellat : O vilis, id est , infelix et perdita Europa, quae patriam et patrem deseruisti , quibus rebus nihil tibi carius debebat esse, en tuus te pater, quamvis absens, urget, tibi scelus exprobrat. Audisne illum increpantem. Quid praeterea cessas mori, quid cunctaris? *b*) Vicinam arborem aspicit. *c*) Forte ceterarum vestium partem amiserat. Bene est, inquit, quod relicta tibi zona sit , cui collum inseras, faucesque tibi frangas. *d*) Praerupta et opportuna ad mortem oppetendam facilius. *e*) Mari procelloso. Proiice te in atros fluctus qui te confestim hauriant. *f*) Lanae portionem quamdam, tibi ab haera Barbara datam , quam trahere cogaris tu quae Regio sanguine es nata, et tradi illius haerae marito , ut sis eius

Barbarae pellex. Aderat querenti
Perfidum *g*) ridens Venus , et remisso *h*)
Filius *i*) arcu.
Mox ubi lusit *k*) satis ; Abstineto ,
Dixit , irarum , calidaeque rixae :
Quum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Iovis esse nescis ?
Mitte *l*) singultus ; pene ferre magnam
Disce fortunam : tua sectus orbis *m*)
Nomina ducet.

ODE XXII. *Hortatur Lyden ; ut festum Neptuni diem bibendo , et canendo transigat.*

FEsto *a*) quid *b*) potius die
Neptuni faciam ? Prome *c*) reconditum
Lyde strenua *d*) Caecubum ;
Monitaeque *e*) adhibe vim sapientiae :
Inclinare *f*) meridiem
Sentis , ac veluti stet volucris dies ,
Parcis *g*) deripere *h*) horreo

pellex. *g*) Perfidiose, improbe. *h*) Soluto. *i*) Veneris : Cupido. *k*) Ubi Venus satis risit Europam gementem: Noli, inquit, adeo in illum, qui te rapuit, taurum crudelis esse , cum tibi afferret sua cornua discerpenda. An ignoras te uxorem esse Jovis, qui in taurum illum mutatus est ? Nescis uxor esse Jovis. Graeca locutio , pro nescis te esse uxorem Jovis. *l*) Omitte. *m*) Pars una ex iis, in quas divisus est orbis, tuum nomen accipit : nempe Europa , quam ab hac Europe dicta volunt.

a) Istud Neptuni festum celebrabatur Kalendis Septembr. *b*) Quid potius faciam, et melius , quam bibam ? *c*) Profer ex apotheca. *d*) Confestim, propere. *e*) Expugna tuam illam sapientiam et modestiam, quae contra iocos et hilaritatem videtur munita esse. *f*) In occasum vergere. *g*) Cessat, moraris ? *h*) Cito detrahere ; e superiori loco deducere ; nam horrea vinaria erant fere in summa aedium parte, ubi vina in amphoris, condita, caelo interdum sereno supposita, vel fumo excocta, ve-

Cessantem *i*) Bibuli Consulis *k*) amphoram.
Non cantabimus invicem *l*)
Neptunum, et virides Nereidum *m*) comas;
Tu curva *n*) recines lyra
Latonam, et celeris spicula Cynthiae *o*):
Summo *p*) carmine, quae Cnidon *q*)
Fulgentesque tenet Cycladas *r*), et Paphon
Iunctis *s*) visit oloribus.
Dicetur merita *t*) Nox quoque naenia *u*).

ODE XXIII. *Moecenatem invitat ad frugalem coenam, et ut severiores curas Fortunae Superisque permittat, monet.*

TYrrhena *a*) Regum progenies, tibi,
Non ante verso lene merum cado,
Cum flore, Moecenas, rosarum, et
Pressa tuis balanus *b*) capillis

terascebant. *i*) Jam diu otiosam. *k*) Abditam anno U.C. 796. in horreum, sive cellam vinariam, nomine Bibuli inscriptam, in operculo, pro more. *l*) Alternis. *m*) Sunt Nerei filiae, Deae maris. *n*) Cava, e curvo ligno et excavato facta. *o*) Dianae, sic dictae a Cyntho, monte Deli. Celerem vocat, quia venatrix: vel, quia Luna suum orbem celerrime perficit. *p*) Extremo, post cetera carmina. *q*) Venerem. Cnidus est urbs Cariae: Paphus, Cypri; quibus in locis praecipue Venus colebatur. *r*) Insulas Aegaei maris. Fulgentes vocat, quia eminus apparent, ob scopulos quibus abundant, et spumam quam effecit mare ad ipsas allisum. *s*) Suo currui. *t*) Quia per noctem compotaturi erant. *u*) Carmine jocoso. Naenia enim pro eiusmodi cantilena interdum sumitur: vel, pro carmine subtristi, quod nocti ac tenebris conveniat.

a) O Moecenas, qui es Regum Tyrrhenorum progenies, progenitus ab Etruscis Regibus, tibi est apud me, tibi servatur domi meae. Jene merum in cado nondum inverso, id est, ex quo nondum haustum est vinum: os enim dolii erat in superiori eius parte; quocirca inverti, et versus humum inclinari dolium necesse erat, cum ex eo vinum hauriretur. *b*) Glans quaedam odorifera, ex qua exprimebatur oleum, sive unguentum primae notae. Sensus est: habeo etiam apud me balanum,

Iamdudum apud me est. Eripe te morae *c*);
Ne semper *d*) udum *e*) Tibur, et Aesulae
Declive *f*) contempleris arvum, et
Telegoni *g*) iuga parricidae.
Fastidiosam *h*) desere copiam *i*), et
Molem *k*) propinquam nubibus arduis;
Omitti mirari beatae
Fumum *l*), et opes, strepitumque Romae,
Plerumque *m*) gratae divitibus vices,
Mundaeque *n*) parvo sub lare pauperum
Coenae, sine aulaeis *o*) et ostro *p*),
Sollicitam *q*) explicuere frontem.
Iam clarus *a*) occultum Andromedes pater
Ostendit ignem; iam Procyon *b*) furit,
Et stella *c*) vesani Leonis,

ex qua oleum eductum est, ad capillos tuos ungendos. *c*) Eripe te, ac subducito iis rebus, quae te morantur, et impediunt, quominus ad nos venias, genium cures. *d*) Desere aliquando tuam domum, magna mole usque ad nubes eductam, ex qua soles contemplari Tibur, Aesulam, et Tusculum, vicinas Romae urbes. *e*) Propter aquarum copiam. *f*) In colle positum. *g*) Telegonus, filius Ulyssis e Circe, patrem imprudens interfecit; Tusculum condidit. *h*) Quae fastidium et satietatem parit. *i*) Luxum, lautitias mensarum etc. *k*) Domum tuam. *l*) Pompam, spectacula, gloriam. *m*) Gratae sunt saepe divitibus vices, id est, vicissitudo et mutatio, cum dapes opiparas, ac mensas, mutant frugalibus et parcis. *n*) Nec sordidae, nec sumptuosae. *o*) Aulaea sunt verba, quibus lacunar desuper integritur, ne quid in mensam suppositam decidat. *p*) Vestibus purpureis, quibus lectuli insternebantur. *q*) Curas divitibus ademere, eos exhilararunt. Tristitia frontem in rugas contrahit; explicat laetitia et exporrigit.

a) Jam signum Caeleste, Cepheus, (Aethiopum olim Rex, et Andromedes pater, inter sidera beneficio Minervae repositus) oritur, et suas stellas antea occultas ostendit. Oriri dicitur septimo Idus Jul. Est istud sidus, ad caudam minoris Ursae. *b*) Signum caeleste, Canis minor; sive canicula, ut quidam volunt. *c*) Signum Leonis; quod ingreditur Sol exeunte Julio. Inter stellas e quibus constat, una est praecipua,

Sole dies referente siccos *d*).
Iam pastor umbras cum grege languido *e*)
Rivumque fessus quaerit, et horridi
Dumeta Sylvani *f*); caretque *g*)
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, civitatem quis deceat status,
Curas: et Urbi sollicitus, *h*), times
Quid Seres *i*), et regnata Cyro
Bactra *k*) parent, Tanaisque *l*) discors *m*):
Prudens *n*), futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus;
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat Quod adest *o*), memento.
Componere aequus: cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo

quae cor Leonis vocatur. *d*) Aestuosos. *e*) Ob aestum. *f*) Sylvanus, Deus silvarum, e Satyrorum erat gente, capri nis pedibus, prolixa et hirsuta barba: unde hic vocatur horridus; vel, *horridi* explica, asperi ob vepres et silvas, quibus gaudet. *g*) Significatur aestus maximus, qui nullo ventu leniatur, ne in ipso quidem littore, ubi sunt frequentiores venti. *h*) Anxius ne quid Roma detrimenti capiat. Erat Moecenas tum praefectus Urbis. *i*) Asiae populi, prope Indos. *k*) Pluralis numeri, et neutrius generis ea vox est. Urbem primariam significat regionis Asiaticae, prope Scythiam, quam Cyrus, Persarum rex olim domuit. *l*) Fluvius est, in finibus minoris Tartariae, Europam ab Asia dividens, olim Scytharum regionem alluens. *m*) Quia Scythae, Parthi, et alii circa fluvium hunc positi orientis populi, sibi dissidebant, domesticis bellis agitati. *n*) Certo consilio. Sensus est: consulto Deus futurarum rerum eventus nobis ignotos esse voluit; ridetque homines cum trepidant, id est, solliciti sunt, ultra id quod ipsis licet, quod commode possunt; nempe si de futuris, quae in ipsorum potestate non sunt, nimis anxii sunt. *o*) Da operam ut componas, id est, recte ordines, et aequo animo constituas ea, quae praesentia sunt: nam cetera, id est, futura modo pacata sunt, modo turbida et inquieta; more fluminis etc.

Cum pace delabentis Etruscum *a)*
In mare, nunc lapides adesos *b)*,
Stirpesque *c)* raptas, et pecus, et domos
Volventis una *d)*, non sine montium
Clamore, vicinaeque sylvae;
Quum fera diluvies *e)* quietos
Irritat *f)* amnes. Ille potens sui *g)*,
Laetusque deget *h)*, cui licet *i)* in diem
Dixisse, Vixi. Cras vel atra
Nube polum pater *k)* occupato *l)*,
Vel sole puro; non tamen irritum
Quodcumque retro est, efficiet; neque
Diffinget *m)*, infectumque reddet,
Quod fugiens *n)* semel hora vexit.
Fortuna *o)* saevo laeta negotio et
Ludum insolentem *p)* ludere pertinax,

a) Alluit Italiam, ab occidente, et meridie. *b)* Vetustate, vel aquis, corrosos et comminutos. *c)* Arbores ab radicibus evulsas. *d)* Simul. *e)* Aquarum subita vis et inundatio. *f)* Quasi provocat ad stragem agris inferendam, et in furorem agit. *g)* Sui compos et dominus. *h)* Vivet. *i)* Qui hoc poterit vere pronunciare; Ego vixi in diem, id est, praesentem tantum diem curo, de crastino non laboro; praesentibus rebus acquiesco, et contentus sum. *k)* Deus, Iupiter. Sententia est: cras Deus statuat quod libuerit; vel claram et serenam diem, vel obscuram et nubilam orbi donet; non tamen efficiet ut quod est retro, id est, quod est praeteritum, et factum sit irritum, hoc est, infectum sit, et non praeteritum. His verbis innuit, id solum esse nostrum quod viximus; nullum in praeterita jus esse fortunae. *l)* Tertia persona imperativi. *m)* Destruet, mutabit. Fingere proprie, est ex argilla vas formare: diffingere, est, vel destruere quod fictum et formatum est, vel reformare quod est fractum, et quassatum. *n)* Quod tempus secum abstulit, quod semel praeteriit. o) Quae servire gaudet, hominesque ut pilas exercere ac iactare adversis rebus: cuius negotium et occupatio videtur una esse, ut negotium nobis facessat, nos ludat. *p)* Inexpectatum; vel odiosum et superbum.

Transmutat *a*) incertos honores ,
Nunc mihi , nunc aliis benigna.
Laudo manentem *b*) : si celeres quatit
Pennas *c*) resigno *d*) quae dedit , et mea
Virtute me involvo *e*) , probamque
Pauperiem sine dote *f*) quaero.
Non est meum *g*) , si mugiat africis
Malus procellis , ad miseras preces
Decurrere , et votis pacisci
Ne Cypriae Tyriaeque merces
Addant avaro divitias mari.
Tunc me biremis *h*) praesidio scaphae *i*)

a) Huc illuc crebra mutatione transfert. *b*) Apud me constanter habitantem ; mihi faventem. *c*) Si avolat, si me deserit. Solent enim aves avolantes pennas concutere. *d*) Reddo illi et restituo. Sumitur ea vox a re nummaria : qui enim pecuniam reddebant, quam acceptam significaverant in argentarii aut creditoris tabulis, illi redditam demonstrabant suo signo et nomine, vel deleto et inducto, vel iterum scripto, et signato : qua etiam significatione acciplebatur verbum, *rescribo* ; de quo vide Satyram 3. l. 2. *e*) Ut veste, quae nos a frigore defendit ; ita mea me virtute contra fortunae vim et iniuriam munio. *f*) Sine fortunae muneribus. Contentus sum probitate paupere ; et illam tamquam uxorem indotam non respuo. *g*) Sententia est : non is ergo sum , ut velim augere meas opes navigatione et commercio , et vota facere superis , dum tempestas saeviet, malusque navis meae, procellis a vento Africo excitatis verberatus, stridebit ac ingemiscet; votisque illis quasi pacisci cum Diis , et ab illis emere , ut ne meae merces , quas e Tyro aut Cypro advexerim , demergantur in mare ; quod multorum iam opes hausit , servatque instar avarorum. Nunquam ego peregrinis mercibus pretiosis navim onerabo , quibus timeam , scilicet ne, ingruente tempestate , pereant ; sed si tempestas saeviat , navigante me ; tunc ego , de nulla re, praeterquam de capite meo et salute sollicitus, descendam in scapham biremem, id est, naviculam exiguam, et tutus Deorum praesidio , per tumultuantes in Aegaeo mari procellas , leni vento a Polluce immisso , in portum vehar. *h*) Quae duobus remis tantum agatur. *i*) Solent eiusmodi scaphae adiungi maioribus navigiis, ut , si periculum ingruat , in ea vectores

Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret, geminusque *k*) Pollux.

ODE XXIV. *Immortalem sibi ab lyricis versibus gloriam adpromittit.*

Exegi *a*) monumentum aere perennius,
Regalique situ *b*) Pyramidum *c*) altius;
Quod non imber edax, non aquilo impotens *d*)
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.
Non omnis *e*) moriar: multaque pars mei *f*)
Vitabit Libitinam *g*): usque ego *h*) postera
Crescam laude recens, dum *i*) Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.

possint se recipere. *k*) Coniunctus cum suo fratre Castore: vel, gemellus, qui eodem partu editus est a Leda cum fratre suo Castore. Ignes quidam, et erraticae exhalationes, seu vapores, instar stellarum apparent interdum in mari, et serenitatis indicium faciunt. Vocantur Castor, et Pollux; ac nautis favere dicuntur, maxime si duo simul appareant.

a) Perfeci carmina, quae ingenii mei et eruditionis monumentum erunt durabilius omnibus ex aere monumentis et operibus. Potest hoc loco monumentum accipi proprie pro sepulchro; quasi diceret: Reges Aegypti sibi pyramides olim pro sepulchris erexerunt; ego illustrius mihi sepulchrum condidi etc. *b*) Basi, substructione. *c*) Erant pyramides, saxeae quaedam moles, e basi quadrata in acumen surgentes, mira altitudine et amplitudine; ab Aegyptiis regibus aedificatae: ut in iis, morte obita, conderentur. *d*) Vehementer saeviens. *e*) Totus. *f*) Ingenium, mens, fama. *g*) Mortem effugiet. Erat Libitina, Dea funerum. *h*) Semper ego nova et recenti, id est, non senescenti laude apud posteros vigebo; et in dies magis magisque celebrabor. *i*) Donec romanum imperium (quod aeternum credebant fore) durabit: donec sacra fient in capitolio, et in illud ascendent pontifices maximi cum vestali virgine. Singulis idibus fiebant a pontificibus in arce sacrificia; quae idcirco Idualia vocabantur. Aliqua e vestalibus semper aderat cum pontifice maximo, in omnibus sacrificiis; neque tamen sacrorum verba ulla pronunciabat, sed solus Pontifex: atque ideo dicitur *tacita*. Porro centum gradibus in capitolium

Dicar *k*), qua violens *l*) obstrepit Aufidus *m*),
Et qua pauper aquae Daunus *a*) agrestium
Regnavit populorum *b*), ex humili *c*) potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos *d*). Sume *e*) superbiam,
Quaesitam meritis, et mihi Delphica *f*)
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

ascendebatur. *k*) Ordo est ac sententia. Omnes in Italia (in qua est fluvius Aufidus, et in qua Daunus regnavit) dicent ac praedicabunt me, ex humili potentem, id est, clarum ex obscuro et ignobili factum, Aeolium carmen, nempe lyricum, deduxisse ad Italos modos, id est, in Latium, in Latinam linguam invexisse, principem, primum omnium. Nemo enim ante Horatium lyricos versus Latinos fecerat. Vide l. 2. Odarum. Od. 10. *l*) Antique, pro violentus. *m*) Fluvius Apuliae.

a) In Apulia regnavit. Dicitur aquae pauper; quia totus Apuliae tractus maxime siccus est, et aquarum inopia laborat. Fuit etiam in eadem Apulia fluvius Daunus, a rege Dauno dictus; de quo isti versiculi possunt intelligi: fluvii quippe regionibus imparitate dicuntur apud Poetas. *b*) Verbum *regno*, apud Graecos, cum gignendi casu ponitur; quod hic Horatius est imitatus, ut alia pleraque. Agrestes dicuntur Apulii; quia incultiores aliis Italiae populis erant. *c*) Qui prius eram humilis et ignotus, nempe libertini patris filius etc. *d*) Cantus, numeros. *e*) O Melpomene, accipe in bonam partem hanc qualemcumque meam arrogantiam, qui mihi tam fidenter immortalem gloriam ausim polliceri: est illa meritis quaesita, et mihi iure concedenda, atque ignoscenda. Erat Melpomene una e Musis, Rhetoricae praeses. Vel Melpomene, sume spiritus maiores, gloriare merito, et superba esto, me vate. *f*) Apollinea. Delphis (quae civitas est Beotiae, iuxta Parnassum) Apollo in primis colebatur, ac edebat oracula.

Q. HORATII FLACCI ODARUM

LIBER QUARTUS.

ODE I. *Iulus Antonius rogaverat Horatium, ut Pindarum imitatus Augusti victoriam caneret. Illi respondet.*

Pindarum *a*) quisquis studet aemulari,
Iule *b*), ceratis *c*) ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut, amnis, imbres
Quem super notas aluere *d*) ripas,
Fervet, *e*) immensusque ruit profundo *f*)
Pindarus ore:
Laurea *g*) donandus Apollinari,
Seu per audaces nova *h*) dithyrambos *i*)

a) Fuit Pindarus poeta Thebanus, Lyricorum apud Graecos princeps: floruit Olympiade 75. ante Christum, annis 440. *b*) Julus Antonius filius Marci Antonii Triumviri, post necem patris, veniam ab Augusto et eximios honores adeptus, cum nihilominus in eum coniurasset, eiusdem iussu est interfectus. *c*) Sensus est: quicumque studet Pindarum imitari, ille alis utitur ceratis ope Daedalea, idest, cura compartita Daedalo idem facit quod Icarus qui alas humeris aptavit, confectas a patre suo Daedalo; sed eius fatum idem erit atque Icari, qui solutis pennis, Sole ceram liquefaciente, in mare decidit; cui nomen suum dedit. Icarium mare, pars est Aegaei maris: vitreum vocatur, id est, caeruleum vel pellucidum, instar vitri. *d*) Auxere, ita ut supra ripas exundet. *e*) Stylus Pindari est incitatus, uberrimus, et sententiarum gravitate praestans; itaque recte cum fluvio aestuante, immenso ac profundo comparatur. *f*) Carmine, stylo, amplo, vasto, sublimi, copioso. *g*) Corona, e lauro, qua solet Apollo coronari, et vates suos coronare. *h*) Novata, a Pindaro facta; non ante usitata. *i*) Versus erant liberiores,

Verba devolvit *k*), numerisque *l*) fertur.
 Lege solutis *m*):
Seu Deos, Regesque canit, Deorum
Sanguinem *n*): per quos *o*) cecidere iuxta
Morte Centauri *p*); cecidit tremendae
 Flamma Chimerae *q*):
Sive *a*) quos Elea domum reducit,

primo in Bacchi, deinde heroum honorem facti; in quibus metaphorae, sententiae, omnia erant grandiora et sonatoria: hinc audaces vocat, nempe ob rerum et verborum copiam, licentiam, ampullas. Vocati sunt autem Dithyrambi, vel, quia Bacchus ipse Dithyrambus est appellatus, quasi bis in vitam missus; vel ab eo, qui primus genus illud carminis invenit. Vide Turneb. l. 4. c. 4. *k*) Vox a fluvio sumpta, qui magna vi e superiore loco delabitur ac praecipitat. *l*) Numeri, sive modi in versibus, proprie pertinent ad cantum, cuius mensurae sunt: pedes, ad syllabarum quantitatem et mensuram. Saepe inter se ista duo confunduntur. *m*) Dithyrambi sunt versus liberiores. *n*) Reges, Deorum filios appellabant. *o*) Pirithoum et Theseum significat. *p*) Tauri quidam in Thessalia, furore correpti, montem Pelion occupaverant: unde obvios impetebant, et totam circum vastabant regionem: eos domuere, et iaculis confecere iuvenes quidam e vicino pago, cui nomen Nephele, equis adhibitis, quorum in tergo sedentes cum primum sunt aspecti, quod antea nondum visum erat, ab eminus intuentibus monstra ex hominibus et equis composita esse credita sunt, quos centauros appellaverunt, a iaculis, quibus tauros interfecerant. Illi cum in Hippodamiae et Pirithoi nuptiis, matronas quasdam pulsassent, et Pirithoum ipsum tractassent contumeliosius, ab eo caesi sunt. Od. 16. l. 1. Ovid. l. 13. Metam. *q*) Mons Lyciae fuit, cuius in vertice leones stabulabantur; in radice, serpentes; in medio, caprae pascebant: unde nata fabula, monstrum esse leonino capite, alvo caprina, serpentina cauda, flammas vomens ore, etc. Hoc monstrum Bellerophon domuit.

a) Subaudi, canit; seu canit Pindarus eos quos Elea palma id est, corona relata in ludis Olympicis, apud Elidem, Graeciae civitatem, celebrari solitis, reducit domum Caelestes, id est, Superis aequales, Caelestibus, ob relatam cum victoria

Palma caelestes ; pugilemve *b*) , equumve *c*)
Dicit , et centum potiore signis *d*)
Munere *e*) donat :
Flebili *f*) sponsae iuvenemve raptum
Plorat ; et vires , animumque , moresque
Aureos deducit in astra *g*) , nigroque
Invidet *h*) Orco.
Multa *i*) Dircaeum levat aura cygnum *k*) ,
Tendit , Antoni , quoties in altos
Nubium tractus *a*) : ego , apis Matinae *b*)
More , modoque ,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum , circa nemus , uvidique *c*)

gloriam , comparandos. *b*) Sive dicit , sive laudat pugilem , id est , aliquem qui pugno vicerit : quod certaminis genus unum erat e quinque certandi modis , in celeberrimis illis ludis usurpare solitis, saltu , disco , curso , lucta , et pugilatu. Pugiles igitur proprie nudis pugnis decertabant inter re ; quos interdum tamen armabant caestibus. Erant autem caestus, involucra e corio bubulo facta, quibus extremam brachii partem , ad validiores ictus infligendos , tegebant armabantque. *c*) Aut aliquem laudat, qui curuli vicit certamine. Imo equi victorum coronabantur et laudabantur. *d*) Statuis. *e*) Versibus , qui potiores et pluris aestimandi sunt, quam centum statuae. *f*) Dignae fletu, ac lacrymis. *g*) Laudibus in Caelum tollit. *h*) Vindicat ab orco ; morti quasi oblivioni ereptum, immortalitate donat. Quae enim aliis invidemus , adimimus , aut certe adimere illis volumus. *i*) Pindarus , cignus ille Dircaeus , id est, vates Thebanus, (a Dirce, fonte vicino Thebis, quae urbs est Graeciae in Boeotia) multo vento , aura favente , et secunda, in altas nubes tollitur ; id est , utitur in his omnibus discendis , sive Deos , sive reges et victores canat , stylo sublimi , et humum spernit fugiente penna. *k*) Poetae , cum cygnis , qui suavissime canere feruntur , comparari solent.

a) Aeris vasta spatia , ubi nubes pendent ac trahuntur. Tractus de terra pariter et mari dicitur , pro regione , aequore. *b*) Matinus est mons Italiae , in Calabria. *c*) Humidi. Tiburis autem ripas dicit , pro ripis fluminum , quibus

Tiburis ripas, operosa *d*) parvus
Carmina fingo *e*).
Concines maiore *f*) Poeta *g*) plectro
Caesarem, quandoque *h*) trahet feroces
Per sacrum divum *i*): merita decorus
Fronde, Sicambros *k*);
Quo nihil maius, meliusve terris
Fata donavere, bonique Divi:
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines laetosque dies, et Urbis
Publicum ludum super *l*) impetrato
Fortis Augusti reditu *m*), forumque
Litibus orbum *n*).
Tum meae *o*) (si quid loquar audiendum *p*)
Vocis accedet bona pars, et O Sol
Pulcher, o laudande, canam, recepto *a*)
Caesare felix *b*).

Tibur alluitur. *d*) Elaborata, laboriosa. *e*) Elaboro. *f*) Quam ego scilicet. De plectro, vid. Od. 1. l. 2. sub finem. *g*) Tu, o Antoni, poeta praestantissime. *h*) Quando. *i*) Viam Sacram, per quam triumphantes Capitolium petebant. *k*) Germaniae populos, ubi est nunc Gueldria. Bellum in eos gestum est, circa annum 738. Vide 2. Indicem Odarum, ad hunc annum. Ab ea regione orti sunt Franci, et in eas, quas obtinent modo, Gallias effusi. *l*) Propter. *m*) E Germania, quo se contulerat, bello Sicambrico; ex quo cum in Gallias esset profectus, inde rediit Romam anno U. C. 741., ubi tunc Iulus Antonius praeturam gerebat. *n*) In publica laetitia, vel luctu, silebat forum, id est, lites nullae agebantur: idque appellabant *justitiam*. *o*) Tum addam vocis meae bonam partem, ad augendam publicam gratulationem: contendam vocem, et exclamabo: O Sol, O dies pulcher etc. *p*) Audiri dignum, quod tanti sit.

a) Ego, felix ob Caesarem reducem, canam etc. *b*) Recuperato, qui videbatur amissus: vel, cuius salus in du-

Tuque *c*) dum procedis : Io *d*) triumphe ,
Non semel dicemus : Io triumphe ,
Civitas omnis ; dabimusque Divis
Thura benignis.
Te decem tauri , totidemque vaccae ,
Me tener solvet *e*) vitulus , relicta *f*)
Matre , qui largis iuvenescit *g*) herbis
In mea vota ,
Fronte *h*) curvatos imitatus ignes
Tertium Lunae referendis ortum ,
Qua notam *i*) duxit , niveus videri *k*) ,
Cetera fulvus.

bium veniebat , propter incertos belli eventus. *c*) Ipsum triumphum , pro more , tamquam si esset persona , compellat. Vel , ipsum Antonium alloquitur ; qui , ut erat Praetor , processurus erat , id est , insigni quadam pompa cultuque incessurus , ad ordinandum triumphum , et cohonestandum. *d*) Vox laetitiae index ; alias doloris et fletus. *e*) Voto , damnari dicuntur voto , quibus id quod optaverunt , quod voverunt , contigit ; et ita obligantur : solvuntur isto quasi vinculo , cum id , quod superis promiserant , reddunt. *f*) A lacte depulsus. *g*) Crescit , adolescit. *h*) Habens cornua in fronte curvata , instar Lunae crescentis et tertio die apparentis. *i*) Certa corporis parte (fortasse in fronte ubi pecudes solent notari , ut agnoscantur cuiae sint) nota candida insignis , cetero corpore , quod spectat reliquas partes corporis , fulvus. *k*) Hellenismus , pro niveus visu.

ODE II. *Gratias agit Melpomenae, pro beneficio lyricae poeseos, sibi ab ea concesso.*

QUem tu *l*) Melpomene *m*) semel
Nascentem placido lumine videris
Illum non labor Isthmius *n*)
Clarabit *a*) pugilem *b*); non equus impiger
Curru *c*) ducet Achaico
Victorem : neque res *d*) bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod Regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio :
Sed, quae Tibur *e*) aquae fertile perfluunt *f*)
Et spissae nemorum comae,

l) Cui nascenti favere dignata sis. *m*) Una e Musis. *n*) Certamina Isthmica. Isthmus est angusta pars terrae, interiacens inter duo maria. Celeberrimus est Corinthiacus in Graecia, in faucibus Peloponnesi, inter Aegaeum et Ionium mare. In eo Isthmo est Corinthus; cuius urbis Rex olim Sisiphus certamina quaedam instituit, in honorem Melicertae. Eadem postea Theseus Neptuno dedicavit : celebrantur quinto quoque anno, ut vult Pl. l. 4. vel, ut docet Pindarus tertio.

a) Clarum efficiet. *b*) Vide Oden superiorem. *c*) Id est : non sedit in curru Achaico victor, ob equorum suorum pernicitatem. Achaicum vocat currum; quia Corinthus, et Isthmus in quo fiebant certamina Isthmica, de quibus agit, sunt in Achaia, Peloponnesi parte. *d*) Ordo est : Neque res bellica, res praeclare in bello gesta, eum ostendet Capitolio ducem et imperatorem triumphantem, ornatumque foliis Delii, id est laurea Apollinari (a Delo insula, Apollini sacra) quod reges superbos minacesque confuderit, profligaverit. Non ibit Romam, post hostes victos, gratias acturus Iovi in Capitolio. *e*) De illa urbe, vide librum 2. Oden 4. *f*) Praeterfluunt, alluunt magna ubertate et copia : nam saepe auget verbi, cui iungitur, s

Fingent *g*) Aeolio *h*) carmine nobilem.
Romae *i*), principis urbium,
Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choros;
Et iam dente minus mordeor invido.
O testudinis *k*) aureae
Dulcem quae strepitum *l*), Pieri, *m*), temperas *n*)!
O mutis quoque piscibus
Donatura cygni *o*), si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium,
Romanae fidicen *a*) lirae;
Quod spiro *b*). et placeo (si placeo) tuum est.

significationem vocula ista, *prae*. *g*) Reddent idoneum ut Aeolia carmina conficiat, quibus nobilitetur, et famam insignem sibi comparet. Poetae silvarum amoenitate ac secessu maxime gaudent. *h*) Lyrico: quia Alcaeus et Sappho, eius carminis auctores, quos Horatius imitatus est, erant oriundi e Lesbo insula, et ex urbe Mitylene, quae ditionis Aeolicae erat; ut dictum libro tertio. *i*) Romani. *k*) Lyra testudo vocatur; quia impositae sunt fides, sive chordae, ligno incurvo, in morem tegminis et tergi testudinei: vel, quia primam lyram compegit Mercurius ex eiusmodi concha et tergo testudinis. *l*) Testudinis cantum. *m*) Vocativus, a recto, Pieris. O Musa, o Melpomene. Musae, vocatae sunt Pierides, a Pierio fonte Macedoniae, ipsis sacro. *n*) Moderaris: quae lyram meam regis. *o*) Cygneam vocem. In dictione *Cygni*, prima syllaba est *cy*: secunda *gni*: unde prima syllaba est brevis. Sic Martialis secundam corripit in voce, *Smaragdus*, exemplo Graecorum.

a) Poeta Latinus lyricus. Fidicen is est, qui fidibus et lyra canit. Saepe gloriatur Horatius se principem versus Latinos lyricos fecisse. *b*) Vitam se acceptim referre Musis, non semel testatus est. Vide Oden 4. l. 3. his verbis *vestris amicum* etc.

ODE III. *Drusi laudes, post reportatam ab illo insigne de Rhoetis, et Vindelicis victoriam.*

Qualem c), ministrum fulminis d) alitem,
Cui Rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Iupiter in Ganymede e) flavo,
Olim f) iuventus et patrius g) vigor
Nido laborum propulit inscium;
Vernique h), iam nimbis remotis,
Insolitos ducere nisus
Venti paventem: mox in ovilia i)
Demisit hostem k) vividus impetus;
Nunc in reluctantes l) dracones
Egit amor dapis, atque pugnae:

c) Ordo est: Qualem aquilam (quae ministrat Iovi fulmina, et cui ille regnum in alias volucres dedit, postquam expertus est fidelem in Ganymede rapiendo) iuvenile robur et innatus vigor exire nido cogit, insciam laborum, id est, adhuc imperitam volandi, pugnandi, etc. talem Drusum hostes sensere. d) Iovis fulmina gestare aquila dicitur: vel quod, ut Plinius auctor est, numquam fulmine feriatur: vel quod in altissimos nubium tractus evolet, ubi fulmina producuntur, et unde in terras decidunt. e) Fuit Ganymedes, filius Trois, Troianorum regis: raptus a Iove in aquilam mutato dicitur, ut superis in Caelo nectar misceret. f) Aliquando: vulgo. g) A patre acceptus. h) Ordo est: et venti verni, iam remotis nimbis, id est, iam depulsa et fugata hyeme, eamdem aquilam, quamvis adhuc paventem, docuerunt nisus insolitos. Per *nisus*, intellige conatum et laborem iunioris aquilae, in volando, in librandis pennis; in quo utitur ope ventorum, a quibus defertur, et veluti docetur volare. i) Ad agnos rapiendos. k) Ruentem, hostili more et impetu. l) Pugnaces, et contra aquilam se acriter defendentes. Mutuum enim inter se odium exercent, a natura insitum.

Qualemve *a*) laetis caprea pascuis
Intenta, fulvae matris *b*) ab ubere *c*)
Iam lacte depulsum leonem,
Dente novo *d*) peritura vidit:
Videri Rhoeti *e*) bella sub Alpibus
Drusum *f*) gerentem et Vindelici *g*), quibus *h*)
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quaerere distuli;
Nec scire *i*) fas est omnia. Sed diu
Lateque victrices *k*) catervae,
Consiliis iuvenis *l*) revictae *m*).

a) Qualis est leo, cum in capream, occupatam in herbis depascendis, et nihil de hoste ac periculo cogitantem, fertur etc. *b*) Leaenae. *c*) Recentem ab ubere, qui non ita pridem ubera sugere desiit: quod idem est ac, *lacte depulsum*, in sequenti versiculo. *d*) Nondum ad praedam et caedem exercitato, assuefacto. *e*) In Germania sunt, ubi nunc Grisones, et Tirolensis Comitatus, ad Alpium radices. *f*) Cl. Drusus, filius Tiberii Neronis fuit, ac Liviae Augustae, quae, relicto et annuente priori viro, Augusto nupsit, ac tertio quam nupserat mense, hunc Drusum peperit: de quo vide Velleium Paterculum l. 2. c. 97. 98. *g*) Infra Rhoetos, ad Danubium Bavariae pars et Suabiae nunc est. *h*) Vindelici cur hunc morem habeant, et unde deductum, id est derivatum, ut arment dextras securi, quali Amazones olim usae sunt, neglexi et in aliud tempus distuli diligentius investigare. Feruntur Amazones primae securim in bello adhibuisse: erant illae bellicosae foeminae, quae magnam partem Scythiae circa Tanaim, et Asiae circa Thermodoontem fluvium, occupaverunt. *i*) Videtur hic iocari Horatius, et aliquem irridere, qui forte, cum Drusi victorias easdem celebraret, in ea re investiganda multus fuerat. *k*) Rhoetorum et Vindelicorum, qui magnas antea clades Romanis intulerant. Vide Paterc. l. 2. *l*) Drusi. *m*) Vicissim victae, quae antea Romanos diu lateque vice-

Sensere, quid mens *n*) rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus *o*)
Posset, quid Augusti paternus
In pueros *a*) animus Nerones.
Fortes creantur *b*) fortibus, et bonis.
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.
Doctrina *c*) sed vim *d*) promovet insitam,
Rectique cultus *e*) pectora roborant:
Utcumque *f*) defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae.

rant. *n*) Mens consilium et prudentiam indicat: indoles, virtutem et mores. Est autem hic ordo: sensere quid mens, quid indoles nutrita rite, id est sancte, et more instituto-que maiorum, posset. *o*) In Augusti domo. Penetrale proprie est pars illa domus, ubi coluntur Penates, seu Dii domestici: pro tota domo sumitur.

a) Tiberium Neronem, et Cl. Drusum privignos suos, filios Tiberii Neronis, et Liviae: quorum tutor Augustus, ipsis a parente Tiberio moriente dictus, et animo et benevolentia pater fuit. *b*) Gignuntur. Vox ista, *Nero*, lingua Sabinorum, (quo ex populo erant oriundi Claudii) fortem significat; Laudat igitur Drusum a patre, nimirum Tiberio Nerone: sed eumdem laudat magis ab Augusto, a quo recte fuerat educatus. *c*) Institutio, educatio. *d*) Indolem, virtutes a natura acceptas. *e*) Nominativus pluralis est: rectae educationes, disciplina, cura fingendae aetatis tenerae, corroborant, augentque mentes bene natas. Sic Od. 9. l. 1. dixit feros cultus hominum recentum a Mercurio fuisse formatos. *f*) Ubicumque, quotiescumque mores, id est, bona illa institutio ac disciplina, defecit, negligitur, non adhibetur; ibi multa committuntur vitia, quae dedecorant et corrumpunt bene nata, hoc est, indolem bonam a natura acceptam, naturae praestantiam, ac nobilitatem.

Quid debeas, o Roma, Neronibus g),
Testis Metaurum h) flumen, et Asdrubal
Devictus, et pulcher fugatis i)
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus a) alma risit adorea b),
Dirus per urbes Afer c) ut Italas,
Ceu flamma per taedas d), vel Eurus
Per Siculas equitavit e) undas.
Post hoc f) secundis g) usque h) laboribus
Romana i) pubes crevit, et impio
Vastata Poenorum tumultu k)
Fana Deos habuere rectos l):

g) Priscos intelligit Nerones; unde orti Tiberius et Drusus. h) Fluvius est Umbriae, apud quem caesus est anno U.C 546. Asdrubal, frater Hannibalis, cum valida manu, quam, fratri suppetias ferens, in Italiam duxerat. Eum Claudius Nero, consul, iunctis cum Salinatore collega copiis, adortus delevit; ac statim in sua castra, quae erant in conspectu Hannibalis in Lucania, rediens antequam ipsum abiisse sensisset hostis, caput Asdrubalis in Hannibalis castra coniecit: quae res una maxime saluti Romae fuit, Hannibalemque Italia decedere coegit. Livius, l. 27. 28. i) Depulso metu et periculo, quod ab Hannibale victore certissimum imminebat, si suas copias cum Asdrubalis exercitu iunxisset.

a) Qui dies primus insigni gloria et felicitate clarus fuit. Asdrubale quippe caeso, Hannibal de receptu et fuga cogitavit. Livius, sub fin. l. 27. b) Est proprie adoris copia. Ador frumentum est: sumitur pro bellica felicitate, et gloria qualibet rei bene gestae; quia antiquorum opes frumenti copia maxime continebantur. c) Primus dies ille fuit auspicatus et felix, posteaquam, ex quo, dirus Afer, id est, Hannibal, Italiam populabundus peragravit. d) Taeda hic est arbor quaedam, igni concipiendo aptissima, ex qua fieri solebant faces, quae idcirco dictae quoque sunt taedae e) Omnia vastando peragravit, instar flammae silvam pervolantis, aut venti per mare Siculum properantis. Itaque hic ordo est. Ex quo, dirus Afer equitavit per urbes Italas, ut flamma per taedas, aut Eurus per Siculas undas, subaudi, equitat, vel aliud verbum: nam venti equitare quoque dicuntur a Poetis. f) Post victoriam Cl. Neronis. g) Fortunatis proeliis. h) Semper. i) Romani. k) Sic fere vocabant bella civilia et domestica; item ea quae in ipsa Italia gererentur. l) Quorum antea deiectae iacebant statuae.

Dixitque tandem perfidus *m*) Hannibal :
Cervi *n*), luporum praeda rapacium,
Sectamur ultro *o*) quos opimus *p*)
Fallere *q*) et effugere est triumphus.
Gens *r*), quae cremato fortis ab Ilio,
Iactata *s*) Thuscis aequoribus, sacra *t*),
Natosque, maturosque patres *a*),
Pertulit Ausonias *b*) ad urbes,
Duris ut ilex tonsa *c*) bipennibus,
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes *d*) animumque ferro.
Non hydra *e*) secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit *f*) in Herculem;

m) Vel, quia Poeni erant insignes ob perfidiam; vel quia primus Hannibal foedus violavit, quod, post primum bellum Punicum, Romanos inter et Afros initum fuerat. *n*) Est oratio Hannibalis ad suos milites. Ordo est : nos Poeni, instar cervorum, sectamur, id est, agitamus bello Romanos, qui sunt instar luporum rapacium quorum praedae sumus. *o*) Quia tertium bellum Punicum Carthaginienses moverunt, non lacessiti a Romanis. *p*) Amplus, magnificus. Opima proprie spolia dicebantur, quae dux duci hostium detrahebat. *q*) Latere : in triumphi loco ducere debemus, si eos salvi effugiamus. *r*) Romani a Troianis oriundi. *s*) Variis tempestatibus agitata, in mari Tyrrheno. Vide initium libri 5. Aeneid. *t*) Religionem; sacrorum ritus.

a) Senes. *b*) Italas. Auson Rex Italiae fuit, a quo nomen illi regioni factum. *c*) Amputata : sensus est; ut ilex, id est quercus, in Algido feraci nigrae frondis, id est, foecundo densis arboribus, (Algidus est mons prope Romam) si eius rami aliquot amputentur, et quasi inutiles capilli tondeantur magis repullulat, et ab ipso vires ferro sumere videtur : sic Romani suis cladibus fortiores fiunt, etc. *d*) Vires acquirit, comparat. *e*) Serpens fuit in Lerna palude, prope Argos. Septem illi capita, aut etiam plura : quorum unum si secaretur, alia duo, vel tria, in eius locum succrescebant: unde vocatur ab Horatio alibi, *numerosum malum*. Eam Hercules denique licet aegre, perdomuit, admoto igne, quo foecunda capita extinxit. *f*) Mul-

Monstrumve *g*) summisere *h*) Colchi *i*)
Maius, Echioniaeve Thebae *k*).
Merses *l*) profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Proelia coniugibus loquenda *a*).
Carthagini iam non ego nuncios *b*).
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis, et fortuna nostri
Nominis, Asdrubale interempto.
Nil Claudiae *c*) non perficient manus *d*);
Quas et benigno numine Iupiter
Defendit, et curae sagaces *e*)
Expediunt *f*) per acuta belli *g*).

tiplicatis capitibus. *g*) Draconem pervigilem, tauros ignivomos significat, armatos etiam homines, ex anguineis dentibus natos, etc. quos Iason ope Medeae profligavit ac domuit, vid. l. Epodon, Od.3. Ovid. 7.Met. *h*) Quasi ex insidiis immisere; e terra educere. Sic tellus dicitur a Lucretio flores summittere, id est, producere; arbor se subiicere dicitur a Virgilio, id est, se attollere ab humo, crescere. *i*) Asiae populi, prope mare Caspium. *k*) Cadmus, antequam Thebas conderet, iussus est ab oraculo dentes serpentis serere: ex illis dentibus armati milites nati sunt, et inter illos Echion, qui deinde Cadmi gener fuit, et eius adiutor in Thebis extruendis: unde vocat eas Horatius Echionias. Sententia igitur est: non maiora fuere monstra in Colchide, aut Thebis olim nata, et mirabiliora, quam ipsa Roma sit. *l*) Si coneris Romanos mersare in profundum mare; hinc evenient, idest, emergent fortiores: si lucteris cum eis et pugnes, te integrum, hostem et recentibus instructum copiis, antea victorem proruent, delebunt. Luctari proprie dicuntur, qui inter se manibus pedibusque certant uter utrum proruat, ac deiiciat.

a) Deploranda, ob amissos maritos, laudanda, ob servatos: vel, quae viri uxoribus renarrent, domum reversi. *b*) De meis in Italia victoriis. *c*) Iam Poeta loquitur; et est Odae totius clausula. *d*) Vires, consilia Neronum; quorum vulgo praenomen erat, Claudius, *e*) Cum prudentia, consilioque iunctae. *f*) Liberant, tutos praestant ac victores. *g*) Per bella pericu-

ODE IV. *Augustum, ut in Urbem e Galliis cito redeat, hortatur; et publicam sub eo felicitatem celebrat.*

DIvis orte bonis *h*), optime Romulae *i*)
Custos gentis, abes *k*) iam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus Patrum *l*)
Sancto concilio *m*), redi.
Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Instar *n*) veris enim vultus ubi tuus
Affulsit, populo gratior it dies,
Et Soles melius nitent.
Ut mater iuvenem *o*), quem Notus invido *p*)
Elatu Carpathii *a*) trans maris aequora *b*)
Cunctantem *c*) spatio longius annuo
Dulci detinet a domo,
Votis ominibusque *d*), et precibus vocat;
Curvo *e*) nec faciem littore dimovet *f*):

loss: sic, amara curarum, pro amarae curae. *h*) Propitiis, qu natus es singulari Deorum beneficio: vel qui originem ducis a Diis. Gens enim Iulia per Aeneam a Venere derivata erat; et Iulius Caesar, Augusti pater adoptione, in Divos relatus fuerat; unde in nummis Augustus passim *Divi filius* appellatur. *i*) Romanae, pro, Romuleae. *k*) Profectus erat in Gallias, anno 738. rediit anno 741. Vide Indicem 2. Odarum. *l*) Senatorum. *m*) Senatui, ordini. *n*) Postquam tuus vultus, verno tempori similis, nobis affulsit; dies amoeniores sunt, et Sol nova luce redimitus videtur. *o*) Filium. *p*) Adverso: quasi reditum filii invideret parenti. Notum diximus alibi esse ventum procellosum, a meridie flantem.

a) Carpathus insula est, inter Rhodum, et Cretam. *b*) Vasta et aequa spatia. *c*) Anno diutius morantem. *d*) Capiendo identidem auguria, et omina, quae illi filii reditum adpromittant. Sumebantur autem omina interdum ab avibus, interdum a pecudibus, etc. *e*) Prono, devexo. *f*) Detrahit,

Sic desideriis icta *g*) fidelibus
Quaerit *h*) patria Caesarem.
Tutus bos etenim rura perambulat :
Nutrit *i*) rura Ceres, almaque faustitas *k*) :
Pacatum volitant per mare navitae :
Culpari *l*) metuit fides :
Nullis polluitur casta domus stupris :
Mos, et lex *m*) maculosum edomuit nefas *n*):
Laudantur *o*) simili prole puerperae :
Culpam *p*) poena premit comes.
Quis partum *q*) paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit
Foetus *r*), incolumi Caesare ? quis ferae
Bellum curet Iberiae *s*) ?
Condit *t*) quisque diem collibus in suis :
Et vitem *u*) viduas ducit ad arbores :

deiicit. *g*) Percussa, commota. *h*) Absentem requirit. *i*) Saturat frumento, et implet. *k*) Felicitas, frugum copia. *l*) Fides cavet ne culpetur, ne accusetur perfidiae : omnes fidem aliis datam servant. *m*) Turpia, et obscuena flagitia domantur, comprimuntur bonis moribus, idest, disciplina et studio virtutis, ac legibus. Legem tulit Augustus de adulteriis, et pudicitia. *n*) Sic vocat frequentiam adulteriorum, quae labem, et maculam clarissimis familiis intulerant. *o*) Foeminae partu levatae laudantur ob filios similes parentibus ; quae similitudo arguit eos spurios non esse. *p*) Poenae sceleratos cito consequuntur, et plectunt. *q*) Parthi sunt in Asia, Persidem occuparunt. Scythae sunt Septemtrionalis Asiae populi. *r*) Homines : olim Germani erant procera, et immani statura. Illi, Augusti adventu in Gallias territi, arma posuerant, ut Hispani, qui nuper ab Agrippa domiti, nonnihil deinde turbaverant. *s*) Hispaniae, ab Ibero flumine. *t*) Sepelit, id est, totum transigit. Ita Virgilius dixit, *diem componi*, quae vox etiam funerum est : Plautus *comburi*. *u*) Iungit, et maritat vitem quibusdam arboribus sterilibus, et sine illa quasi viduis : tales sunt ulmus, populus, etc.

Hinc ad vina redit laetus ; et alteris *a*)
Te mensis adhibet Deum :
Te multa prece, te prosequitur mero
Diffuso pateris *b*) ; et laribus *c*) tuum
Miscet Numen , uti Graecia *d*) Castoris ,
Et magni memor Herculis.
Longas o utinam , dux bone ferias *e*)
Praestes Hesperiae *f*) : dicimus integro *g*)
Sicci *h*) mane die ; dicimus uvidi *i*) ,
Cum sol *k*) Oceano subest.

ODE V. *Precatur Apollinem , ut saeculare carmen a se compositum probet ac tueatur. Virgines ac pueros ut rite illud recitent , monet.*

DIve *l*) , quem proles Niobaea magnae
Vindicem linguae , Tityosque *m*) raptor

a) In secundis mensis, te cum ceteris Divis iungit, invocatque. Sublata mensa prima, et maioribus ferculis, altera ponebatur; in eaque vulgo poma, uvae, ac praesertim vinum generosius: quo Diis libabant et agebant gratias. *b*) De pateris fuso; de cyatho enim fundebant in terram aliquid vini,antequam biberent,illudque Diis offerebant. *c*) Privatis cuiusque domus,et familiae Diis. *d*) Ut Graecia, memor, et grata pro acceptis beneficiis, miscet Diis nomen Castoris, et Herculis; id est, laudibus Deorum, et hymnis admiscet laudes Castoris, etc. De Castore, vide l. 1. Od. 3. *Sic te Diva, etc.* *e*) Otium, pacem: feriae dies festi, seu vacui ab opere dicuntur ; per quos inferuntur epulae, victimae feriuntur. *f*) Italiae. *g*) Recenti novo, ex quo nondum quidquam decisum , et decerptum est ad laborem, et opus, id est, primo mane. *h*) Ieiunii. *i*) Humidi , id est, poti, coenati, vino madidi. *k*) Vespere: cum Sol Oceano mergitur. *l*) O Apollo , quem filii Niobes sensere vindicem linguae magnae, id est, arrogantis, ac superbae, Niobe , Tantali filia, uxor Amphionis Thebarum regis , cum liberos 12. haberet, sex mares , totidem puellas, Latonam spernere ausa erat , quae duos tantum ediderat. Ulti matrem, Apollo , et Diana, omnes liberos Niobes sagittis confecerunt : ipsa Niobe diriguit dolore , et in saxum est mutata. Ovid. 6. Metamor. qui dat illi 14. liberos , cum alii tantum 12. *m*) Nominativus

Sensit, et Troiae prope victor *a*) altae
Phthius *b*) Achilles,
Ceteris maior, tibi miles, impar;
Filius quamvis Thetidis *c*) marinae,
Dardanas *d*) turres quateret tremenda
Cuspide *e*) pugnax
Ille, mordaci *f*) velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non inclusus equo *g*) Minervae
Sacra mentito, male feriatos, *h*)
Troas, et laetam Priami choreis
Falleret *i*) aulam:
Sed *k*) palam captis gravis *l*) (heu nefas! heu!)
Nescios fari *m*) pueros Achivis
Ureret flammis latentes
Matris in alvo:
Ni tuis victus, Venerisque gratae

est Graecus, pro Tityus: de illo vide l. 2. Od. 4. et l. 3. Od. 4. Vocatur raptor; quia Latonam rapere voluerat ac temerare: inter gigantes numeratur.

a) Hectore nimirum interfecto. *b*) Oriundus Phthia, urbe Thessaliae. Paris, iuvante Apolline, Achillem in eius templo sagitta interfecit. *c*) Thetis, Dea marina, Nerei filia. *d*) Pro Dardanias; Troianas: et postea Teucro, pro Teucrio, id est, Troiano. Teucer Dux fuit Troianorum, de quo vide Od. 6. l. 1., et 13. *e*) Hasta immani. *f*) Securi, vel serra. *g*) Equo ligneo, qui fingebatur Minervae dicatus a Graecis, pro reditu in patriam, equum hunc illi a se promissum, quippe pugnaci et bellatrici Deae, simulantibus. Hinc dicitur ab Horatio, *equus mentitos sacra Minervae*. Vide Virg. 2. Aeneid. *h*) Male cessantes, otio intempestivo, choreis, et epulis indulgentes. *i*) Fefellisset, latuisset: non se in equi latebras abdidisset, ut Priami aulam et proceres noctu invaderet. *k*) Ordo est: sed captis et expugnatis palam ac luce, subaudi Troianis, uteret eorum infantes flammis Achivis, id est, Graecis, a se accensis. *l*) Durus, crudelis. *m*) Nondum per aetatem loqui

Vocibus, Divum pater annuisset *n*)
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.
Doctor *a*) argutae fidicen Thaliae
Phoebe, qui Xantho *b*) lavis amne crines (*c*,
Dauniae *d*) defende decus Camoenae,
/ Laevis *e*) Agyeu *f*).
Spiritum *g*) Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis, nomenque dedit poetae.
Virginum primae *h*), puerique claris
Patribus orti,
Deliae tutela *i*) Deae, fugaces
Lyncas, et cervos cohibentis *k*) arcu,

valentes. *n*) Concessisset rebus, idest fatis et fortunae Aeneae, muros dictos felicioribus quam Troia auspiciis: hoc est, annuisset: ut Aeneas uteretur secundis rebus, et duceret, seu, conderet muros Romae non evertendos olim; ut Troiani ceciderant. Ales: in ea locutione sumitur pro auspicio; quia auspicia proprie ex avium cantu, et volatu petebantur; ut saepe antea dictum.

a) O Phoebe, qui fidicen peritissimus, doces Thaliam argutam, id est, recte canentem, sonora voce praeditam. Thalia una e Musis est. *b*) Duo fluvii sic vocati sunt; alter in Troade; alter in Lycia; utraque regio nota fuit Apollini, et amica. *c*) Solebant veteres in amnibus crines lavare, ut melius niterent, crescerentque. *d*) Id est, Musae Italae, sive, meorum versuum: erat enim ortus ex Apulia, in qua regnavit olim Daunus, Turni pater. Sententia est: fac ut mei versus placeant; decus illis et gratiam apud omnes concilia. *e*) Imberbis, qui malas habes laeves. *f*) Vocativus est Graecus, significans eum qui viis praeest: is muneris dabant Apollini; statuasque illi in viis, pro foribus aedium, ponebant. *g*) Ingenium ad poesim factum: impetum poeticum. *h*) Primaria nobiliores. Saeculare carmen a lectissimis pueris, puellisque 27. patrimis, et matrimis, idest, quorum pater et mater essent superstites canebatur; idque magno ducebant honori parentes, quorum liberi eligerentur. *i*) Id est, vos, qui estis in fide, ac tutela Dianae, natae in Delo, Pueri, et puellae, antequam in matrimonium collocarentur, erant in Dianae fide. Delos porro est insula maris Aegaei, patria Dianae, et Apollinis. *k*) Sisten-

Lesbium *l*) servate pedem, meique
Pollicis ictum:
Rite *m*) Latonae puerum *n*) canentes,
Rite crescentem face *o*) noctilucam *p*),
Prosperam *a*) frugum celeremque *b*) pronos *c*)
Volvere menses.
Nupta *d*) iam dices: Ego dis amicum,
Saeculo *e*) festas referente luces *f*).
Reddidi *g*) carmen, docilis modorum *h*)
Vatis Horati.

tis, et interficientis. *l*) Numeros, et modos Odae lyricae saecularis, quam vobis recitandam dabo, observate; et cantum vestrum moderamini e strepitu, et concentu lyrae, quam pollice percutiam, dum vos verba recitabitis. Vocat autem lyricos numeros, *pedes Lesbios*; quia primum sunt inventi ob Alcaeo, et Sapphone, qui nati erant in urbe Mitylene, primaria insulae Lesbi. De carmine saeculari, plura vide in ultima Ode libri Epodon. *m*) Sancte, religiose. *n*) Filium. *o*) Cuius fax, seu, lumen crescit. *p*) Dianam, quae nocte lucet: quia eadem est ac Luna. Carmen autem saeculare recitabatur, cum Luna crescere inciperet.

a) Quae facit, ut ut laetae sint fruges, quae illarum copiam, et proventum impertit. Nihil autem subauditur: sed hoc adiectivum a Latinis ita cum gignendi casu ponitur. *b*) Celerem in volvendis mensibus: Hellenismus, seu Graeca locutio. Luna Zodiacum diebus 27. emetitur, quem Sol uno tantum anno lustrat: id autem fit; non quia revera celerior est Sole; sed quia circulum minorem describit, quippe terrae propior. *c*) Quasi cito, et sponte sua cadentes ac desinentes. *d*) Tu, o Virgo, carmen meum recitatura (unam alloquitur, omnium nomine) cum eris olim nupta, dices, atque ita gloriaberis: Una eram ex iis, quae recitabant carmen saeculare, Dianae et Apollini gratissimum, ab Horatio vate compositum. *e*) Exacto saeculo, et revehente dies festos ac solemnes, etc. Vide carmen Saeculare, in fine libri Epodon. *f*) Fideliter recitavi, cecini. *g*) Per sex enim dies noctesque agebantur saeculares illae feriae. *h*) Postquam ab eodem Horatio didici, et memo-

ODE VI. *L. Manlium Torquatum admonet de vitae brevitate.*

DIffugere nives: redeunt iam gramina campis,
Arboribusque comae:
Mutat terra vices *i*), et decrescentia ripas
Flumina praetereunt k):
Gratia *l*) cum Nymphis, geminisque sororibus audet *m*)
Ducere nuda choros.
Immortalia *a*) ne speres monet annus, et almum
Quae rapit *b*) hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris; ver proterit *c*) aestas
Interitura, simul *d*)
Pomifer autumnus fruges effuderit; et mox
Bruma recurret iners.
Damna *e*) tamen celeres reparant caelestia Lunae:
Nos ubi decidimus,

riae mandavi eius modos, seu Oden. *i*) Mutatur, errat grata vicissitudine: pro hyeme ver iam habet: antea iners, et frigida, nunc laeta, et aperta est. *k*) Infra ripas solitas eunt ac descendunt; arctiori utuntur alveo. *l*) Tres sunt Gratiae, seu Charites, Aglaia, Thalia, Euphrosine; beneficiis, et amicitiae praesunt: hinc sine vestibus pinguntur; quia sincera, et fuci ac simulationis expers, debet esse amicitia, et beneficentia: iuvenes, quia beneficiorum memoria numquam debet consenescere: earum una aversa pingitur, duae ad nos conversae, quia duplicem pro accepto beneficio gratiam referre oportet, ac beneficium unum duobus compensare. Ab accipiente gratiam duplicem reverti decet. *m*) Quae hyeme prodire non audebat.

a) Ne rem ullam aeternam putes: ne vitam semper duraturam confidas, *b*) Finitis enim horis, dies quaeque praeterit absolvitur. *c*) Protudit, abigit. *d*) Statim atque. *e*) Sen-

Quo pius *f)* Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.
Quis scit, an adiiciant hodiernae crastina summae *g)*
Tempora *h)* Di Superi?
Cuncta *i)* manus avidas fugient haeredis, amico
Quae dederis animo.
Quum semel occideris, et de te splendida Minos *k)*
Fecerit arbitria *l)*,
Non, Torquate *m)*, genus *n)*, non te facundia, non te

sus est: tamen Luna, quae celeriter menses evolvit, cito reparat damnum luminis sui caelestis quod patitur, cum decrescit; brevi enim fit plena, et integram suam lucem recipit. Vel: tamen haec damna temporum, et tempestatum vicissitudines, brumae incommoda, etc. reparant ac resarciunt Luna, Sol, et ceteri Planetae. Lunam autem praecipue nominat; quia vis eius est maxima in ea omnia, quae e terra gignuntur. Ita Lambinus explicat. Damna porro tempestatum Horatius appellat caelestia; quia caelum pro aere saepe sumitur, et praecipua mutatio in aere fit. Porro singulae tempestates aliquid videntur accipere, et afferre damni, cum mutantur; ver enim desinens amittit temperiem suavissimam, aestas calorem et messes, autumnus fruges, etc. *f)* In eum locum, in quem deciderunt Aeneas, Tullus, et Ancus: nempe ad Inferos. Tullus Hostilius fuit rex romanorum tertius: Ancus vero quartus. *g)* Ad numerum et summam annorum, quos hactenus viximus, quos hodie numeramus. Bene Martialis; *Sera nimis vita est crastina; vive hodie.* *h)* Diem crastinam. *i)* Quae animo et genio tuo dederis, ea subtrahes prudenter haeredi avaro; non venient in eius manus illae opes, quas in epulas, in ludum, impenderis. *k)* Iudex inferorum, notus. *l)* Iudicia: vocat splendida, id est, publica, superba: cum de te pro arbitrio statuerit. Vulgo *arbiter*, iudex privatus, est, qui ex aequo et bono lite inter dissidentes ortam dirimit amice. *m)* L. Manlius Torquatus, ad quem Horatius haec scribit, Consulatum gessit, eodem anno, quo natus est Horatius. *n)* Nobilitas: originem enim ducebat iste Manlius, ab illo Manlio, qui quod Gallum interemptum torque spoliasset, Torquati cognomen est adeptus.

Restituet *a*) pietas.
Infernis *b*) neque enim tenebris Diana *c*) pudicum
Liberat Hyppolytum *d*).
Nec Lethaea *e*) valet Theseus abrumpere charo
Vincula Pyrithoo *f*).

ODE VII. *Amico mittit carmina, et muneris pretium declarat.*

DOnarem pateras, grataque commodus *g*)
Censorine *h*), meis aera *i*) sodalibus;
Donarem tripodas k), praemia fortium
Graiorum *l*): neque tu pessima munerum *m*)

a) Subaudi, vitae, amicis. *b*) Ipsi Dii non possunt eos, quos habebant carissimos, ab inferis revocare: quis mortalium id moliri aut sperare ausit? c) Quamvis vulgo diceretur Aesculapius Hyppolytum revocasse ab inferis; hoc tamen Horatius irridere hic videtur. *d*) Thesei filius fuit, qui, cum amores impios Phaedrae suae novercae respueret, accusatus ab ea est apud Theseum, qui filio male precatus, Neptunum rogavit, ut poenas ab eo sumeret. Neptunus, immissis phocis, id est, marinis monstris, terruit equos, a quibus trahebatur in littore deambulans Hyppolitus: ita ut eum excussum curru, et loris implicatum, laceraverint. *e*) Inferorum vincula, quibus homines ita detinentur in inferis, ut evadere non possint. Lethe est inferorum fluvius. *f*) Fabulantur poetae descendisse Thesepm ad inferos cum Pyrithoo, ut Proserpinam raperet; utrumque a Dite, seu Plutone, captum; mansisse in vinculis Pyrithoum: soluto, Herculis ope, Theseo. *g*) Liberalis, benignus. Solebant Romani saturnalibus ad amicos munera missitare: Horatius pro munere mittit versiculos. *h*) Caius Marcius Censorinus. Consulatum gessit, anno U. C. 746. Caium Caesarem, Augusti nepotem, in orientem secutus, ibi decessit, octavo post Horatii obitum anno, vir omni laude ornatissimus. *i*) Lebetes, vasa, statuas aereas. *k*) Erant isti tripodes, ingentes ollae et cacabi, tribus fulti pedibus: iis utebantur ad coquendas igni carnes, vel ad mensae ornatum et usum, ad aquam excipiendam etc. *l*) Homerum maxime istis muneribus suos heroas donat passim in Iliade. *m*) Pessima munera: si eiusmodi munera donarem amicis, tibi omnium carissimo largiter optima.

Ferres *a*); divite me *b*) scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic *c*) saxo, liquidis ille coloribus
Solers *d*) nunc hominem ponere *e*), nunc deum.
Sed non haec mihi vis *f*): non tibi talium
Res *g*) est, aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare, et pretium dicere *h*) muneris.
Non incisa notis *i*) marmora publicis,
Per quae k) spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus, non celeres fugae,
Reiectaeque *l*) retrorsum Hannibalis minae
Non incendia *m*) Carthaginis impiae,
Eius *n*), qui domita nomen ab Africa

a) Auferres, id est, obtineres, acciperes. *b*) Si essem dives rerum, quas arte egregia excudit Parrhasius: si haberem artes, id est, opera, signa, vasa artefacta, quae protulit, id est, in lucem edidit, elaboravit, vel palam spectanda proposuit, ut artifices egregii solent. Parrhasius (pictor celebris Ephesinus, aequalis Zeuxidis), aut Scopas, statuarius. *c*) Scopas: *ille*, Parrhasius. *d*) Peritus. *e*) Effingere, imitari pingendo, aut sculpendo. Solers ponere, pro solers ad ponendum; more graeco *f*) Facultas, copia, opes. *g*) Sententia est: nunc tu eges istis deliciis, id est, vasis, signis, tabellis delicatis, ad ornatum et delicias comparatis; neque porro eas res concupiscis: abundat domus tua eiusmodi rebus: et animus tuus eas non nimis amat. *h*) Imponere, statuere. *i*) Elogii, inscriptionibus. Notas vocabant, litteras maiuscolas, aut verba, in compendium, certis notis, ut hodieque fit, impositis, redacta: qualia inscriptionibus visuntur. *k*) Quae efficiunt, ut egregii duces post mortem quasi reviviscant. *l*) Et Hannibal a Scipione fugatus et ab Italia reiectus, id est, in Africam retrocedere coactus, qui prius Romam se capturum minabatur. Livius l. 28. 29. 30.. *m*) Scipio Africanus, minor dictus, Carthaginem cepit, et incendit. Impia dicitur; quia contra fidem promissam foedus fregerat, quod, bello Punico secundo confecto, compositum fuerat. *n*) Scipionis Africani maioris; qui Carthaginem et Africam domuit; unde ipsi nomen. Maior dicitur, id est superior, sive senior, ut distinguatur ab Africano altero, qui, cum esset Lucii Pauli filius, adoptatus fuit a filio

Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae *o*) Pierides *p*): neque *q*),
Si chartae sileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae,
Mavortisque puer *a*), si taciturnitas *b*)
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum *c*) Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus *d*), et favor, et lingua potentium *e*)
Vatum divitibus consecrat *f*) insulis *g*).
Dignum laude virum Musa vetat mori,
Caelo Musa beat *h*). Sic Iovis interest *i*)
Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum Tyndaridae *k*) sidus *l*) ab infimis

Africani maioris, et ipse quoque Africanus dictus. *o*) Ennii versus. Non statuae, non ruina Carthaginis, etc. laudem tantam Africano minori compararunt, quantam Ennii versus Africano maiori. Ita explicari potest Horatius, ne dicatur foede lapsus historiae inscitia, si Africanum minorem diceret laudatum ab Ennio, qui cum Carthago est incensa, iam obierat, nempe anno U. C. 586. Ennius Poeta Latinus antiquus. Rudiis, in oppidulo Calabriae, natus Scipioni Africano maiori carus fuit, eiusque res gestas scripsit. *p*) Supra Oden 11. *q*) Ordo est, neque tu mercedem tuleris, si etc. id est, nullum fructum nullam mercedem quisquam e rebus praeclare gestis consequetur, si libri sileant quod recte ab illo factum fuerit.

a) Romulus, filius Iliae et Martis. Ilia erat filia Numitoris. Vide Florum l. 1. *b*) Si de illo scriptores tacerent, quod silentium eius gloriae inimicum et invidum foret. *c*) Morti et oblivioni ereptum. *d*) Potestas, facundia. *e*) Praestantium; qui possunt haec edere miracula *f*) Campis Elysiis; quos multi ponebant in insulis Fortunatis, in mari Atlantico. *g*) Immortalitate donat, et quasi Numen ponit in campis Elysiis. Volunt enim Poetae Aeacum, ob insignem iustitiae amorem, non solum in campos Elysios delatum, sed praepositum etiam mortuis iudicandis. *h*) Facit beatos homines, eos ad caelum evehendo. Beare caelo, ut beare munere. *i*) Praesens adest. *k*) Castor et Pollux filii Ledae, cuius maritus Tyndarus, l. 1. Od. 3. 4. *l*) Est appositio: Tyndaridae, qui sunt clarum sidus. Nautis

Quassas eripiunt aequoribus rates :
Ornatus viridi tempora pampino
Liber *m*) vota *n*) bonos duxit ad exitus.

ODE VIII. *Suos primum versus, deinde poesim universe postremo Lollium, ad quem scribit, commendat.*

Ne forte credas *a*) interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum *b*)
Non ante vulgatas per artes *c*)
Verba loquor socianda chordis *d*).
Non *e*), si priores Maeonius *f*) tenet
Sedes Homerus, Pindaricae *g*) latent,
Ceaeque *h*), et Alcaei minaces,
Stesichorique *i*) graves Camoenae :

favere dicuntur illae stellae, sive erratici ignes, qui nubibus oberrant, quosque Dioscurus, seu, Castorem et Pollucem vocant. Vid. l. 1. Od. 3. *m*) Bacchus ; sic vocatus, quia curis animos liberat. Pampinus est folium vitis, quo Bacchus coronatur. *n*) Praesto est invocantibus ; reos votorum facit.

a) Noli credere meos versus morituros, *b*) Ego Horatius. Aufidus est fluvius Apuliae, quae Horatii patria fuit. Longe sonans dicitur, quia magno cum impetu et strepitu volvitur ex Apennino in sinum Adriaticum. *c*) Per Lyricos versus Latinos, Romanis ante me ignotos, et quorum primus artifex ego sum. *d*) Ad lyram canenda. Hinc isti versus lyrici vocantur. *e*) Ordo est : etsi Homerus primas sedes, id est, primum inter Poetas locum obtinet : non ideo tamen Pindarus latet, nullo in honore est ; non idcirco iacent alii Poetae ; inter quos ego etiam numerum aliquem et locum obtinebo. *f*) Ita dictus est Homerus, vel a patre Maeone, vel a patria Maeonia, seu Lycia, minoris Asiae regione. *g*) Supra Od. 1. *h*) Simonidis, e Cea insula. Persarum bella, et Graecorum calamitates, lugubri carmine prosecutus est. De Alcaeo saepe dictum ; minaces ejus versus appellat : quia Tyrannos non armis tantum, sed versibus etiam acerrimis exagitavit. Vide Oden 10. lib. 2. *i*) Fuit oriundus Himera, urbe Siciliae ; multa scripsit Epico carmine ; laudat

Nec, si quid olim lusit k) Anacreon,
Delevit aetas: spirat l) adhuc amor,
Vivuntque commissi calores m)
Aeoliae fidibus puellae.
Non sola a) comptos arsit adulteri
Crines b), et aurum c) vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus,
Et comites, Helene Lacaena d)
Primusve Teucer e) tela Cydonio f)
Direxit arcu: non semel Ilios
Vexata g): non pugnavit ingens
Idomeneus h), Sthenelusve solus,
Dicenda Musis i) praelia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus k) graves
Excepit ictus pro pudicis l)
Coniugibus, puerisque primus.

illum pluribus Quintil. l. 1. c. 10. k) Scriptitavit. Anacreon, Poeta Lyricus, natus in Ioniae urbe Teo, usus est carmine admodum terso et eleganti: floruit Polycratis Samiorum Tyranni temporibus, circa Olympiadem 62. Eum acino uvae passae strangulatum obiisse Plinius tradit c. 43. l. 7. l) Amor Aeolia puellae, id est, Sapphus, (quae nata erat Mitylenae, quae urbs inter Aeolias urbes numerabatur, ut ante passim dictum) adhuc spirat et quasi vivus extat in eius versibus amatoriis. m) Amore Sapphus sive amatoriae querelae, quas illa commisit, et quasi credidit suis carminibus. De Sappho, vide Od. 10. l. 2.

a) Non sola Helena Paridem amavit. b) Pro, amavit deperiit. Vel; non sola arsit amore Paridis, mirata eius comites, comptos crines, et cultum, hoc est, vestes pretiosas, ornatum corporis. c) Aurum intextum opere Phrygio, vestes acu pictas, et auro illusas. d) Lacedaemonia. e) Hunc Homerus ait in torquendis arcu sagittis peritissimum fuisse. Non ille solus talis fuit, inquit Horatius. De Teucro, vide Od. 6. et 13. l. 1. f) Cretensi. Cydon urbs Cretae fuit, ad quam optimae sagittis faciendis nascebantur arundines. g) Obsessa, oppugnata. Troiam primo Hercules obsedit, deinde Amazones, demum Graeci. h) Duces Graecorum fortissimi, de quibus saepe Homerus meminit. i) A vatibus celebranda. k) Frater Hectoris, Priami filius. Vide Virgil. 6. Aeneid. l) Pro civibus suis, pro coniuge,

Vixere fortes ante Agamemnona *m*)
Multi sed omnes illachrymabiles *n*)
Urgentur *o*), ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Paulum sepultae *p*) distat inertiae *q*)
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo;
Totve tuos patiar labores *a*)
Impune *b*), Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens *c*), et secundis
Temporibus dubiisque *d*) rectus.
Vindex *e*) avarae fraudis, et abstinens *f*)
Ducentis ad se cuncta pecuniae;
Consulque *g*) non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus

et filiis. *m*) Dux fuit praecipuus Graecorum ad Troiam, Rex Mycenarum. *n*) Indefleti. *o*) Obruuntur aeterna morte, sepeliuntur oblivionis tenebris. *p*) Ignoratae et latenti. *q*) Pro, ab inertia. Poetae enim dativum crebro usurpant pro ablativo cum praepositione. Sic Horatius idem scripsit in suis Satyris: *distat sermoni sermo merus*, pro, a sermone distat. Sententia est, inter viros fortes et ignavos parum esse discriminis, si de utrisque perinde sileatur: virtus nullis litteris illustrata, incognita, parum differt ab ignavia ignota et mortua: parum interest an alius vixerit ignavus et mortuus, sit alius fortis et generosus, si non laudetur hic, si ille non vituperetur.

a) Lollius maxima bella gesserat in Thracia, et Galatia; semel a Germanis fusus (quae clades Lolliana dicta est) eos saepius profligavit; ab Augusto moderator et custos adhibitus est suo nepoti Caio Caesari. Vide Velleium, lib. 2. *b*) Me non prohibente. Porro hic est ordo sententiae: non patiar, ut lividae obliviones carpant, obscurentque, impune, nemine iniuriam vindicante, tot egregios tuos labores. c) In rebus prospiciendis, in tractandis negotiis. *d*) Adversis, duris. *e*) Solitus eos graviter punire, qui fraudes moliuntur, ut avaritiae suae sitim expleant. *f*) Qui potest se abstinere a pecunia, quae omnia ad se ducit trahitque. *g*) Tuus non est unius anni Consulatus; id est tu

Iudex honestum praetulit utili, et
Reiecit alto dona nocentium *h*)
Vultu *i*); et per obstantes *k*) catervas
Explicuit sua victor arma *l*).
Non *m*) possidentem multa vocaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati;
Peiusque letho *n*) flagitium timet:
Non ille pro charis amicis,
Aut patria timidus perire.

ODE IX. *Ligurinum admonet, eius pulchritudinem brevi esse perituram.*

O Formosus *a*) adhuc, et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae cum veniet *b*) pluma superbiae,

non tantum Consulatum unius anni spatio definitum geris ut ceteri; sed toties es Consul, et istius Magistratus officium ac munus geris, quoties tuus animus, bonus, et fidus iudex, id est, instar aequi iudicis, honestum bonum praefert utili, alto vultu etc. Fuit autem Lollius Consul, anno U. C. 733. *h*) Erecto vultu, oculo irretorto. *i*) Reorum: qui tuam integritatem student muneribus corrumpere. *k*) Adulationes, munera, largitiones: qui sunt iudicum hostes. *l*) Aequitatem constantiam: fidem; his enim pugna index, his vincit, *Explicuit arma*, id est, viam sibi armatus aperuit, sine clade. *m*) Non recte vocaveris beatum, qui multa possidet. *n*) Magis morte: mori mavult quam peccare.

a) O Ligurine, qui adhuc formosus es, et ferox ob Veneris munera nempe pulchritudinem, gratiam etc. *b*) Illis rebus dicuntur plumae venire, quae avolant ac fugiunt. Sensus igitur est: quando tua superbia, sive tua illa forma, quae te superbum facit, abierit, te deseruerit, etc. Vel, per plumam canos, aut barbam intellige, quibus forma de-

Et quae nunc humeris involitant, deciderint *c*) comae,
Nunc *d*) et qui color est punicae flore prior rosae,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam;
Dices, heu! (quoties te in speculo videris *e*) alterum)
Quae mens *f*) est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur *g*) his animis incolumes non redeunt genae?

ODE X. *Phyllidem invitat ad natalem Moecenatis, domi suae, festis epulis celebrandum.*

EST mihi nonum superantis annum
Plenus Albani *h*) cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
Est hederae vis *i*)

teritur, et flos aetatis obscuratur. *c*) Senio avulsae: senes vulgo sunt calvi. *d*) Ordo est: quando color tui vultus: qui est nunc prior, id est, potior, pulchrior, flore puniceae, hoc est, purpureae rosae, mutatus, te in aliam faciem: nempe hispidam, e pulchra mutaverit. *e*) Ita mutatum ab illo qui fueras olim, ut alterum te pene esse credas. *f*) Dices: Cur eadem non fuit mihi puero mens, quae est hodie mihi seni? cur voluptates et cetera ludicra non fugiebam tunc, ut modo fugio? *g*) Vel quare non redit mihi forma pristina, et integer florensque vultus, mihi, inquam, his animis praedito, nempe, probitatem amanti, contemnenti voluptates? Castos enim ornat forma, quae improbos dedecorat. *h*) Vini generosi, quod in montibus prope Albam nascebatur. *i*) Copia multa: est mihi vis hederae; quae hedera crinem habens coronatum fulges, qua caput soles coronare cum dignitate. Apium et hederam valere credebant ad discutiendos vini fumos, et arcendam ebrietatem: sunt enim herbae illae humidiores.

Multa, qua crines religata fulges.
Ridet *a)* argento domus: ara castis *b)*
Vincta verbenis *c)* avet *d)* immolato
Spargier agno.
Cuncta festinat manus *e)*; huc et illuc
Cursitant mixtae pueris puellae *f)*;
Sordidum *g)* flammae trepidant rotante
Vertice fumum.
Ut tamen noris, quibus *h)* advoeris
Gaudiis; Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem *i)* Veneris marinae
Findit *k)* Aprilem;
Iure *l)* solemnis mihi, sanctiorque
Pene natali proprio; quod ex hac
Luce Moecenas meus affluentes
Ordinat annos.

a) Vasis argenteis ornata splendet. *b)* Puris, religiosis, et more sacrorum positis. *c)* Verbena est herba, quam circum aras spargebant sacrificaturi; qua coronabant aras ipsas. *d)* Imbui et respergi sanguine agni immolati cupit, gestit. *e)* Famulorum turba. *f)* Ancillae. *g)* Flammae cum impetu evolant in caminum, rotantes sordidum et pinguem fumum in tecti vertice. Indicat lautam culinam. *h)* Quod festum tanto gaudio celebratura sis. *i)* Mensem Veneri sacrum. Est autem Aprilis Veneri sacer; quia verna tempestas terrae sinum aperit; ac frugibus rebusque ceteris gignendis favet. Vocat marinam Venerem; quia Venus a poetis dicitur nata e maris spuma. *k)* In duas partes prope aequales dividit. Idus enim incidunt in diem mensis cuiuslibet 13. vel 15. *l)* Est ille dies mihi merito solemnis, et prope sanctior meo die natali; quia ex illo die Moecenas ordinat, numerat ordine suos annos, affluentes, id est, alios aliis accedentes: quia nimirum est dies ejus natalis, a quo anni inchoantur.

ODE XI. *Virgilium ad Coenam vocat.*

IAM veris comites, quae mare temperant *m*),
Impellunt animae *n*) lintea *o*) Thrasciae :
Iam nec prata rigent *a*), nec fluvii strepunt
Hyberna nive turgidi *b*).
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis *c*), et Cecropiae domus *d*)
Aeternum opprobrium, quod male *e*) barbaras
Regum *f*) est ulta libidines.
Dicunt, in tenero gramine, pinguium
Custodes ovium carmina fistula;

m) Mitius, et aptum navigationi, fugatis cum frigore, procellis, reddunt. *n*) Venti molliores, qui ab oriente flant, ubi est Thracia, ut Italiae opponitur. Anima saepe pro flatu et spiritu ponitur; unde, *ventorum animae*. Siu autem velis Zephyros hic significari, quia fere flant verno tempore, ac sunt mitissimi, dicentur Zephyri Thracii, respectu orientalis maris, cuius ad occidentem est Thracia; Zephyri enim sunt venti occidentales: et sensus erit; Zephyri, ab Thracia flantes, impellunt naves sibi oppositas, nempe in Ponto v. g. Euxino, mari Caspio, et Carpathio; quae maria Thraciam occidentalem habent. Quid si legamus, *animae Thrasciae*? Est enim Thrascias, ventus occidentalis, et Favonio vicinus. *o*) Navium vela.

a) Gelu et frigore obsita. *b*) Non sunt amplius hybernis nivibus turgidi; quare non strepunt. *c*) Hirundo, Progne filia Pandionis Atheniensium regis, nupserat Tereo regi Thraciae. Ille cum Philomelae; sorori Prognes, vim attulisset, Progne suum e Tereo filium Ityn epulandum ipsi Tereo apposuit: quo cognito, Tereus, cum stricto ferro in uxorem involaret, illa conversa est in hirundinem. *d*) Atheniensium regiae familiae: quia Cecrops fuit rex Atheniensium primus. *e*) Filium suum enecando: mollius ulcisci potuit. *f*) Terei. *g*) Pana, Faunum. Arcadia regio est Graeciae, in Peloponneso; ex qua in Italiam venire Pan, Februario

Delectantque Deum *g*), cui pecus, et nigri *h*)
Colles Arcadiae placent.
Adduxere sitim tempora *i*) Virgili *k*).
Sed pressum Calibus *l*) ducere *m*) Liberum
Si gestis, iuvenum *n*) nobilium cliens *o*),
Nardo *p*) vina merebere *q*):
Nardi parvus onyx *a*) eliciet *b*) cadum,
Qui nunc Sulpitiis *c*) accubat *d*) horreis,
Spes *e*) donare novas largus, amaraque *f*)
Curarum eluere efficax.
Ad quae *g*) si properas gaudia, cum tua *h*)
Velox merce veni. Non ego te meis

mense, dicebatur. Vide Oden 14. l. 3. *h*) Umbrosi. *i*) Tempestas iam calidior. Ver, in Italiam, interdum calore vehementi est infestum. Vel, tempus coenae, tempus serotinum, cum per diem totum abunde collecta sitis est. *k*) Poetarum princeps fuit, Horatii amicus. *l*) Cales, urbs Campaniae; cuius ager vitibus felix: hinc vinum Calenum. *m*) E patera haurire. *n*) Drusi, et Tiberii, Liviae filiorum, et Marcelli, ex Augusti sorore geniti, qui eiusdem Augusti postea filius adoptione fuit, celerorumque nobilium et doctorum, qui Romae frequentes erant, adolescentum; a quibus unguenta eiusmodi, muneris loco, data esse facile Virgilio poterant. *o*) Qui te illis dedisti, quos observas, colis etc. *p*) Id est, dabo vinum, si tu nardum, hoc est, unguentum e nardo confectum afferas. Solebant enim, ut saepe diximus, uncti, et delibuti accumbere. *q*) Emes, obtinebis a me.

a) Vasculum ex onyche, lapide pretioso, factum. *b*) Adducet; persuadebit mihi, ut adduci iubeam cadum integrum etc. *c*) Apothecis, quas Sulpitius Galba extruxerat, et locabat publice; ubi mercatores condebant vina, merces, etc. *d*) Quiescit, servatur. *e*) Qui potest prolixe dare spes novas, et curas eluere. *f*) Pro, amaras curas. *g*) Si te cupiditas vini mei, et epularum tangit. *h*) Onyche tuo

Immunem *i*) meditor tingere *k*) poculis,
Plena *l*) dives ut in domo:
Verum pone moras, et studium lucri *m*);
Nigrorumque memor, dum licet, ignium *n*);
Misce stultitiam *o*) consiliis *p*) brevem:
Dulce est desipere in loco *q*).

ODE XII. *Tiberii de Rhoetis victoriam celebrat, et Augusti auspiciis ac felicitati acceptam refert.*

QUAE cura *r*) Patrum *s*), quaeve Quiritium *t*);
Plenis *u*) honorum muneribus, tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos *x*), memoresque fastos *y*),

et nardo, quo vinum meum quasi emere debes. *i*) Nihil afferentem, nil contribuentem. Non dabo vina nisi tu quid etiam des. *k*) Madefacere, proluere. *l*) Locuplete, lautissima. *m*) Virgilius non contemnendas opes suis versibus collegerat; quae res illum ad scribendum acuebat. Adde quod studium, et bonae artes eruditorum lucra dici possunt. Tamen ea vos occasionem quibusdam dedit suspicandi Virgilium hunc, ad quem scribit Horatius, non esse Maronem poetam satis notum, sed unguentarium quemdam, eiusdem, atque Virgilium, nominis. *n*) Rogi, mortis. Nigros vocat ignes, id est, funestos, tristes. *o*) Ita vocat hilaritatem solutiorem, et liberiores, ut fit in vino, iocos. *p*) Prudentiae, rebus seriis, gravioribus occupationibus. *q*) Tempestive, opportune. *r*) Sententia est, senatum, populumque romanum, quantumvis curae studiique conferat, ad meritos honores Augusto decernendos id praestare tamen pro dignitate numquam posse. *s*) Senatorum. *t*) Ceterorum civium. *u*) Statuis, triumphis, titulis, et fastis; quae omnia plena sunt honoris ac dignitatis. *x*) Elogia, inscriptiones subscriptas statuis, pilis, lapideis etc. *y*) Sunt commentarii; seu codices, qui memoriam rerum singulis annis gestarum continent.

Aeternet *a*)? O, qua Sol habitabiles
Illustrat oras, maxime Principum,
Quem *b*) legis expertes *c*) Latinae
Vindelici *d*) didicere nuper *e*)
Quid Marte posses: milite nam tuo
Drusus *f*) Genaunos *g*), implacidum genus,
Brennosque veloces, et arces
Alpibus impositas tremendis *h*),
Deiecet acer, plus vice simplici *i*):
Maior Neronum *k*) mox grave proelium
Commisit, immanesque Rhoetos, *l*)
Auspiciis *m*) pepulit secundis *n*),
Spectandus *o*) in certamine Martio,

a) In consequentia saecula propaget: aeternitate donet. *b*) Cuius fortitudinem in bello, et felicitatem sensere Vindelici. Est autem ista syntaxis Graeca: nam Graeci ex. gr. pro, scio quaenam sit illa urbs, dicunt, scio illam urbem, quaenam sit; pro, didicere hostes quid Augustus Marte posset, aiunt, didicere Augustum, quid posset. *c*) Imperii, dominationis. *d*) Vide Od. 3. huius libri. *e*) Anno U. C. 738. Consule 2. Indicem Odarum, qui est Chronologicus. *f*) Multa de Tiberio hic, paucula de Druso refert, quem Od. 3. pluribus laudarat. Haec tota pene victoria Drusi fuerat; qui contra Vindelicos et Rhoetos cum exercitu ab Augusto missus, anno ab U. C. 739. bello iam prope confecto, adiutorem fratrem Tiberium, et gloriae socium acceperat: is autem ne se praeteritum doleret, modo laudatur. *g*) Vicini erant Vindelicis, sub Alpibus. *h*) Vel propter hostium, qui arces illas obtinebant, feritatem, vel propter montium altitudinem. *i*) Plus quam semel, saepius; multis praeliis. *k*) Cl. Tiberius Nero, qui Druso fratre maior erat annis fere quatuor. De Neronibus, ac de istis duobus, praecipue dictum ante est, Ode 3. *l*) Nunc Grisones, et vicinos quosdam populos, Helvetiis et Bavaris finitimos. *m*) De illis dictum antea, Ode 12. lib. 2. *n*) Felicibus. Res prosperae dicuntur secundae, quasi quae sequantur conatus nostros, quae nobis obsequantur. *o*) Dignus qui spectaretur. Iuvabat, operae pretium erat, spectare illum in acri pugna, quibus ruinis; quanta strage fatigaret, vexaret,

Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis :
(Indomitas prope qualis undas
Exercet *a*) Auster *b*) , Pleiadum *c*) choro
Scindente nubes) impiger hostium *d*)
Vexare turmas , et frementem
Mittere equum medios per ignes *e*).
Sic tauriformis *f*) volvitur Aufidus ,
Qui regna Dauni *g*) praefluit *h*) Appuli ,
Quum saevit , horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris :
Ut barbarorum *i*) Claudius agmina
Ferrata *k*) vasto diruit impetu ;
Primosque et extremos metendo *l*)
Stravit *m*) humum sine clade *n*) victor;

debellaret, pectora devoti, id est, homines, qui se devoverat morti liberae, hoc est, qui voverant, deliberatum habebant, potius mori retinendo libertatem, quam illa perdita, vivere; hostes, qui se morti devovisse videbantur, modo ea esset libera, modo ne servirent.

a) Vexat, agitat. *b*) Ventus meridionalis, et saevus. *c*) Pleiades sunt stellae 7. inter Arietem, et Taurum; alia voce Vergiliae dicuntur, et Atlantides. Ita dispositae sunt in orbem, ut choream agitare videantur. Procellas autem et imbres terris important, cum oriuntur, et occidunt: hinc nubes ab illis dicuntur scindi, et rumpi, cum nempe in pluvias solvuntur. *d*) Est Hellenismus, pro impiger, strenuus, in vexandis hostium turmis. De Cl. Tiberio Nerone loquitur. *e*) Quos hostes in Romanos iaculabantur: pugnabant enim saepe telis igne armatis ac missilibus. *f*) Comparantur tauris flumina, ob impetum et quasi mugitum fluctuum: itaque cum taurinis cornibus pinguntur; forte quia olim Achelous sub tauri forma cum Hercule pugnavit. *g*) Apuliae partem unam, in qua regnavit Daunus: altera pars Peucetia dicitur. Supra Od. 4. *h*) Id est, praeterfluit. *i*) Est altera pars comparationis: sic volvitur Aufidus, ut Claudius Tiberius Nero Barbaros diruit, etc. *k*) Quibus erat lorica, et galea e ferro. *l*) Trucidando. Sic Virg. *Proxima quaeque metit gladio*. *m*) Hostium cadaveribus texit.

Te copias, te consilium, et tuos *o*)
Praebente Divos. Nam tibi *p*), quo die *q*)
Portus Alexandria supplex,
Et vacuam *a*) patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio *b*)
Belli secundos reddidit exitus *c*),
Laudemque *d*), et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.
Te Cantaber *e*) non ante *f*) domabilis,
Medusque *g*), et Indus *h*), te profugus Scythes *i*):

n) Suorum militum : impune. *o*) Auxilium Deorum tibi faventium praebentem. Imperatores Legatis suis Deos praebere dicebantur ; quia bellum non gerebatur auspiciis Legati, sed Imperatoris, seu Ducis, absentis. *p*) Probat rem a Tiberio bene gestam auspiciis Augusti, et numine Deorum illis faventium ; quia eodem die, quo ante annos 15. ingressus erat Augustus Alexandriam, victis Antonio et Cleopatra, eodem Tiberius felici bello Rhoetos profligavit ; adeo ut iidem Dii huic duplici victoriae praefuisse merito viderentur. *q*) Anno U. C. 723. pridie Kal. Sept.

a) Mortuo Antonio, victa Cleopatra. *b*) Anno post decimo quinto, id est U. C. 738. Lustrum, est spatium annorum quinque : quo spatio exacto, Censores lustrabant, et recensebant Urbem. *c*) Quasi eadem et condicta die repraehesentat Tiberio, atque ideo tibi, victoriam de Rhoetis. *d*) Et arrogavit, id est, attribuit, adscripsit, concessit, laudem, et optatum decus, hoc est victoriam, triumphum, imperiis peractis, id est, Tiberio, qui tua imperia et iussa feliciter pegerat : vel, fortuna concessit Tiberio optatum decus, qui bellis gravissimis dux ab Augusto constitutus, et a militibus imperator de more appellatus, tandem summum triumphi honorem adeptus est. Imperia enim eo sensu possunt accipi, nempe pro bellis summo cum imperio administratis. *e*) Hispaniae populus. Vide Oden 8. l. 2. et 2. Indicem Odarum, ad annum 728. Eamdem sub Augusto felicitatem publicam praedicat, Ode 4. huius libri. *f*) Quia nullo ante Caesarem, vinci potuerat. *g*) Parthi ; quorum rex Phraates romana signa, Crasso quondam erepta, Augusto reddiderat, anno U.C. 734. *h*) Porus, Indorum rex, Augusti et Romanorum amicitiam, pacemque per legatos expetierat, anno U.C. 734. *i*) Populus

Miratur, o tutela praesens
Italiae, dominaeque Romae:
Te fontium qui celat origines
Nilusque *k*), et Ister, te rapidus Tigris *l*)
Te belluosus *a*) qui remotis
Obstrepit *b*) Oceanus Brittannis *c*):
Te non paventis funera Galliae *d*),
Duraeque tellus audit *e*) Iberiae *f*);
Te caede gaudentes Sicambri *g*)
Compositis *h*) venerantur armis.

Europae septemtrionalis incola. Scythae, Daci, Sarmatae, Geloni, aliique multi populi barbari, partim Augusti armis fuerant domiti, partim legatos illi miserant de pace. Profugos vocat Scythas, id est, errabundos. *k*) Fontes. Nili diu ignoti fuerunt, et adhuc forte latent. Alio nomine Danubius. maximus est Germaniae fluvius, ab occidente in ortum fluens; erat Augusti tempestate, septentrionalis limes romani imperii. *l*) Armeniae fluvius, ab celeritate sic dictus.

a) Belluis, id est, balenis, et aliis id genus monstris, scatens. *b*) Alluit cum strepitu. *c*) Angli ultro ad Augustum legatos, misere, qui eius in fide et potestate futuram Britanniam promitterent. Remoti appellantur; quia orbem oceano Britannico finiri a septemtrione veteres putabant. *d*) Galli ab omni aevo periculi et necis contemptores fuere. *e*) Veneratur paret. *f*) Hispaniae, sic dictae ab Ibero flumine. Duram vocat, id est, patientem laboris, vinci difficilem. *g*) Germaniae populi, ad Rheni ostia. Illi Augusti in Galliam adventu, et virtutis eius fama territi, arma posuere, et pacis leges ab eo accepere. Vide 2. Indicem Odarum. *h*) Simul et uno consensu abiectis; vel, uno in loco positis,

ODE XIII. *Augusti pacifici laudes.*

Phoebus volentem proelia me loqui ,
Victas et urbes , increpuit *i*) lyra ,
Ne parva *k*) Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua , Caesar , aetas
Fruges et agris rettulit uberes ;
Et signa nostro restituit Iovi *l*) ,
Direpta *m*) Parthorum superbis
Postibus *n*) : vacuum duellis *o*)
Ianum *p*) Quirini clausit : et ordinem *q*)
Rectum , et vaganti fraena licentiae
Iniecit , amovitque *a*) culpas ,
Et veteres revocavit artes *b*) ,

tranquillis et feriatis. *i*) Leviter percutiendo me lira , monuit ne etc. *k*) Ne res meis viribus impares aggrederer ; ne , instar nautae , qui exigua scapha procelloso mari, quale est Tirrhenum seu Tuscum , se committeret , praelia , triumphosque , Caesar , tuos canerem ; sed potius ea , quae pace confecisti , felicitatem , quam tua aetas omnibus attulit , etc. *l*) Capitolino ; cuius in templo vexilla haec reposuit Caesar. *m*) Detracta. Vide Indicem Odarum Chronologicum , ad an. 731. *n*) Templis. *o*) Bellis : quasi bella in eo templo habitarent ; quibus pulsis pax succederet. *p*) Erant multa Iani templa Romae ; unum in primis , quod Ianum Quirini , seu Romuli , vocabant , a Romulo aedificatum , quod flagrante bello apertum erat ; confecto , clausum. Illud bis Augustus , pace ubique constituta clausit. *q*) Mores in deterius lapsos , et ab recta virtutis via velut aberrantes emendavit : ordinemque rectum rebus omnibus induxit ; cumque licentiae , velut fraenum , iniecit. Legit Lambinus , *evaganti* , et explicat , extra vaganti : licentiae , extra ordinem rectum vaganti , ordinem non servanti.

a) Expulit. Sic Virgil. 6. Aeneid. *Arma omnia tectis emovet* : id est, subducit, aufert. *b*) Frugalitatem, Iustitiam, Fi-

Per quas Latinum nomen, et Italae
Crevere vires, famaque, et imperi *c*)
Porrecta *d*) maiestas ad ortum *e*)
Solis ab Hesperio cubili, *f*)
Custode rerum *g*) Caesare, non furor
Civilis, aut vis eximet *h*) otium:
Non ira, quae procudit *i*) enses,
Et miseras inimicat *k*) urbes:
Non qui *l*) profundum Danubium bibunt,
Edicta *m*) rumpent Iulia: non Getae *n*),
Non seres *o*), infidive *p*) Persae,
Non Tanaim *q*) prope flumen orti.
Nosque et profestis *r*) lucibus et sacris,
Inter *s*) iocosi munera Liberi,
Cum prole, matronisque nostris,
Rite deos prius *t*) apprecati,
Virtute functos *u*) more patrum, duces,

dem. *c*) Pro, Imperii. *d*) Producta, amplificata. *e*) Ab occidente, usque ad orientem, orbe toto. *f*) Sol enim occidens videtur dormitum consedere in oceanum Hesperium, id est, Hispanum, sive Atlanticum; ab Hespero, stella serotina, aut ab Hespero Atlantis fratre, sic appellatum. *g*) Orbis terrarum. *h*) Tollet, perturbabit. *i*) Fabricatur. *k*) Reddit invicem inimicas. *l*) Germani, Daci etc. Porro iste fluvius, prope fontem, Danubius vocatur: medio in cursu, usque ad ostia, Ister appellatur. *m*) Leges ab Augusto latas. Augustus appellatus etiam est Iulius; quia in nomen, et familiam C. Iulii Caesaris adoptione transierat. *n*) Populi feroces in Scythia Europaea, prope Thraciam; Daci etiam dicti. *o*) Populus orientalis, prope Indiam. *p*) Quia Crassum, per simulationem pacis, et colloquii deceptum, peremerant. *q*) Dividit Tanais Europam, et Asiam: circa illum habitant Scythae, et Tartari, qui minores, sive Precopenses, appellantur. *r*) Diebus non sacris, qui festos praecedunt. *s*) Inter vina. *t*) In secundis mensis Deos precabantur, libabant vina, etc. Vide Od. 4. huius libri. *u*) Cum gloria, et virtute mortuos: vel virtutis officio probe functos.

Lydis *a*) remisto carmine tibiis,
Troiamque, et Anchisem, et almae
Progeniem Veneris *b*) canemus.

Q. HORATII FLACCI EPODON *c*)

LIBER.

EPODON I. *Offert se Moecenati ad bellum Actiacum profecturo.*

Ibis *d*) Liburnis *e*) inter alta navium *f*)
Amice, propugnacula,
Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Moecenas, tuo?

a) Miscentes iterum atque iterum hymnos et carmina cum tibiis Lydis: alternis canentes, nunc voce, nunc tibia. Tibiae Lydae, seu Lydiae, quaenam sint, vide Oden 14. l. 3. et octavam libri Epodon. Quidam suspicantur Lydias easdem esse, ac Phrygias, ob vicinitatem utriusque regionis. *b*) Iulium Caesarem, Augustum, Tiberium, Neronem, Drusum, etc. qui omnes, per Aeneam, a Venere originem ducebant. c) Est genitivus pluralis, a voce, Epode, sive Epodus: sic vocatus versus minor, qui maiori subiungitur, et quasi supercanitur, id quod Graeca vox sonat: ita ut sententia non sit absoluta in maiori versu, sed minori finiatur, quasi clausula. Hinc nomen huic libro factum, ut liber Epodorum, sive Epodon, diceretur; quia primae illius Odae constant alternis eiusmodi versibus brevioribus. *d*) Ergone, o Moecenas, iturus est ad bellum, et exiguis navibus cum vastis illis Antonii navigiis pugnaturus? *e*) Subaudi, navibus. Naves Liburnae erant naves celeriores, et ad cursum expeditae; a Liburnis, Illyrici populis, aut inventae, aut plurimum usurpatae. *f*) Tales vocat Antonii naves, quae ut ait Florus lib. 4. c. 11. turribus, et tabulatis allevatae, castellorum, et urbium specie, non sine gemitu maris, et labore ven-

Quid nos *g*)? quibus te vita sit superstite
Iucunda; si contra *h*), gravis?
Utrumque *a*) iussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc *b*) laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus: et te vel per Alpium *c*) iuga,
Inhospitalem et Caucasum *d*)
Vel occidentis usque ad ultimum sinum *e*),
Forti sequemur pectore:
Roges *f*) tuum laborem quid iuvem meo,
Imbellis ac firmus parum?
Comes *g*) minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet.
Ut assidens *h*) implumibus pullis avis
Serpentium allapsus timet
Magis relictis; non, ut adsit *i*), auxili
Latura plus praesentibus.

torum ferebantur. *g*) Subaudi, faciemus: vel refere ad ea quae sequuntur, quid nos? utrum ne otium persequemur? *h*) Si tu superstes non sis.

a) An lentus hic, et otiosus manebo, ut iubes? *b*) Ordo est: an laturi, sumus hunc belli laborem, ea mente, qua ferre illum debet vir minime timidus? Videtur iocari; parum enim fortis habebatur. Statim respondet. Nos vero illum feremus, etc. *c*) Alpes Galliam ab Italia dirimunt. *d*) Est mons Scythiae; vocatur *inhospitalis*, id est non habitabilis, nempe ob glaciem, et nives, etc. *e*) Sinus est pars maris, in terras medias excurrens: hic significatur Hispaniae litus, vel Africae, circa montem Atlantem, quo terras finiri putabant Romani; neque enim alias ultra norant. *f*) Forsan a me petes, cui tibi sim usui futurus, etc. Respondet: Equidem te parum iuvabo praesens; at minus tibi timebo. *g*) Si te comiter. *h*) Ordo est: quemadmodum avis, quae pullis incubat, timet illa quidem allapsus et incursiones serpentium: at eos tamen magis timet, relictis pullis, et absens; sic ego etc. *i*) Quamquam sit praesens: licet incu-

Libenter hoc, et omne militabitur *k*)
Bellum, in tuae *l*) spem gratiae:
Non ut iuvencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis;
Pecusve Calabris *m*) ante sidus fervidum,
Lucana mutet pascua:
Nec *a*) ut superni *b*) villa candens *c*) Tusculi
Circaea tangat moenia.
Satis superque me benignitas tua
Ditavit: haud paravero *d*),
Quod aut, avarus ut Chremes *e*), terrâ premam *f*),
Discinctus *g*) aut perdam ut nepos *h*).

bet nido. *k*) A me. *l*) Tuae erga me benevolentiae retinendae et augendae studio: non praemii aut mercedis consequendae spe ductus. *m*) Calabria est Italiae regio, magis vergens in orientem et meridiem, quam Lucania; solebant autem viri divites, gregum pascua mutare, et aliis uti hibernis, alii aestivis. Non ut mei greges transeant, ante aestatem, a Lucanis pascuis in Calabria: per sidus enim fervidum intelligit Caniculam; quae, cum oritur, magnos calores affert.

a) Non militabo hoc bellum, ut villam in agro Tusculano possideam, quae extendatur et continuetur usque ad moenia ipsius urbis Tusculi. Vocat Tusculum Circaeum; quia fuit aedificatum a Telegono Circes et Ulyssis filio: quam Urbem alibi vocat eam ob rem Telegoni iuga paricidae. Circae moenia possunt exponi de Urbe in ora maris Tyrrheni posita, quam Circeios appellabant, a Circe condita. *b*) In colle siti. *c*) Candido et nitenti lapide structa. *d*) Non eas opes mihi quaeram anxie et parabo. *e*) Senex avarus, ab Terentio saepe inductus in scenam. *f*) Defodiam, abdam. *g*) Dissolutus, ganeo. Solebant antiqui zona vestem colligere et praecingere, ut ad agendum essent expediti: quod qui omittebant, aut negligentius faciebant, si suspicione inertiae laborabant. *h*) Significat ea vox aliquando libidinosum hominem et prodigum: quia pueri patre mortuo, cum in avi tutelam veniunt, evadunt dissoluti: sunt enim avi patribus indulgentiores, et a pueris metu paterno solutis facile con-

EPODON II. *Alphius foenerator, quasi artis suae pertaesus, laudat vitam rusticam, mox tamen ad ingenium, et institutum redit.*

Beatus ille, qui procul negotiis
Ut prisca gens mortalium,
Paterna *i*) rura bobus exercet suis,
Solutus *k*) omni foenore.
Neque excitatur classico *l*) miles truci:
Neque horret iratum mare;
Forumque vitat *m*), et superba civium
Potentiorum limina *n*):
Ergo aut adulta *a*) vitium propagine
Altas marita *b*) populos:
Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores *c*) inserit:
Aut in reducta *d*) valle mugentium
Prospectat *e*) errantes *f*) greges;

temnuntur. *i*) Avita non pretio conducta etc. *k*) Qui nec usuram pro mutua pecunia exigit ab alio, nec eam cuiquam debet: qui neque dat foenori, neque accipit: in quorum altero summa invidia est in altero summa miseria. *l*) Buccinarum ad arma vocantium sono, et signo. Classis exercitum significat aliquando, tum navalem, tum etiam terrestrem. *m*) Et litibus caret. *n*) Quae a parasitis et adulatoribus teri solent. Non captat favorem divitum et nobilium, eos adeundo, salutando etc.

a) Ramos vitium iam grandiores adiungit et sociat arboribus altis, a quibus sustineantur. Propago, est proprie vitis vetulae palmes, qui pangitur, id est, figitur et immittitur in scrobem, et actis radicibus aliam vitem producit novam ac recentem. *b*) Ulmi, populi, et aliae arbores cum vitem iuvant et sustinent, fiunt quasi foecundae illius fructibus, quae per se sunt steriles. *c*) Fertiliores ex arbore meliori decisos. *d*) Semota, disiuncta. *e*) Procul spectat. *f*) Pa-

Aut pressa *g*) puris *h*) mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas *i*) oves ,
Vel, quum decorum *k*) mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit
Ut gaudet *l*) insitiva *m*) decerpens pyra ,
Certantem et uvam purpurae *n*),
Qua muneretur *o*) te , Priape *p*), et te , pater
Sylvane , tutor finium *q*) !
Libet iacere , modo sub antiqua ilice ,
Modo in tenaci *r*) gramine.
Labuntur altis interim *s*) ripis aquae :
Queruntur *t*) in silvis aves ;
Fontesque lymphis obstrepunt *u*) manantibus:
Somnos quod invitet leves.
At, cum tonantis *a*) annus hybernus *b*) Iovis *c*)
Imbres , nivesque comparat *d*) :
Aut trudit acres hinc et hinc multo cane
Apros in obstantes plagas *e*) :

scentes. *g*) E favis expressa. *h*) Purgatis , sinceris. *i*) Oves multis sunt morbis obnoxiae , quia ingravescunt , nisi tempestive tondeantur. *k*) Maturis fructibus quasi coronatum ; sic enim pingebatur. *l*) Quanta , voluptate afficitur ! *m*) Ex insitione nata , adeoque gratiora , quam quae sua sponte nascuntur ; quod videantur esse praemia et fructus laboris atque industriae. *n*) Est in dandi casu : uvam de colore contendentem cum purpura. *o*) Quam tibi , pro munere , offerat. *p*) Erat Priapus hortorum Deus ; Silvanus vero , agrorum et silvarum. *q*) Limitum , quibus agri finiuntur , et ab aliis separantur. *r*) Quia multis fibris et radicibus terrae firmiter. *s*) Dum ipse iacet sub arbore , aut in gramine. *t*) Canunt. *u*) Strepitum edunt , eorum aquis leniter fluentibus : quae res , qui strepitus , somnos molles et lenes inducit , affert.

a) Procellosi. *b*) Hyems , tempestas hyberna. *c*) Acris. *d*) Adducit , colligit. *e*) Retia densiora ; maculis arctioribus di-

Aut amite *f*) levi rara *g*) tendit retia ,
Turdis edacibus dolos ,
Pavidumque leporem , et advenam *h*) laqueo gruem ,
Iucunda captat praemia *i*)
Quis non *k*) malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur ?
Quod si pudica mulier in partem *l*) iuvet
Domum , atque dulces liberos ,
(Sabina qualis , aut perusta solibus *m*)
Pernicis *n*) uxor Appuli)
Sacrum *o*) vetustis extruat lignis focum ,
Lassi sub adventum *p*) viri ;
Claudensque textis cratibus *q*) laetum pecus ,
Distenta *r*) siccet *s*) ubera :
Et horna *t*) dulci vina promens dolio ,
Dapes inemptas *u*) apparet :
Non me *x*) Lucrina *y*) iuverint conchylia ,

stincta. *f*) Est ames, furca, quaedam, bacillum teres et politum, quo retia sustinentur. *g*) Laxioribus foraminibus texta. *h*) Quae ex alia regione, nempe frigidiori, in calidiorem Italiae partem advenit: peregrinam, transmarinam. *i*) Appositio qui turdi, lepores, grues, sunt dulcia laboris et aucupii praemia. *k*) Quis inter istas occupationes, non obliviscatur facile malarum curarum, quas amor habet? *l*) Pro sua parte : haec est autem pars et cura mulieris, ut rem domesticam procuret interim dum viri laborat foris, *m*) Nigra, ob sudorem collectum ruri, dum opus facit subdio. *n*) Velocis, agilis, strenui. Laudat porro Sabinas, et Apulas mulieres, quia erant in primis laboriosae et sedulae. *o*) Vestae sacrum, vel Diis Penatibus, quorum statuae circa focum erant positae. *p*) Paulo antequam vir domum fatigatus redeat. *q*) E vimine, septis vimineis. *r*) Plena. *s*) Mulgeat. *t*) Eiusdem anni. *u*) Natas domi, non comparatas pecunia. *x*) Ordo est; non magis me iuverint, me delectaverint, non mihi profecto erunt gratiora conchylia, id est, pisces conchis inclusi: ut ostrea, etc. *y*) Id est, capta in lacu Lucrino, qui est in sinu Baiano, contra Puteolos, prope lacum Avernum.

Magisve rhombus *a*), aut scari,
Si quos *b*) Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.
Non Afra avis *c*) descendat in ventrem meum,
Non attagen *d*) Ionicus *e*)
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi *f*) prata amantis; et gravi *g*)
Malvae salubres corpori.
Vel agna festis caesa Terminalibus *h*),
Vel hoedus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut iuvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum *i*) boves
Collo trahentes languido,
Positosque vernas *k*), ditis examen *l*) domus,
Circum *m*) renidentes Lares!

a) Piscis latus; et magni tunc pretii; ut et scarus. *b*) Si quos scaros hyems, id est, aliqua procella, *intonata* id est, cum tonitru, ingruens fluctibus Eois hoc est; orientali pelago, *vertat*, impellat, et recipere se ad mare italum cogat. Nempe scarus, in Asiae, Graeciaeque litoribus. (Columella teste l. 8.) frequentissimus erat; nec inde in mare Tyrrhenum subibat, nisi tempestate propulsus. *c*) Gallina Numidica. *d*) Quidam gallinam silvestrem Asiaticam, alii, perdicem esse volunt. *e*) Et Ionia, Asiae provincia advectus. *f*) Lapathum, sive rumex, salubris herba. *g*) Distento: alvo pigrae et moranti. *h*) Erant Terminalia, festa Dei Termini, qui limitibus agrorum praesidebat; celebrabantur IX. Kal. Martias. *i*) Supinum. *k*) Servos domi natos: *Positos* accumbentes ad mensam vel assidentes foco: aut ministrantes. *l*) Turbam. *m*) Circa domum nitentem et mundam: vel, circa focum, ubi erant Lares. Erat focus in media culina; et circa focum erant statuae Deorum Penatium; quas nitidas, id est, tersas et probe cultas vocat: circa focum autem rustici ordini positi vesci so-

Haec ubi loquutus foenerator Alphius ,
  Iam iam futurus rusticus ;
Omnem relegit *n*) Idibus *o*) pecuniam ,
  Quaerit *p*) Calendis ponere.

EPODON III. *Allium detestatur, quod imprudens, cum apud Moecenatem coenaret, gustaverat.*

PArentis olim si quis impia manu
  Senile guttur fregerit ,
Edat *a*) cicutis allium nocentius.
  O dura messorum *b*) ilia !
Quid hoc *c*) venenum saevit in praecordiis ?
  Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit *d*) ? an malas
  Canidia *e*) tractavit *f*) dapes ?
Ut *g*) Argonautas *h*) praeter omnes candidum

lebant. *n*) Collegit a debitoribus, apud quos eam magno foenore collocaverat; ut scilicet agros et rusticam supellectilem compararet. Legitur etiam: *redegit*. *o*) Idibus, et Kalendis, id est primo et medio mense, pecuniam colligere solebant a debitoribus. *p*) Ostendit quam brevi poenituerit hominem boni consilii: qui, pauculis diebus interiectis, sententiam mutaverit, et quaesierit Kalendis, sive initio sequentis mensis, ponere, hoc est, rursum locare foenori, redactam ante dies quindecim, nempe Idibus, pecuniam.

a) Cicuta est herba frigidissimi succi, adeoque pestiferi. Legunt aliqui, *edit*, pro *edat*; antique, ut *dim*, pro, *dem*. *b*) Qui tali cibo vescantur impune. *c*) Quid hoc veneni est, quod genus veneni, quod male me habet, et mea torquet viscera? Quasi allium venenum esset. *d*) Latuit, fugit. *e*) Venefica. *f*) Ut illis aspergeret virus. *g*) Postquam. *h*) Erant illi viri fortissimi Iason, Hercules, Theseus etc. qui ut vellus aureum exportarent e Colchide, navim Argo, a qua nomen traxere conscenderunt. Dux totius expeditionis erat Iason; qui ab avunculo suo Pelia, iuvenis gloriam aegre ferente, et ab eo sibi metuente, missus fuit in Colchidem, velut ibi periturus; Me-

Medea mirata est *i*) ducem ,
Ignota tauris *k*) illigaturum iuga *l*) ,
Perunxit hoc Iasonem :
Hoc *m*) delibutis ulta donis *n*) pellicem ,
Serpente fugit alite :
Nec tantus numquam siderum *a*) insedit vapor
Siticulosae Appuliae :
Nec munus *b*) humeris efficacis *c*) Herculis *d*)
Inarsit *e*) aestuosius.

deae tamen arte servatus est, *i*) Unum prae ceteris Argonautis amavit *k*) Aureum vellus a tauris duobus ignivomis servabatur; quos ut Iason domaret illum Medea certis herbis ac venenis perunxit: quae ut vim haberent maiorem et praesentiorem, addidit illis, ut ait Horatius, allium: est enim haec eius natura, ut venena efficaciora et certiora efficiat. Ita illius diritatem ostendit, sine quo etiam acerrima venena languidiora sunt. Est autem hic ordo; ut Medea mirata est candidum ducem, perunxit, illum hoc allio, illigaturum, id est, ut illigaret, ut imponeret, iuga tauris indomitis. *l*) Aratrum, quod numquam passi fuerant. *m*) Eadem Medea, pellicem Iasonis, nempe Creusam, sive, ut alii volunt, Glaucam, Creontis regis Corinthi filiam (quam, spreta Medea Iason amare occoeperat) ulta donis delibutis; id est, imbutis, tinctis hoc allio, fugit in curro tractu ab serpente alite, id est, ab alatis serpentibus, et avolavit. Non aliam ulciscendae pellicis rationem invenit; quam si mitteret ei vestes allio tinctas. *n*) Veste, corona, monilibus, quae Creontis filiae deferri Medea iusserat.

a) Aestus creatus a vaporibus, quos Sol et alia sidera colligunt e terra. Vapor idem saepe valet? quod calor. *b*) Palla, indusium. *c*) Laboriosi. *d*) Nessus Centaurus Deianiram, Herculis uxorem, abripere cum vellet, cum Hercules sagittis interemit; ille, ut ne inultus periret, vestem, suo sanguine; praesentissimi veneni erat instar, imbutam, Deianirae dat; quasi valeret hoc munus ad Herculis amorem. Ita Deianirae adiungendum, ut numquam aliam amaturus esset. Vix induerat pallam hanc Hercules, cum toto corpore deflagrare coepit; quo igne paulo post extinctus est. *e*) In humeris arsit.

EPODON IV. *Menam, Pompeii Magni libertum insectatur.*

LUpis et agnis quanta sortito *f*) obtigit
Tecum mihi discordia est.
Ibericis *g*) peruste *h*) funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna *i*) non mutat genus.
Videsne. Sacram metiente *a*) te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat *b*) huc et huc euntium
Liberrima indignatio *c*)?

f) Fatali necessitate; natura. Quippe certas propensiones animalia singula nascendo sortiuntur. Adde quod sors ponitur saepe pro fato, et certa rerum constitutione, quae a nobis non pendet. *g*) Quia spartum optimum, ex quo fiebant funes, ab Hispania petebatur: vel, quia Menas fuerat Ibericum mancipium. *h*) Qui latus habes perustum, concisum loris. Servi enim saepe vapulabant a dominis: iidem compedibus vincti opus ruri faciebant. *i*) Non facit fortuna felix, et potentium gratia, ut servus non fueris. Ille Menas, post obitum Pompeii Magni a quo donatus fuerat libertate, Pompeium illum sequutus est; mox ad Augustum belli civilis reliquias persequentem, defecit; a quo eques romanus, deinde militum Tribunus creatus est. Idem tamen postea, Octavio relicto, rediit ad Pompeium: quo tempore videtur haec Ode scripta. Consule 2. Indicem Odarum.

a) Ironice: incedente composito gradu per viam sacram, cum toga, cuius syrma, (id est, cauda) sex ulnas longum est. Sacra via ita dicta est, a maximo Romae templo, nempe Iovis Capitolini, quo ducebat: item a sacris supplicationibus, et triumphis qui per eam in Capitolium deducebantur. *b*) Ut cives huc et huc euntes, ultro citroque commeantes, in te ora convertant, et suam indignationem praeseferant, ac palam dicant: Sectus flagellis etc. *c*) Excitatur hic animi affectus in eos, quibus bene est imme-

Sectus flagellis hic Triumviralibus *d*),
  Praeconis *e*) ad fastidium,
Arat Falerni *f*) mille fundi iugera,
  Et Appiam *g*) mannis *h*) terit,
Sedilibusque *i*) magnus in primis eques,
  Othone contempto *k*), sedet.
Quid attinet *l*) tot ora navium *m*) gravi
  Rostrata duci pondere
Contra latrones, atque servilem manum,
  Hoc hoc Tribuno militum?

rentibus et indignis. *d*) Triumviri Capitales, tres erant iudices qui iudicia de servis et libertis exercebant: Praetor autem cognoscebat de criminibus civium alicuius nominis et loci. *e*) Cum aliquis publice poenam luebat, addebatur praeco, qui supplicii caussam ediceret, ceteros admoneret. Tam saepe aut Menas sectus flagellis publice fuerat, ut praeconem delassasset. *f*) Ubi vites, et segetes optimae, in campania Romana. *g*) Subaudi, viam, per quam in suum praedium Falernum itabat. Huic viae Appius (qui postea caecus est appellatus) nomen dedit, quod eam lapide stravisset. *h*) Equis parvulis, et velocibus. *i*) Amphitheatrum locus erat, in quo spectabantur ludi: eius pars theatro proxima, Orchestra dicebatur, et addicta Senatoribus erat: ordines 14. sive gradus inde retro, sepositi erant equitibus, eorumque duo primi Tribunis; quos inter Menas numerabatur. *k*) Quia L. Roscius Otho lege sanxerat, ne quis libertus, aut libertinus sederet in 14. primis ordinibus. Tamen Augustus Menam in equestrem ordinem cooptaverat, eique ius aureorum annulorum dederat: quod Horatius dissimulat; nisi forte haec scripserit, antequam ille hunc honorem adeptus esset. *l*) Quid convenit tot naves, rostris aereis instructas, tanta mole duci in latrones, et servos, (quos Sextus Pompeius, bellum, instaurans in Sicilia, contra Augustum armaverat) si hic, hic Menas, piratarum ac servorum princeps, Tribunus est militum, et unus e primariis ducibus exercitus? Fuerat Menas pirata, et servus. *m*) Proras, anteriores partes.

EPODON V. *Puer a Canidia dire interfectus.*

AT *a*) o Deorum quisquis in Caelo regis
  Terras . et humanum genus ,
Quid iste *b*) fert tumultus ? et quid omnium
  Vultus in unum me truces ?
Per liberos te *c*) , si vocata *d*) partubus *e*)
  Lucina veris affuit :
Per hoc inane purpurae decus *f*) precor ,
  Per improbaturum haec Iovem.
Quid ut noverca me intueris , aut uti
  Petita ferro *g*) bellua ?
Ut haec trementi questus ore constitit *h*)
  Insignibus raptis *i*) puer ,

a) Pueri voces. *At*, servit, iracundiae, et perturbationi significandae. Sic Priamus , ubi filium interemptum vidit , *At tibi pro scelere , exclamat etc.* Virg. l.2. Aen. O Dii, inquit puer, quicumque in Caelo estis, unde terras hominesque regitis, vos testor, vos appello. *b*) Quid sibi vult tumultus iste. Videt veneficas tumultuantes puer , et in se unum irruentes. *c*) Canidiam alloquitur, ut principem ceterarum : Oro te, pro tuo erga tuos liberos amore, ut alterius quoque liberis parcas. *d*) Si vere mater es : si quos filios aliquando peperisti. Iuno Lucina invocabatur a parturientibus. *e*) Legitimis , non adulterinis, et incestis : legitimi enim partus magis diliguntur. Adde quod veneficae illae saepe simulabant partum ; ut infantuli , quos ad veneficia domi enutriebant aliunde abreptos , ab iis editi putarentur : et ne Censores, aut vicini , requirerent unde essent illi pueri. *f*) Togam praetextam purpura significat , hoc est, limbo purpureo insignem ; quam pueri ferebant usque ad annum 17. quo sumebant virilem. Vocat inanem et inutilem , quia , quamvis esset nobilitatis, et innoxiae aetatis nota, imo et custos (ut ait Persius Sat. 5.) ipsum tamen a veneficarum immanitate non servasset. *g*) Percussa : ferae a venatoribus ictae saeviunt. *h*) In medio positus est. *i*) Toga praetexta ; et bulla detractis. Erat bulla , corculum quoddam, vel aliud quidpiam id genus , puerorum collo appendi solitum, ad dignitatem et amuletum. Bulla dicebatur ; quia figura cordis ad bullae similitudinem intumescit.

Impube corpus *a*), quale posset impia
Mollire Thracum *b*) pectora:
Canidia, brevibus implicata *c*) viperis
Crines, et incomptum caput,
Iubet sepulchris caprificos *d*) erutas,
Iubet cupressus funebres,
Et uncta *e*) turpis ova ranae sanguine,
Plumamque nocturnae strigis *f*),
Herbasque, quas Iolcos *g*) atque Iberia *h*)
Mittit, venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunae canis *i*),
Flammis *k*) aduri Colchicis,
At expedita *l*) Sagana *m*), per totam domum
Spargens Avernales aquas *n*),

a) Qui puer erat corpus impube, is est, qui nondum annos pubertatis, nempe 14 attigerat. *b*) Thraces feritatis nomine male audiebant. *c*) Habens crines implicatos viperis, ut Furia. *d*) Caprificus est ficus sylvestris et sterilis, numquam florens, numquam fructu maturescens, adeoque merito inter infelices arbores numerata. Haec ad veneficia et incantationes ut valeret, eruenda manu erat, non sceanda ferro; item e sepulchretis erat petenda. *e*) Ordo est; et ova stringis, uncta, delibuta, mersa, turpi sanguine ranae. Ranae illae rubetae, et terrestres erant, quae a veneficis maxime adhibebantur. *f*) Strix est avis nocturna et mali ominis, sic dicta: quod per tenebras strideat. *g*) Civitas Thessaliae. Erat autem omnis Thessalia sagis, et veneficiis infamis. *h*) Regio prope Pontum Euxinum, in Asia, non procul a Colchide. *i*) Salivae animalium ieiunorum, maxime canum, aiunt inesse virus quoddam, quo imbuatur, si quid ore tum attrectaverint. *k*) Flammis eo ritu paratis et accensis, quo magi solent, quo Medea solita olim erat, apud Colchos (ubi artem magicam exercebat) calefieri et simul concoqui. *l*) Agilis, accincta. *m*) Nomen sagae veneficae, comitis Canidiae. *n*) Petitas ex Averno, lacu Italiae, in Campania, per quem iter patere ad Inferos credebant, ob aquae graveolentiam; et cuius aquas placandis Inferorum Diis adeo putabant necessarias, ut si, deessent verae adhiberentur simulatae, et solo nomine Avernales. Vide Virg.

Horret *o*) capillis ut marinus asperis *p*)
Echinus, aut currens aper.
Abacta *a*) nulla Veia conscientia,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat *b*), ingemens *c*) laboribus:
Quo posset infossus puer
Longo die *d*) bis terve mutatae dapis
Inemori *e*) spectaculo;
Cum promineret *f*) ore, quantum extant aqua
Suspensa mento corpora:
Exsucta *g*) uti medulla, et aridum iecur,
Amoris esset poculum *h*):
Interminato *i*) quum semel fixe cibo
Intabuissent pupulae.
Non defuisse *k*) masculae *l*) libidinis

l. 4. Aen. *o*) Horrida est aspectu. *p*) Subrectis; ut echinus marinus, setas et pilos instar iaculorum erigit. Est et echinus terrestris, sed pilos obtusiores, quam marinus, habet: vulgoque Erinaceus vocatur.

a) Veia, alia venefica, nulla sceleris tanti diritate perculsa, et ab incoepto abacta, id est, deterrita. *b*) Ut scrobem faceret, in quam puer mento tenus immitteretur. *c*) Anhelans graviter, ob laborem, quem capiebat in humo egerenda. *d*) Per diem totum, quam longus est: toto die: qui sane longus famelico videbatur. *e*) Emori in spectaculo, in spectanda dape quae, bis, terque mutata; apponeretur illi ob oculos: ita tamen ut ea vesci, eam attingere, non posset. *f*) Extaret e fossa, quantum natantes ex aqua, qui mento tenus sub ea sunt, seque sic suspensos, et mento tenus extantes sustinent. *g*) Serviret conficiendo poculo, et veneficio ad amorem excitandum. *h*) Fame exsiccata. *i*) Vetito, prohibito; ab verbo, interminari, idest, vetare, interdicere. Ordo est; cum semel, id est, postquam pupulae, hoc est, pupillae, sive oculi, fixae cibo, defixae in cibo interdicto, contabuissent, postquam puer periisset fame, ac desiderio cibi saepius oblati, semper negati. *k*) Cum Canidia, Sagana, et Veia adfuisse. *l*) Supra morem foeminarum libidinosarum, ad flagitia audaciorem ipsis

Ariminensem *m*) Foliam
Et otiosa *n*) credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum;
Quae sidera excantata *o*) voce Thessala *p*),
Lunamque Caelo deripit *q*),
Hic *r*) irresectum *s*) saeva dente livido
Canidia rodens pollicem *t*)
Quid dixit, aut quid tacuit *a*)? O rebus *b*) meis
Non infideles arbitrae *c*),
Nox, et Diana *d*), quae silentium regis,
Arcana, *e*) quum fiunt sacra.
Nunc nunc adeste; nunc in hostiles domos *f*)
Iram, atque fulmen vertite.
Formidolosae *g*) dum latent sylvis ferae,
Dulci sopore languidae
Senem *h*) (quod omnes rideant) adulterum
Latrent Suburranae canes,

viris. Est autem hic genitivus proprietatis, ut aiunt: sic dicitur, homo summi ingenii etc. Folia nomen est veneficae: *m*) Oriundam Arimino, urbe Italiae, ad sinum Adriaticum, *Rimini*. *n*) Neapolitani otio delectari iactabantur. *o*) Certis incantationibus vexata et labefactata. *p*) Magica. *q*) Detrahit. *r*) Tunc. *s*) A longo tempore non sectum. *t*) Unguem pollicis.

a) Quid non dixit? *b*) Consiliis, veneficiis. *c*) Testes, consciae, Oratio Canidiae. *d*) Luna, quae silenti nocti praesides. *e*) Sacra magica significat, quae noctu fiunt. *f*) In Varum hostem meum, a quo spernor, qui mea veneficia et maleficia ridet securus, et potentiori venefica fretus. *g*) Formidandae. *h*) Sententia est. Facite ut Varum senem libidinosum, quod meritu omnes ridere debent, latrent canes Suburranae cum ad me properabit. Erat Suburra, vicus Romae, in quo mere-

Nardo *i*) perunctum ; quale *k*) nec perfectius
Meae laborarunt manus.
Quid accidit *l*) ? cur dira *m*) barbarae minus
Venena Medeae valent
Quibus *n*) superbam fugit ulta pellicem
Magni Creontis filiam ,
Quum palla *o*) tabo *p*) munus imbutum , novam
Incendio nuptam *q*) abstulit?
Atqui nec herba , nec latens in asperis *r*)
Radix fefellit me *a*) locis ,
Indormit *b*) unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Ah ! ah ! solutus *c*) ambulat veneficae
Scientiores carmine.

trices vulgo degebant. *i*) Unguento odorato delibutum confecto e Nardi succo. Nardus sive Nardum est arbuscula bene olens. Porro istas delicias sectari , turpe seni et merito ridendum. *k*) Quale Nardum. Sententia est : tali Nardo perunctam, quale nullum perfectius meae manus laborarunt. Sic idem Horatius scribit in Satyris : *animae „quales neque candidiores terra tulit , neque queis sit me devinctior alter* pro, animae, quibus, etc. vel , quales alias nullas, etc. *l*) Quid in caussa est cur veneficia quae hactenus in Varum adhibui , fuerint irrita ? *m*) Cur mea venena , similia venena et succis magicis, quibus olim usa est Medea, minus valent quum sperabam ? vim expectatam non habent ? vel, cur mea venena minus valent venenis Medeae? *n*) Vide Oden 3. huius libri. *o*) Vestis, longo syrmate. *p*) Veneno, succo magico. Tabum proprie est sanguis corruptus. *q*) Creusam ; quae , ubi vestem induit dono sibi a Medea datam , subitis et extingui nesciis ignibus deflagravit. *r*) Montibus inaccessis.

a) Latuit, praeterita et neglecta est. *b*) Sensus est : Varus dormit in cubilibus omnium aliarum pellicum, oblivione , unctis et circumlitis aliquo succo inducente et afferente illi oblivionem meretricum : ob carmen et incantationes alicuius veneficae potentioris , quam ipsa sim : Vel , dormit securus et tutus ab amoris omnium pellicum , utpote solutus alterius veneficae opera. *c*) Expeditus vinculis amoris : nullam amans

Non usitatis, Vare, potionibus *d*),
(O multa *e*) fleturum caput!)
Ad me recurres *f*): nec vocata *g*) mens tua
Marsis redibit vocibus.
Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti *h*) poculum;
Priusque Caelum sidet *i*) inferius mari;
Tellure *k*) porrecta super:
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub haec *l*) puer, iam non ut ante, mollibus
Lenire verbis impias;
Sed dubius *m*) unde rumperet silentium,
Misit Thyesteas *n*) preces.
Venena *o*), magnum fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.

me spernens. *d*) Nempe confectis e medulla et iecore huius pueri. *e*) Quam graves mihi poenas dabis? *f*) Canidiam olim amaverat. *g*) Neque ad mentem saniorem recipere te poteris, ac meum amorem excutere ullo carmine magico. Marsi artem magicam callere dicebantur: erant Italiae populi. Turnebus ita explicat; non adhibeo solemnes Marsorum incantationes, ut te vocem, ac redire ad me cogam: maius et potentius veneficium paro. *h*) Tibi, qui me aspernaris. *i*) Subsidet, descendet infra terras, ac mare. *k*) Ita ut terra super Caelum et mare porrigatur, attollatur; et ita omnia confundantur. *l*) Post hanc orationem Canidiae, cum iam esset defossus puer, coepit ille non iam lenibus verbis eas mollire etc. *m*) Incertus unde ordiretur; tam mu'ta occurrebant quae diceret; vel, adeo erat perturbatus et inops animi. *n*) Diras, plenas imprecationis et furoris: quales misit Thyestes, cum filium illi suum epulandum frater Atreus apposuisset. *o*) Venena, id est, magicae artes, valent quidem convertere, id est, pervertere et confundere, magnum fas et nefas, id est, aequum et iniquum, ius et iniuriam; possunt omnia efficere scelera: sed non valent convertere et mutare humanam vicem, id est, efficere ut id quod debetur hominibus; et iis pro virtutis et vitii praemio et vice rependendum est, ipsis non eveniat: non possunt facere ut malis male non sit, impedire quin impii, ea quae aliis in-

Diris *a*) agam vos : dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin , ubi perire iussus expiravero ,
Nocturnus occurram furor *b*):
Petamque vultus *c*) umbra curvis unguibus ,
Quae vis *d*) Deorum est Manium ;
Et inquietis *e*) assidens praecordiis ,
Pavore somnos auferam.
Vos turba *f*) vicatim hinc , et hinc saxis petens
Contundet obscoenas anus.
Post g) insepulta membra different *h*) lupi ,
Et Esquilinae alites *i*) :
Neque hoc parentes , heu *a*) mihi superstites !
Effugerit spectaculum

tulere mala ; vicissim ipsi patiantur ; hanc humanam vicem Horatius vocat. Vide l. 1. Ode 23. *Te maris et terrae etc.* ad haec verba *Vicesque superbae etc.* Ait igitur puer Canidiam et alias veneficas, miserabili morte , ut merentur , vicissim perituras.

a) Persequar vos nunc diris imprecationibus ; quae imprecationes vim suam obtinent , neque ullo sacrificio expiantur, id est impediuntur quominus valeant : putabant enim eam vim inesse eiusmodi imprecationibus , si vere et ex animo fuissent factae. Et post meam necem, ego ipse, tristis umbra, vos agitabo etc. *b*) Instar Furiae nocturnae, vobis occurram , vos vexabo. *c*) Involabo in ora vestra. *d*) Quod facere Dii manes possunt, nempe excitare et immittere ultrices umbras, ut illae sceleratos persequantur. Vel, quod facere mortui possunt. Manes saepe sumuntur pro animabus mortuorum , et vim quamdam Divinam habere credebantur , maxime ut eos exagitarent , a quibus interfecti forent. *e*) Et vestra praecordia vellicans , non secus ac ille additus Prometheo vultur. *f*) Populus. *Vicatim*, per singulos vicos. *g*) Postea, ad extremum, cum expiraveritis. *h*) Dissipabunt, huc illuc spargent membra vestra: insepultae iacebitis ; quae poena censebatur apud veteres esse maxima. *i*) Corvi, vultures ; quae aves convenire solebant in Esquilias unum e septem Romae montibus, in quo supplicium de facinorosis sumebatur, et ubi eorum iacebant cadavera.

a) Erunt quidem parentes mihi superstites : quo nihil eis gravius accidere potest (est enim grave parentibus, ipsos esse,

EPODON VI. *In Cassium Severum, oratorem maledicum.*

Quid immerentes hospites vexas, canis
Ignavus adversus lupos?
Quin huc *b*) inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsorum petis?
Nam qualis aut Molossus *c*), aut fulvus Lacon,
(Amica vis *d*) pastoribus),
Agam *e*) per altas aure sublata nives,
Quaecumque praecedet fera.
Tu, cum timenda voce complesti nemus,
Proiectum odoraris cibum *f*).
Cave, cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua *g*):
Qualis *h*) Lycambae spretus infido gener,
Aut acer *i*) hostis Bubalo.

liberis petentibus salvos et incolumes): sed hoc solatio dolorem suum lenient, quod vos insepultas, videbunt. *b*) Quin me, ut ceteros accusas, aut insectaris? De illo Cassio Severo; vide Tacit, 1. Annal. et 14. Plin. l. 35. c. 12. Quintil. lib. 10. *c*) Molossia regio est Epiri, Laconia, Peloponnesi: utraque bonis canibus abundans. *d*) Qui canes amici et optati sunt pastoribus. Vis canum, pro, canes: Virg. *Et odora canum vis*. Graeca locutio. *e*) Quaecumque fera praecedet, illam agam et sectabor etc. *f*) Munera significat; quibus Cassius corruptus saepe fuerat. *g*) Sumitur a tauris metaphora. Erecto sum capite, et ad pugnam semper instructo. *h*) Ordo est; sum talis in maledicos, qualis fuit Archilochus in socerum suum Lycamben. Gener (nempe Archilocus) spretus infido Lycambae, id est, ab infido Lycamba. Lycambes, cum Archilocho filiam suam despondisset, eam alteri collocavit. Quo facto, poeta Archilochus ita exarsit, ut carmina iambica longe amarissima scripserit in Lycamben: quod Lycambes adeo aegre tulit, ut laqueo sibi gulam fregerit. *i*) Hipponax poeta, cum a Bubalo pictore pictus ridiculum in morem fuisset, in eum distrinxit stylum, et hominem eo adegit, ut sibi manus violentas afferret.

An, si quis atro dente a) me petiverit,
  Inultus ut b) flebo puer?

EPODON VII. *Civile bellum, a Sexto Pompeio, Magni filio, instauratum, detestatur.*

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
  Aptantur enses conditi c)?
Parumne campis atque Neptuno super
  Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidae d) Carthaginis
  Romanus arces ureret:
Intactus e) aut Britannus ut descenderet f)
  Sacra catenatus via;
Sed ut, secundum g) vota Parthorum, sua
  Urbs haec periret dextera.
Neque hic h) lupis mos, nec fuit leonibus
  Unquam, nisi in dispar, feris.
Furorne caecus, an rapit vis acrior i)?
  An culpa k)? responsum date.

a) Maledicis versibus. b) Transpositio: an flebo ut inultus puer? c) In vaginas iam abditi, nempe confectis civilibus bellis duobus; primo, inter Caesarem et Pompeium; altero, inter Augustum et Brutum Cassiumque. Vide 2. Indicem Odarum. d) Quia Romae erat aemula. e) Nondum Romanorum armis domitus. Anglos quidem Caesar tentaverat: sed eos nullus ante Claudium imperatorem penitus, devicit. f) Pars viae sacrae prior, quae ad forum Romanum pertinebat, declivis erat ac prona: pars ea quae a foro ad Capitolium ferebat, supina et ardua. g) Ut maxime Parthi, Romanis semper infensi, cupiunt. h) Ordo et sensus est: neque lupis, neque leonibus feris, fuit usquam iste mos, nempe saeviendi, nisi in dispar, subaudi, genus: numquam saeviunt lupi in lupos etc. Vel, neque lupis, neque leonibus fuit iste mos, numquam feris nisi in dispar, id est, qui numquam feri crudelesque sunt, nisi in dispar animal, nisi in feras dissimiles; alterius naturae et speciei, lupi in oves, leonis in tauros etc. vos Cives Civibus necem intentatis. i) Fatalis quaedam necessitas. k) Cuius

Tacent : et ora pallor albus inficit ,
Mentesque perculsae stupent.
Sic est *l*) , acerba fata Romanos agunt *m*) ,
Scelusque fraternae necis :
Ut *a*) immerentis fluxit in terram Remi
Sacer *b*) nepotibus cruor.

EPODON VIII. *Victoriam Augusti de Antonio , et Cleopatra celebrat.*

QUando repostum *c*) Caecubum ad festas dapes ,
Victore laetus Caesare ,
Tecum sub alta (sic Iovi gratum) domo ,
Beate Moecenas , bibam ,
Sonante *d*) mistum tibiis carmen lyra ,
Hac *e*) Doriam *f*) , illis Barbarum ?
Ut nuper *g*) , actus cum freto *h*) Neptunius
Dux *i*) fugit ustis navibus ,

poena sit iste civilis furor. *l*) Caussam reiicit et in fata , et in caedem Remi cuius sceleris poenas Romani luant. *m*) Vexant ; ad civile bellum instaurandum impellunt.

a) Postquam. *b*) Exitialis, funestus. Remus a fratre Romulo interfectus est , et Roma fratricidio quasi dedicata. Vide Flor. l. 1. c. 1. *c*) Servatum in secretiore loco , et sepositum ad celebrandum diem aliquem festum genialibus epulis. *d*) Mixtis ad canendum cum lyra tibiis , ita tamen , ut in lyra pulsanda modus Dorius adhibeatur, in instandis tibiis, modus Phrygius. *e*) Lyra. *Illis*, tibiis. *f*) Dores habebant certam canendi rationem ; Phryges, quos Graeci Barbaros appellabant , suam etiam certam : Dorius modus erat gravior , et lentior ; Phrygius ex acuto, et gravi mixtus , ac proinde laetior paulo , et sonantior , temperatus tamen ; ita ut duae quae hic adhibentur Horatio tibiae, non obruant lyram , sed cum ea gravius lentiusque pulsata bello concinant. Praeter duos illos modos, tertius erat Tyrius , sive Sarranus , plane acutus et vividus ; quo utebantur, cum res plus hilaritatis postulabat. Vide Oden 14. l. 3. *g*) Subaudi, tecum bibi, tecum epulatus sum. *h*) Pulsus mari Siculo. *i*) Sextus Pompeius , qui ab Augusto navali

Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
Servis *k*) amicus perfidis
Romanus *l*) (eheu! posteri negabitis)
Emancipatus foeminae,
Fert vallum *a*); et arma miles, et spadonibus *b*)
Servire rugosis potest!
Interque signa (turpe!) militaria,
Sol aspicit conopeum *c*).
Ad hunc *d*) frementes verterunt *e*) bis mille equos
Galli, canentes Caesarem *f*):

pugna victus, et oppressus est, in freto Siculo. Is Neptuni filium appellari se voluit; quia Pompeius magnus ipsius pater imperium maris tenuerat; vel quia ipse praeliis aliquot maritimis secundis usus fuerat. *k*) Pompeius filius exercitum e servis conflaverat. *l*) Redita ad Antonium. Ergone, inquit, miles Romanus (sub duce Antonius in eius Castris) emancipatus, quod idem est, ac mancipatus, id est, addictus; obnoxius, redactus in potestatem foeminae Cleopatrae, fert vallum etc. nam mancipium veteres dicebant ius ipsum dominumque, seu proprietatem rei: hinc mancipare, sive emancipare pro mancipio dare, in alterius manum ac potestatem tradere. Dici non incommode potest, hoc esse initium cantilenae, quam fidibus, ac tibia canendam paulo ante dixit.

a) Vallus est palus, seu stipes, quo utuntur ad munienda castra: vallum, est ipsa munitio. *b*) Eunuchis Cleopatrae comitibus, et administris. *c*) Muliebre tentorium, velum appensum lectulo, ad culices arcendos, quos conopas Graeci vocant: Hoc utebatur Cleopatra, et Aegyptiae vulgo mulieres. *d*) Contra Antonium. Sic Virg. 2. Aeneid. *Clypeosque ad tela sinistris protecti obiiciunt*, id est, adversus, contra tela. Vel; ad hunc Caesarem; id est, ad exercitum, et copias Caesaris, se suosque equos verterunt: Vel, *ad hunc frementes*: ad Antonii aspectum indignantes, et frementes, equos ad Caesarem verterunt. *e*) Converterunt frementes equos, nempe ab eo ad Caesarem transfugientes Duo millia Gallorum e pedestri Antonii exercitu, qui erat in littore ad Caesarem desciverunt; quae res maximum ad Augusti victoriam momentum attulit. Porro penultima in voce, *verterunt* corripitur. *f*) Caesaris nomen iterantes festis vocibus; ut solent, qui Regem ade-

Hostiliumque *g*) navium in portu latent
Puppes sinistrorsum citae *h*),
Io triumphe *i*); tu moraris aureos
Currus, et intactas boves *k*)?
Io triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem *a*):
Neque *b*) Africano, cui super Carthaginem
Virtus sepulchrum condidit.
Terra *c*) marique victus hostis, Punico *d*)
Lugubrae mutavit sagum;
Aut ille centum nobilem Cretam *e*) urbibus,
Ventis iturus non suis *f*),

unt, *Vivat Caesar*. *g*) Et in Actiaco portu latent puppes hostilium navium, sitae ad sinistram, idest, respicientes Aegyptum, quae est ad sinistram portus Actiaci: ut Italia ad dextram. Cleopatra, paulo antequam Antonius navalem pugnam committeret naves sexaginta, expeditam ad fugam ita composuerat post naves bellicas, ut puppes portum, prorae pelagus, et Aegyptum spectarent. *h*) Veloces, et expeditae ad fugam sinistro mari capiendam. *i*) Triumphum quasi personam alloquitur. Propera, Triumphe, expedi currus aureos, profer victimas: quid tamdiu retardas; et moraris tuos illos aureos currus etc.? Est caussa tibi iusta festinandi neque enim in bello Iugurthino parem Augusto imperatorem Romam revexisti, etc. *k*) Nondum aratro subditas iuvencas.

a) Nempe Marium, qui de Iugurtha triumphavit. Vid. Oden 4. l. 2. *b*) Neque ex Africano bello ducem parem Augusto reportasti; illum scilicet, cui virtus etc. Intelligit Africanum minorem: qui, eversa Carthagine, videtur in eius ruinis sepulchrum omni monumento gloriosius invenisse: Quod poetice dicitur hoc in loco: non enim obiit revera Scipio Carthagine, aut in eius ruinis sepultus est: sed Romae in maiorum sepulchro conditus: conveniat illud forte melius Africano maiori, qui domita Carthagine Roma pulsus, obiit in exilio. c) Terrestrem Antonii exercitum ducebat Canidius: is ad Caesarem, septimo post fugam Antonii die, defecit. *d*) Est hypallage: hostis victus mutavit puniceum, seu, purpureum et coccineum sagum, lugubri, nigro etc. deposuit militare paludamentum, vestem imperatoriam (quae coloris rubri erant, sive ad dignitatem, sive quia sic facilius agnoscebatur eminus) ut sumeret funestam et pullatam, qualis in luctu sumebatur. *e*) Insulam e regione maris Aegaei. *f*) Non faventibus, inimicis.

Exercitatas *g*) aut petit Syrtes *h*) Noto,
Aut fertur *i*) incerto mari:
Capaciores affer huc, puer, scyphos,
Et Chia *k*) vina, aut Lesbia;
Vel quod *l*) fluentem nauseam coerceat,
Metire nobis caecubum.
Curam *m*) metumque Caesaris rerum iuvat
Dulci Lyaeo solvere.

EPODON IX. *Maevio Poetae tempestatem, ac naufragium imprecatur.*

MAla *n*) soluta navis exit *o*) alite,
Ferens olentem *p*) Mevium.
Ut horridis utrumque verberes latus, *a*)
Auster, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverso *b*) mari,
Fractosque remos differat *c*).
Insurgat Aquilo quantus *d*) altis montibus
Frangit trementes ilices.
Nec sidus atra nocte amicum appareat;
Qua tristis Orion *e*) cadit:
Quietiore nec feratur aequore,
Quam Graia *f*) victorum manus:

g) Vexatas. *h*) Littoris Lybici vada: de quibus, Vide I. 2. *i*) Errabundus. *k*) Ex insulis Chio, Lesbo, in Aegaeo mari. *l*) Vel, affer Caecubum, quod impediat nauseam; id est, vomitum, seu ciborum fastidium: quia nempe Caecubum erat acre vinum, et austerius. *m*) Quae nos antea sollicitos habuit, cum in metu essemus, ob incertum belli exitum, et Caesaris salutem fortunamque periculoso loco positam. *n*) Malis ominibus. *o*) E portu, solutis rudentibus. *p*) Foetidum, grave olentem.

a) Navis. *b*) Susque deque verso et agitato. *c*) Dissipet, iactet. *d*) Tam vehemens, quam esse solet, cum frangit ilices. *e*) Signum procellosum, de quo saepe antea. Vide Od. 1. I. 3. *f*) Graeci, cum e bello Troiano victores patriam repeterent,

Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio *g*)
In impiam *h*) Aiacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis,
Tibique pallor luteus *i*)
Et illa non virilis *k*) eiulatio,
Preces et aversum *l*) ad Iovem
Ionius *m*) udo cum remugiens sinus
Noto carinam ruperit!
Opima *n*) quod si praeda, curvo littore
Porrecta, mergos iuveris,
Libidinosus immolabitur caper,
Et agna tempestatibus.

EPODON X. *Ad amicos, ut per hyemem genio indulgeant.*

Horrida tempestas Caelum contraxit *a*), et imbres,

saeva tempestate iactati sunt, prope Euboeam insulam, ac praeter ceteros, Aiax Oilei filius: quem Pallas fulmine percussit, irata quod in suo templo Cassandram ille temerasset. *g*) Irata erat Troianis, ob iudicium Paridis: itaque, Troia deleta, ulcisci Aiacem cogitavit, cui privatim erat infensa, licet universe Graecis faveret contra Troianos. Reliquias irae qua exarserat in Troiam, convertit in Aiacem: De illo vide Od. 13. l. 4. *h*) Pro, impii Aiacis ratem. *i*) Flavus, flavos efficiens. *k*) Foeminea: ignavi gemitus, quos media in tempestate mittes. *l*) Tibi infensum, non auditurum. *m*) Mare ionium alluit Graeciam ab occasu; inter Siciliam, et Cretam. Sinus Noto remugiens, id est, mare procellosum, et a ventis agitatum. *n*) Quod si eveniat ut naufragio per eas, et cadaver tuum, in littore porrectum, mergis et piscibus opima, et lauta praeda fiat, ego caprum foetidum, ac simile tibi animal, bonis tempestatibus, pro re tam feliciter gesta, mactabo. Mergi sunt aves quaedam marinae.

a) Frigus omnia contrahit, ac deformat. Ita de apibus Virgilius, *Contracto frigore pigrae*. Nubes igitur, et aer den-

Nivesque deducunt *b)* Iovem:
Nunc mare, nunc silvae *c)*
Threicio Aquilone sonant. Rapiamus, amici,
Occasionem *d)* de die *e)*:
Dumque virent genua *f)*,
Et decet, obducta solvatur fronte senectus *g)*,
Tu *h)* vina Torquato move *i)*
Consule *k)* pressa *l)* meo:
Cetera mitte *m)* loqui. Deus haec *n)* fortasse benigna
Reducet in sedem *o)* vice.
Nunc et Achaemenia *p)*
Perfundi nardo iuvat; et fide *q)* Cyllenea *r)*
Levare diris pectora
Sollicitudinibus:

santur, et quasi contrahuntur prae frigore. *b)* In terram trahunt. *Iovem*, aerem. Pluviae enim nihil aliud sunt, quam aer concretus, et contractus: qui, cum pluit, solvitur: densatur, et cogitur, cum ningit, etc. *c)* Trisyllabum est hoc in versu, et Anapoestum facit. *d)* Comessandi. *e)* Hoc ipso die oblatam; luce palam rapiamus, et ipsi diei extorqueamus. *f)* Dum valetudo, et aetas iuvenilis favet. Aegrotis, et senibus tremunt, ac labant genua: stant vigentque valentibus. *g)* Pro moerore, et tristitia hic sumitur, ut saepe: Sic Persius Sat. 1. *En pallor seniumque*. Sententia est; frontem explicemus, removeamus tristitiam obducta fronte, id est, quae habet frontem obductam, tectam, et nube ac tenebris velut involutam. Vel, solvamus et removeamus tristitiam a fronte, quam obducit, id est, tegit, frontem exporrigamus. *h)* Unum aliquem ex amicis compellat. *i)* Depripe ex horreo, vel apotheca. *k)* Sub quo nempe sum natus, anno U. C. 689. Vide Horatii vitam, in libri hujus fronte positam. *l)* Expressa ex uvis, fusa in amphoras. *m)* Omitte sermones molestos de aliis rebus, quam de vino et hilaritate. *n)* Damna Reipublicae. *o)* In pristinum statum. Loquitur de Republica: quae tum forte, cum haec scriberet, reliquiis bellorum civilium laborabat. *p)* Persica: Achaemenes rex Persarum fuit. *q)* Lyra. Fides, fidis, proprie est nervus, seu chorda lyrae. *r)* Mercuriali, quia invenit lyram, et eius primus artifex fuit Mercurius, in Cyllene, monte Arcadiae, natus.

Nobilis ut grandi cecinit Centaurus *a*) alumno *b*):
Invicte mortalis, Dea
Nate puer Thetide.
Te manet *c*) Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri *d*) flumina,
Lubricus et Simois;
Unde tibi reditum certo subtemine *e*) Parcae
Rupere: nec mater domum
Caerula *f*) te revehet.
Illic *g*) omne malum vino, cantuque levato
Deformis aegrimoniae
Dulcibus *h*) alloquiis.

a) Chiron, eius praeceptor et moderator. *b*) Achilli. *c*) Iturus es aliquando Troiam, in qua regnavit olim Assaracus. *d*) Troadis flumina. *e*) Certo filo, quod secare decreverunt, priusquam redeis. Proprie subtegmen, sive subtemen, est filum in tela, quod stamini, seu filis longioribus, hinc atque inde inseritur ope radii: hic usurpatur pro eo filo, quod e colu trahere finguntur Parcae. *f*) Thetis. *g*) Ad Troiam in castris. *h*) Est appositio: quod vinum, qui cantus, sunt dulcia alloquia, id est, solatia, deformis aegrimoniae, hoc est, tristium curarum. *Allocutio*, pro consolatione apud Latinos interdum sumitur: *alloqui*, pro consolari. Varro de teste, et Catullo. Vel, Illic omne malum, omne incommodum deformis aegrimoniae, levato cantu, vino, et dulcibus amicorum colloquiis.

EPODON XI. *Romanos hortatur, ut Romam, bellis civilibus semper aestuantem, relinquant, et in insulas Fortunatas commigrent.*

ALtera *i*) iam teritur *k*) bellis civilibus aetas;
Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque *l*) finitimi valuerant perdere Marsi *m*),
Minacis aut Etrusca Porsenae *a*) manus
Aemula *b*) nec virtus Capuae, nec Spartacus *c*) acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox *d*),

i) Prima civilium bellorum aetas dici post ea, quae Marium, Syllam etc. tulit: altera quae Pompeium, eius filios, et Antonium etc. Porro aetatem pro annorum circiter 30. spatio, posuit, ut vulgo vox ea sumitur, licet annos interdum plures paucioresve significet. *k*) Consumitur, traducitur. *l*) Pendet hoc a versu 9. Nos perdemus Romam, quam neque Marsi etc. *m*) Italiae populi fuere: qui cum ius civitatis sibi promissum obtinere non possent, adiunctis sibi finitimis Romae populis, bellum sociale, sive Marsicum, conflaverunt. Ode 10. lib. 13,

a) Porsena, rex Etruscorum, conabatur Tarquinium Superbum, eiectum Roma, restituere: verum Romanorum fortitudine, ac Mutii Scaevolae facto deterritus, incoepto destitit. Vide Flor. lib. 1. c. 10. *b*) Capua Urbs erat nobilissima in Campania Romana, Romae prope par. In eam, ipsa Roma capta et eversa, sedem imperii orbis terrarum transferre Hannibal meditabatur: qua spe Capuanos sibi mirifice devinxerat. *c*) Servile bellum movit. Lege Oden 10. lib. 3. *Hercules ritu etc.* *d*) Allobroges, populi Galliae, qui nunc Sabaudi et Delphinates vocantur, rebus novis et Catilinae favebant: itaque merito inter hostes gravissimos romanae Reip. numerantur: quamvis postea defecti Ciceronis vigilantia, cui coniurationem omnem ultro patefecerunt, relictis Catilinae partibus, in officio ac Reip. fide manserunt: unde infideles novis rebus dicuntur, quia fidem datam civibus, novarum rerum, id est, Reipublicae mutandae, aut potius, evertendae cupidis, non ser-

Nec fera caerulea : domuit Germania e) pube f),
Parentibusque g) abominatus h) Hannibal,
Impia perdemus devoti sanguinis aetas i) :
Ferisque rursus k) occupabitur solum.
Barbarus l), heu ! cineres insistet victor, et Urbem
Eques sonante verberabit ungula :
Quaeque m) carent ventis et solibus, ossa Quirini
(Nefas n) videre) dissipabit insolens.
Forte quid o) expediat, communiter aut melior pars
Malis carere quaeritis laboribus ?

varunt. e) Pene Romam deleverunt Cimbri et Teutones : eos Marius profligavit. f) Iuventute, militibus. Caeruleos fere, oculos habebant Germani, Tacito teste. g) Invisus, detestabilis. h) Quorum liberos tam multos interemit. i) Nos impii, et impio saeculo nati; quorum sanguis sacer ac devotus, id est, morti destinatus videtur esse, propter maiorum scelera. k) Tellurem hanc, ut ante Romam conditam, ferae habitabunt. l) Barbari, post victoriam de nobis partam, incensae Urbis cineres calcabunt. m) Et Romuli tumultum, tectum, et clausum, aperiet : cineres eius in ventos dividet. n) Quae ossa nefas est, id est, non licet videre. Religio erat, apud veteres, tumultos effodere, ossa scrutari et dissipare. Vel, quod spectaculum triste visu, ac nefarium erit. o) Forte quaeritis, o cives, communiter, id est, omnes universe, aut melior, seu, maior pars vestri, quid expediat, quid opus facto sit, carere, id est, ad carendum malis laboribus, ut careatis bellis civilibus ? Iste infinitivus a Graecis ita ponitur pro gerundio cum praepositione. Legunt aliqui : forte (quod expediat) communiter etc. et sic ordinant : forte quaeritis, et cupitis carere malis laboribus : quod quidem expediat, quod optimum est factu : quis enim remedium calamitati non quaerat ? Vel, quaeretis communiter et omnes simul (quod quidem expediret, ac optimum esset) aut, si id non potest, maior pars saltem quaeritis carere, etc.

Nulla sit hac potior sententia ; Phocaeorum *a*)
Velut profugit execrata *b*) civitas
Agros, atque Lares patrios, habitandaque fana *c*)
Apris reliquit, et rapacibus lupis;
Ire pedes *d*) quocumque ferent, quocumque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere *e*)? secunda *f*)
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in haec *g*): simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus *h*) Matina laverit cacumina;

a) Phocaea civitas Ioniae fuit; quam cum obsiderent Persae Grecis infestis cives navibus Deos et coniuges imposuere, ac numquam redituri: profugerunt in eam Galliae partem, ubi nunc est Marsilia. *b*) Diris exercitationibus, et imprecationibus usa; vel, Lares et agros suos detestata, profugit. *c*) Templa: ea deseruit, a feris incolenda. *d*) Redi ad quartum retro versum; nulla sit sententia potior hac; nempe ire, eundi, quo nos pedes ferent etc. Phocaeorum exemplo. *e*) Quod suadeat. *f*) Bonis omnibus: de voce, *secundus*, vide Od. 12. l. 4. *g*) In haec verba. Ita iuramentum concipiamus: nimirum ne sit nefas redire, id est, nos iuramento solutum iri, et nefas nemini fore dare lintea domum conversa, hoc est, vela facere ac in patriam reverti, simul ac saxa, quae sunt imo in mari, renaverint, emerserint imis vadis, id est, fluctibus. Simile quidpiam Phocaei factitarunt: massam enim plumbeam in mare proiecerunt, se non ante redituros contestati, quam illa e fundo maris sponte emersisset. *h*) Italia fluvius, Galliam Cisalpinam ab occidente in orientem mediam secans, inter Liguriam, ducatum Mediolanensem, et Venetam ditionem fluens: Matinus est mons Calabriae. Fieri

In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque *i*) monstra iunxerit libidine
Mirus amor; iuvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba milvio *a*);
Credula nec fulvos timeant armenta leones,
Ametque salsa laevis *b*)hircus aequora.
Haec *c*), et quae poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis execrata civitas,
Aut pars *d*) indocili melior grege; mollis *e*) et exspes
Inominata *f*) perprimat *g*) cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca *h*) praeter et volate *i*) littora.
Nos manet *k*) Oceanus circumvagus; arva, beata *l*)

autem nequit, ut Padus supra illum montem attollatur. *i*) Et amor mirus iunxerit nova et inaudita libidine monstra, id est, feras disparis generis, tigres cervis, columbas milviis. *a*) A milvio adulteretur, ametur. Notat Terentius legi, *milvio*; in omnibus manuscriptis, meritoque dubitari posse an *miluius*, Latina vox sit. *b*) Sine pilis sit hircus, qui natura pilosus et hirsutus est; idemque amet aequora, instar piscium, natet, qui amat in montibus pasci. *c*) Eamus, omnis civitas, postquam adhibuerimus istas iurandi, et execrandi reditum formulas, aliasque consimiles, quae nos a redeundo deterreant. *d*) Omnis civitas aut pars eius saltem sanior et melior, consultiorque indocili grege, id est, vulgo et plebecula, quae, instar stupidi gregis, ratione duci nequit. *e*) At quae pars est mollis, delicata, quae non tangitur spe fortunae melioris, maneat in Urbe, ubi otiose in cubilibus iaceat. *f*) Infausta, inauspicata. *g*) Id est, valde premat. *h*) Etruria est pars Italiae in medio ad mare Tyrrhenum. *i*) Navibus relinquite. Volare naves dicuntur, et aves vicissim, nare. *k*) Expectat: Petamus oceanum, qui circum terras vagatur, qui eas ambit, vel potius, insulas in oceano positas; Italia est in mari Mediterraneo. *l*) Fortunatas insulas. Sunt illae in mari Atlantico, non procul

Petamus arva divites et insulas ,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis ;
Et imputata *m*) floret usque vinea ,
Germinat et numquam fallentis tormes *n*) olivae ;
Suamque *o*) pulla *p*) ficus ornat arborem
Mella cava manant ex ilice , montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussae veniunt ad mulctra , *q*) capellae,
Refertque tenta *a*) grex amicus ubera ;
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile ;
Nec intumescit *b*) alta viperis humus.
Pluraque felices mirabimur , ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbridus ;
Pinguia *c*) nec siccis urantur semina glebis ,
Utrumque *d*) Rege temperant Caelitum.
Non hoc *e*) Argoo contendit remige pinus ,
Neque impudica Colchis intulit pedem :
Non huc Sidonii *f*) torserunt cornua *g*) nautae.
Laboriosa *h*) nec cohors Ulyssei *i*).

ab Hispania : in iis aer purissimus , fertilis admodum terra , quidquid ad victum et delicias desiderari potest , ibi abundare dicitur. *m*) Non amputata. *n*) Ramus semper feracis olivae. *o*) Non insitam , naturalem. *p*) Nigricans , matura. *q*) Vasa , in quibus excipitur lac e pressis uberibus.

a) Distenta, plena. *b*) Ob latebras serpentium , sub terrae delitescentium. *c*) Mirabimur quemadmodum , calor et siccitas nimia non urat pinguia semina in sulcis arentibus inter glebas siccas. *d*) Aquas , et siccitatem. *e*) Non hunc venerunt Argonautae , qui nempe, ut alienas opes raperent, navim Argo conscenderunt ; non Medea , ob veneficia infamis : non nautae Sidonii, id est , homines avari et iniusti , quales sunt nautae et mercatores : quos inter eximii semper habiti sunt Sidonii, non socii Ulyssis, homines videlicet libidinosi , et voluptati servientes. *f*) Sidon , urbs Phoeniciae , ad mare : emporium celeberrimum. *g*) Antennarum extremas partes. *h*) Quae multos labores pertulit. *i*) A nominativo *Ulysseus*, vulgo *Ulys-*

Nulla nocent pecori contagia ; nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia *k)*.
Iupiter illa piae secrevit littora genti,
Ut *l*) inquinavit aere *m*) tempus aureum;
Aere dehinc ferro duravit *n*) saecula quorum
Piis *o*) secunda *p*), vate me, *q*) datur fuga.

EPODON XII. *Veniam petit a Canidia venefica, cuius artem spreverat.*

IAM iam efficaci do manus *r*) scientiae *s*) :
Supplex et oro regna per Proserpinae,
Per et Dianae non movenda *t*) Numina,
Per atque libros carminum valentium *a*)
Refixa *b*) Caelo devocare *c*) sidera,
Canidia parce *d*) vocibus tandem sacris ;
Citumque retro *e*) solve, solve turbinem.
Movit nepotem *f)* Telephus *g*) Nereium,

ses. *k)* Vis immodica ; et potentia exitialis. *l*) Ex quo. *m*) Postquam aetatem auream mutavit aerea deteriori. *n*) Dura fecit, et aeri ferroque similia. *o*) Hominibus probis. *p*) Felix et auspicata. *q*) Me praedicente, ac spondente secuturam felicitatem. *r*) Victum me fateor. Victi solent manus supplices porrigere. *s*) Artis magicae. *t*) Non irritanda, non movenda ad iracundiam ; erat enim Diana, sive Luna, gravis in peccantes et acerba : neque mortem solum et pestilentiam hominibus, sed etiam amentiam immittere credebatur. Hinc illi amentes, qui Lunatici appellantur. Quid sit movere, et quatere Numina explicuimus in Od. 16. lib. 1.

a) Quae possunt. *b*) Detracta. His verbis, libros magicos et incantationes indicat. *c*) E Caelo in terras vocare et trahere. *d*) Noli me persequi et vexare carminibus tuis sacris, id est, magicis, et diris. *e*) Convertere in contrariam partem. Utebantur magi, in suis incantationibus, turbine, sive rhombo, quem filis, et taeniolis involutum circumagebant : ut autem irrita esset incantatio, inhibebant motum ; ut incantatio eadem valeret in contrariam partem, turbinem aliam in partem convertebant. *f)* Achillem, genitum Thetide, filia Nerei. *g*) Mysorum Rex : qui cum Troiam petentes Graecos arceret

In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, et in quem tela acuta torserat.
Unxere *h*) matres Iliae addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem;
Postquam relictis moenibus rex *i*) procidit,
Heu! pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa *k*) duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulyssei,
Volente Circe, membra; tunc mens et sonus *l*)
Relatus atque notus in vultus honor *m*).
Dedi *n*) satis, superque poenarum tibi,
Amata nautis multum et institoribus
Fugit iuventas, et verecundus color *a*)
Reliquit ossa pelle amicta *b*) lurida.
Tuis capillus *c*) albus est odoribus:

Mysia, negaretque transitum, ab Achille vulneratus est: oraculo consulto, responsum fuit, cum ab eodem sanari tantum posse, a quo vulnus accepisset: supplex igitur Achillem adiit: qui decussa in vulnus Telephi hastae suae rubigine, hominem persanavit. *h*) Matres, id est, Matronae Iliae, Troianae, unxerunt balsamo, et aromatis delibutum tumularunt cadaver Hectoris addictum, id est, destinatum ab Achille vulturibus, feris. *i*) Priamus: is corpus Hectoris ab Achille petit, et exoravit. Lege Od. 9. lib. 1. *k*) Porcium membra exuerunt. *l*) Vox ipsis fuit reddita. *m*) Humana facies et dignitas. *n*) Satis me vexasti tuis magicis carminibus, o tu, quae amaris impense a nautis et mercatoribus, (qui institores ab instando vocantur). Incipit eam carpere, ut vulgarem mulierem, licet in speciem laudare videatur, perinde ac si eam omnes expeterent: nautae enim pro navium magistris saepe accipiuntur, qui vulgo sunt locupletes.

a) Rubicundus: rubor enim est verecundiae et pudicitiae color. Color vividus deseruit ossa mea, quae nunc sunt amicta lurida pelle et pallida. *b*) Vestita. *c*) Mei capilli iam canescunt, propter tuos odores. Sic vocat ironice pharmaca et venena Canidiae; a qua immissam sibi ante tempus senectutem

Nullum a labore me reclinat *d*) otium :
Urget *e*) diem nox , et dies noctem ; neque est *f*)
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo *g*) negatum vincor ut credam miser ,
Sabella pectus increpare carmina ,
Caputque Marsa dissilire *h*) naenia *i*).
Quid amplius vis ? o mare , et terra ! ardeo ,
Quantum *k*) neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore , nec Sicana *l*) fervida
Virens in Aetna flamma. Tu donec , *m*) cinis
Iniuriosis aridus ventis ferar ,
Cales venenis officina Colchicis.

queritur. *d*) Solvit, liberat : quiescere enim solemus reclinati. *e*) Diem , molestiae laborisque lenum , excipit laboriosa graviorque nox : vel interdiu noctem desidero ; et noctu, cum mihi sit inquieta quies, diem postulo: luce noctem, nocte lucem expecto. *f*) Neque licet spiritum ducere; libere respirare non possum , et pulmones fessos distentosque liberiori anhelitu relaxare. *g*) Ordo est, ergo nunc miser vincor, id est, adducor ut credam negatum , hoc est , quod antea negabant : nempe carmina magica (quae Sabella vocat , vel , quod Canidia Sabina esset , vel quod in Sabinorum regione multi magi reperirentur) pectus increpare, id est ; animos hominum perturbare, quatere, agitare. Sunt qui Sabelios alios a Sabinis faciant , ab illis quidem oriundos, sed Samnium incolentes. Marsis proximos. *h*) Findi, frangi. *i*) Magica incantatione. Vide Oden 5. huius libri. *k*) Vide hunc lib. Od. 3. *l*) Ordo est. Ardeo , quantum non ardet Sicana, idest , Sicula flamma , virens in Aetna fervida. Aetna ignes intestinos , alit ; ac identidem vomit. Vide Virg. lib. 3. Virentem flammam appellat , quae numquam extinguitur et senescit. Quidam legunt furcus. Virere dicuntur ea omnia, quae firma sunt ac valida : hinc viridis iuventa, senectus, animus , etc. *m*) Tu o Canidia, (tamquam officia, in qua fiunt igne multo venena Colchica) nova et efficaciora in dies adhibes quibus urere me miserum non cessas , donec in cineres solvar , et in ventos dissiper.

Quaefinis? aut quod me manet stipendium ? *a*)
Effare : iussas *b*) cum fide *c*) poenas luam ;
Paratus expiare *d*) seu poposceris
Centum iuvencos *e*) ; sive mendaci lyra
Voles sonari *f*). Tu pudica , tu proba ,
Perambulabis *g*) astra , sidus aureum.
Infamis *h*) Helenae Castor offensus vice ,
Fraterque magni Castoris , victi prece
Adempta vati reddidere lumina :
Et tu (potes *i*) nam) solve me dementia *k*):
O nec *l*) aternis obsoleta sordibus ,
Nec in *m*) sepulchris pauperum *n*) prudensanus

a) Poena. Proprie est pecunia militibus in diem dari solita; stips, quae illis penditur. Pro praemlo quolibet usurpatur ; praemium autem de supplicio et mercede dicitur. Quam iubes me poenam pendere. Vel , quid tibi a me iubes persolvi, quo liberer, quo solvar dementia ? *b*) A te constituas. *c*) Fideliter. *d*) Crimen : te placare. *e*) Sacrificium , quam Hecatomben Graeci vocant. *f*) Laudari. *g*) In Caelo a me collocaberis, instar eximii sideris: ad Caelum te laudibus meis tollam; dicam te pudicam esse , et probam etc. iocatur , et Canidiam irridet. *h*) Sensus est : Castor eiusque frater Pollux , offensi vice , id est , ignominia, calamitate et sorte adversa. Helenae sororis suae, quam Poetam Stesichorus infamem reddiderat, victi tamen et placati precibus eiusdem Poetae ac palinodia, illi reddiderunt lumina quibus eam privaverant. Stesichorus carmen de Helena scr·pserat : in quo eius libidinem belli Troiani causam esse dixerat : oculis subinde captus , recantavit quae cecinerat : aiuntque visum illi restitutum fuisse. *i*) Nam id potes facile. *k*) Quam magicis tuis carminibus mihi attulisti. *l*) O Canidia , quae neque ob parentum adulteria et ignobilitatem infamis es, etc. Obsoletum id proprie dicitur , quod tractari non solet , quod vetus ac victum est , atque adeo detritum et putridum. *m*) Haec omnia contrarium in sensum sunt accipienda. Quae prudens anus es , id est , sciens et perita , ad pulveres : hoc est , cineres mortuorum , nouo quam obierunt die ac sepulti sunt , eruendos ac dissipandos, e tumulis maxime pauperum. Hoc fiebat a veneficis , ut ossa colligerent , quibus in suis incantationibus uterentur. Dicam nunquam hoc arte factum fuisse. Ironia. *n*) Divitum sepul-

Novendiales *a*) dissipare pulveres ;
Tibi hospitale *b*) pectus , et purae manus *c*).

EPODON XIII. *Respondet Horatio Canidia se nunquam illi placatam fore.*

QUid obseratis *d*) auribus fundis preces ?
Non saxa *e*) nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hybernus salo *f*).
Inultus *g*) ut tu riseris Cotyttia *h*)
Vulgata , sacrum liberi *i*) Cupidinis ?
Et Esquilini *k*) pontifex *l*) venefici *m*) ;

chra, ne aut feris aut veneficis paterent, sedulo custodiebantur : non ita pauperum.

a) Nono die humatos. Apud maiores, inquit Servius, in l. 5. Aeneid. ubi quis fuisset extinctus, domum suam referebatur, et illic septem erat diebus ; octavo incendebatur ; nono sepeliebantur eius cineres. Acron triduo tantum ait servatos fuisse in aedibus mortuos; post triduum impositos rogo ; atque iterum post triduum cineres in urnam conditos. Itaque, *Novendiales*, significabit cineres per dies novem servatos : proprie enim novendiale est, quod novem diebus durat. *b*) Mite in hospites, pium, et humanum. *c*) Innoxiae, purae sceleris, nullius imbutae sanguine. *d*) Clausis, surdis. *e*) Scopuli, qui a fluctibus iratis verberantur alto in mari, non sunt surdiores nautis undis, id est, naufragis, quam ego sum tibi ad naufragorum preces et eiulatus non magis surda sunt saxa, quam ego ad tuas. *f*) Mari. *g*) Tunc riseris impune nocturna, quae fiunt Cotyttoni, sacra ; in quibus liber Cupido dominatur, tunc postquam ea vulgavisti, inultus id feceris. *h*) Subaudi, mysteria, sacrificia Cotytto, sive Cotys. Dea quaedam fuit, impudicitiae praeses, apud Thracas, et Graecos. Legunt aliqui, Cocytia, idest : Infernalia. *i*) Nocturna quaedam sacra, in quibus magi et venefici omni genere obscoenitatum libere et promiscue se conspurcabant. *k*) Et quasi esset censor ac iudex veneficiorum, quae tractare soleo et peragere in Esquilino monte, et nocturnorum sacrificiorum : me tanquam infamem Urbe tota cantaveris ac traduxeris ? *l*) Cura sacrorum et cognitio pertinebat ad Maximum Pontificem : quo nomine Canidia Horatium hic vocat; quia ausus erat sacra magica insectari, et exquirere. *m*) Extra portam Esquilinam multa erant sepulchra:

Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderit *n*) ditasse Pelignas anus,
Velociusve miscuisse toxicum,
Si tardiora fata te votis manent?
Ingrata misero vita ducenda *a*) est in hoc *b*)
Novis ut usque suppetas *c*) doloribus.
Optat quietem Pelopis *d*) infidus pater,
Egens benignae *e*) Tantalus semper dapis:
Optat Prometheus obligatus *f*) aliti:
Optat supremo collocare Sisyphus *g*)
In monte saxum: sed vetant leges Iovis.

quamobrem eo convenire plurimum solebant veneficae. *n*) Locus obscurior. Fingitur Horatius, ut se dementia solveret: sibi per Canidiae incantationes immissa, adiisse et consuluisse alias veneficas (quas Pelignas vocat, quia Peligni, Marsis et Sabellis vicini, ob veneficia infames erant) et velocius, id est, praesentius aliquod ab iis toxicum, seu, venenum petiisse, quo emori statim et vita simul ac dementia solvi posset. Frustra illum laborasse Canidia respondet. Quid tibi proderit, inquit, anus illas ditasse, hoc est, magnis muneribus, magno pretio convenisse, ut velociorem tibi mortem afferrent: si ego efficio ut tardius votis tuis moriaris? si tibi vitam infelicem praeter spem ac vota tua prorogo?

a) Producenda. *b*) Eam ob rem. *c*) Sufficias, ut dures in nova supplicia. *d*) Tantalus qui infidus dicitur, quasi infidelis, quod Iovem, Neptunum, et alios Deos, qui ad ipsum diverterant, Deos esse non credens, illis suum filium Pelopem, clam a se interfectum, apposuit epulandum, tentaturus an id cognoscent. Ob id scelus detrusus ad Inferos, aeterna siti et fame torquetur. Alii dicunt idcirco vocari infidum, quia, cum interesset conviviis Deorum, in eorumque coetu et consilio versaretur quotidie, multa perperam effutierit, quae tacita esse oportebat, imo nectar et ambrosiam furatus sit. *e*) Affluentis, copiosae, medias inter dapes ieiunus. *f*) Alligatus, vel, addictus et obnoxius. De Prometheo, vide Oden 14. lib. 1. et 15. 2. *g*) Vide lib. 2.

Voles modo altis desilire *h*) turribus,
Modo ense separato pectus Norico *i*) recludere *k*);
Frustraque vincla gutturi innactes tuo,
Fastidiosa *l*) tristis aegrimonia.
Vectabor *m*) humeris tunc ego inimicis eques;
Meaeque *a*) terra cedet insolentiae.
An, quae movere cereas *b*) imagines,
(Ut ipse nosti) curiosus *c*) et polo
Deripere Lunam vocibus possum meis,
Possum crematos excitare mortuos.
Desiderique *d*) temperare poculum.
Plorem artis in te nil agentis *e*) exitum?

Od. 11. *h*) Praeceps ruere. *i*) Noricum est regio Germaniae, ferax optimi ferri: nunc Bavariae pars. *k*) Aperire. *l*) Quae facit ut omnia fastidiamus. *m*) Tunc tibi inequitabo, id est, insultabo: te irridebo, inimicum meum. Inequitare alicui, est insultare. Hanc metaphoram et vetus adagium, inde sumptum aliqui voluut, quod Romani divites lecticariorum humeris interdum gestarentur. Hinc Plinius in Panegyr. *Importari solebant, non dico, quadriiugo curru, sed humeris hominum etc.*

a) Tunc exiliam gaudio, et humum petulanter saltando premam et cogam subsidere. *b*) Imaginibus hominum e cera fictis utebantur magicae artis periti, easque movebant, feriebant, laniabant, ut vivos homines agitatos et percussos volebant. *c*) Haec arcana descripsit, Ode 5. huius lib. *d*) Poculum potionem aptam ad amorem excitandum. *e*) Ita legitur in plerisque libris manuscriptis, et veteribus codicibus. An dolebo, an patiar meam artem nihil valere contra te? nocere tibi non posse? exitum habere meis votis contrarium? Legunt aliqui, *nihil habentis*, id est, nihil valentis; sed minus Latine. Alii sic explicant: plorem artis (subaudi causa) nihil habentis exitum in te: sed hoc duriusculum est: quis enim latine dicat satis commode, nihil habeo potestatem, vires, in illum? haec ars nihil habet exitum? Malim legere cum Lambino: plorem artis in te nullam habentis exitum: quam lectionem probe tuetur ac illustrat.

CARMEN SAECULARE *a*)

Chorus puerorum nobilium, ac puellarum, Deos, ac praesertim Apollinem, et Dianam, orat pro Imperii Romani felicitate

Phoebe, sylvarumque potens *b*) Diana,
Lucidum *c*) Coeli decus, o colendi
Semper, et culti, date quae precamur *d*),
Tempore sacro *e*);
Quo *f*) Sibyllini *g*) monuere versus,
Virgines lectas, puerosque castos,

a) Ita dictum est; quod ludis Saecularibus caneretur. Vertente quodlibet saeculo, Romani dies festos, ludosque celeberrimos agebant, certasque preces et hymnos canebant. Iussus est Horatius ab Augusto istam Oden ea dè causa scribere, anno U. C. 737. *b*) Domina, praeses. *c*) In ambos, Apollinem et Dianam, ea vox lausque cadit. *d*) Pueri, et puellae Apollinem et Dianam orant. *e*) Festis diebus, qui vertente saeculo, summa religioni peragere solebant. *f*) Quo tempore Sibyllae suis versibus praeceperunt, ut delectae omni ex Urbe virgines et pueri solemne carmen dicerent Diis, Romae (in qua colles septem) praesidibus et custodibus. *g*) Sibyllae fuere virgines quaedam fatidicae, quibus futuri notitiam Deus in praemium castitatis videbatur indulsisse. Decem vulgo numerantur. Insignis est ea, quae Cumana dicebatur, de qua Virg. lib. 6. Tarquinio Superbo, Romanorum Regi, una quaedam ex illis novem libros obtulit, in quibus Reip. Rom. fata contineri diceret pretium petitique 300. nummorum. Recusante Rege, tres libros in ignem coniecit; idemque pretium pro reliquis poposcit. Irridente Rege, tres alios libros cremavit; et pro aliis tantumdem petere perrexit. Quod Tarquinius admiratus, et pretium persolvit, et libros inter Imperii Romani sacra haberi voluit, adhibitis viris, qui eos et servarent in Capitolini Iovis sacrario, et cum opus esset,

Diis quibus, septem *a*) placuere colles,
Dicere carmen.
Alme *b*) Sol, curru nitido diem qui
Promis *c*), et celas, aliusque *d*) et idem
Nasceris; possis nihil urbe Roma
Visere maius:
Rite *e*) maturos aperire partus,
Lenis Ilithya *f*), tuere matres;
Sive tu Lucina probas *g*) vocari,
Seu genitalis.
Diva, producas *h*) sobolem, Patrumque *i*)
Prosperes *k*) decreta super *l*) iugandis *m*)

consulerent. Illi viri, primum duo, deinde 10. postea 15. fuere. Isti libri, Syllae tempore, incenso Capitolio, cum deflagrassent; conquisiti sunt orbe toto versus Sibyllini omnes, et ex iis confecti novi codices, ac pristina religione servati, qui demum, imperante Honorio, exusti sunt.

a) Aventinus, Capitolinus, Caelius, Esquilinus, Palatinus, Quirinalis, Viminalis. Additi postea duo, Vaticanus, et Ianiculus. *b*) Ea vox ab alendo ducta est. De Sole dicitur: quia Sol omnia educat, alitque. *c*) Profers, et condis. *d*) Qui alius Sol ab hesterno videres esse, licet unus idemque sis. *e*) Ordo est. Oh Ilithya, quae lenis es, facilis et propitia aperire, id est, in lucem proferre, maturos partus, quae lenis es ac benigna in partubus et foetibus e matrum alvo educendis. *f*) Est nomen Dianae quatenus parientes iuvat, a Graeca voce, significante, venio orior. Dicebatur etiam *Lucina*, a luce iu quam ut partus feliciter ederentur, curaret: *Genitalis*, a gignendo, quasi ad gignendum iuvans. *g*) Mavis. Erat autem haec apud veteres religio, ut ea nomine Deos vocarent, quod ipsis putarent acceptissimum, et rei, quam postularent, convenientissimum, unde multa saepe illorum nomina congerebant; ignari quodnam esset omnium acceptissimum: *h*) Amplifices. *i*) Senatorum. *k*) Fortunes: felicia, et fortunata esse iubeas. *l*) De foeminarum matrimonio, et de maritali lege. *m*) In matrimonio rite collocandis. Ea lege decernebantur iis praemia, qui e legitimis uxoribus liberos susciperent; poenae in adulteros statuebantur, etc. quae ad augendam in Urbe sobolem erat maxime valitura: unde legem hanc vocat Horatius, *nova prolis feracem, et maritam*, seu maritalem, quia matrimonium

Foeminis, prolisque novae feraci
Lege marita:
Certus *n*) undenos *o*) decies per annos
Orbis ut cantus, referatque ludos,
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.
Vosque *a*) veraces cecinisse Parcae
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servet, bona iam peractis
Iungite fata.

honori, et sanctitati consulebat. *n*) Ordo est: precamur, vel, facite, ut certus orbis, id est, certa annorum conversio, per annos decies undenos facta, referat cantus, et ludos frequentes, per tres dies claros, totidemque gratas noctes. *o*) Saeculares ludi non centesimo quoque, ut multi putant, anno, sed centesimo decimo celebrabantur quod patet ex ipsis Sibyllinorum versum vocibus, et Romana historia. Primi enim ludi Saeculares peracti sunt, anno U. C. 298. secundi, 408. tertii, 517. quarti, 626. quinti, de quibus hic agitur, 737. Quos inter singulos intercedit spatium annorum 110.

a) Sententia haec germana est, vosque, o Parcae, quae veraces estis cecidisse quod semel a vobis dictum, et constitutum est, id est, quae veraciter canitis, et immutatum iubetis esse; quod semel; hoc est irrevocabili decreto dixistis; quod ipsum Terminus Deus, stabilis rerum, id est, qui res Imperii Romani stabiles facit, servat, et immutabiles quoque esse iubet; vos, inquam, peractis fatis sequentia bona, et similia iungite: praeteritae felicitati futuram addite. Parcae Romano Imperio immortalitatem, et aeternitatem promisisse dicebantur, idque videbatur significasse Deus Terminus; cuius effigies reperta in Capitolii fundamentis, moveri loco non potuit, quam ob rem vocatur ab Horatio *stabilis rerum*; Vide Livium I. 1. Porro Parcarum hic meminit: quia in ludis festisque Saecularibus celebrandis, initium ducebatur a sacrificio insigni, in earum honorem. Potest etiam hoc ita exponi: O Parcae, quas in vestris decretis et effatis falli nunquam contigit, (quippe id canitis quod semel dictum esse sufficiat) iungite in posterum bona fata praeteritis, idque servet terminus rerum stabilis (legitur enim in multis codicibus servet) id est, constans, et perpetua ad extremum usque terminum rerum series servet, ac retineat eum cursum ac statum Imperii,

Fertilis frugum, pecorisque tellus
Spicea *b*) donet Cererem corona.
Nutriant foetus *c*) et aquae salubres,
Et Iovis *d*) aurae.
Condito *e*) mitis, placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo:
Siderum regina bicornis *a*) audi,
Luna puellas.
Roma si *b*) vestrum est opus, Iliaeque *c*)
Littus Etruscum *d*) tenuere turmae,
Iussa pars *e*) mutare lares, et urbem
Sospite cursu *f*):
Cui *g*) per ardentem sine fraude *h*) Troiam
Castus *i*) Aeneas patriae superstes,
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis;
Di probos mores docili iuventae,
Di senectuti placidae quietem,

quem edixistis, et ceeinistis. *b*) Spicae offerebantur Cereri post messem. *c*) Pecudum alumnos. *d*) Pro aere sumitur. *e*) Coniectis enim in terras telis, pestem et morbos putabatur immittere. Vide I. lib. Iliad.

a) Quia Luna crescente isti ludi celebrabantur. Luna porro et Diana pro eodem Numine sumuntur. *b*) Apollo praecipue Troianis favebat, ac Aeneae. *c*) Troianae. *d*) Tyrrhenum. Aen. lege l. 7. et 8. *e*) Quae turmae fuere pars Troianorum exigua, quos Dii iusserant solum vertere, et Troiam relinquere. Vide Aen. l. 3. *f*) Navigatione salva, et secunda. *g*) Cui turmae, cui Troianorum parti, pius Aeneas, superstes patriae, per medios Troiae ignes iter aperuit in Italiam, daturus illi turmae suae, et genti plura, id est. Imperium maius, urbem florentiorem, res melius constitutas illis quas reliquerant; nempe Romam fundaturus, Troia potiorem. *h*) Periculo, damno. *i*) Pius, sceleris purus.

Romulae genti dare, remque *k*), prolemque, et decus omne.
Quique *l*) vos bobus *m*) veneratur albis
Clarus Anchisae, Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.
Iam mari, terraque manus potentes *n*)
Medus, Albanasque *o*) timet secures *p*)
Iam Scythae *a*) responsa *b*) petunt superbi
Nuper et Indi.
Iam fides, et pax, et honor, pudorque
Priscus et neglecta redire virtus
Audet: appareIque beata pleno
Copia cornu *c*).
Augur *d*), et fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptusque novem Camoenis,

k) Opes. *l*) Facite ut Augustus, ab Anchise et Venere per Aencam oriundus, Imperium orbis terrarum obtineat; prior, id est, potior, superior bellante, hoc est, hostem bellum ipsi inferente. Regnet, ac hostes armatos vincat, subiectis domitisque parcat. *m*) Sacris intererat Augustus, et victimas albas (tales enim Diis Superis immolabantur) mactabat. *n*) Romanorum potentiam; vel, Augusti victrices manus. *o*) Romanas; Alba enim quasi Romae mater fuit. Inde Albanas pro Romanis posuit; et ab Etruscis fasces, ut caetera imperii decora, atque insignia Romam venere. Vide Flor. l. 2. *p*) Securis, in medio virgarum fasce posita, erat insigne Romanorum Magistratum, Consulum, ac Praetorum: quod ab Etruscis, sive Albanis, Romani sumpserant. Vide Livium lib. 1.

a) Vide Od. 11. et 12. lib. 4. *b*) Proprie oraculorum responsa dicuntur: sensus est, Scythas, Indos, etc. Romam quasi ad oraculum publicum accedere, audituros quid sibi agendum sit, leges pacis bellique accepturos. Indi paulo ante nonnihil cladis intulerant Romanis. *c*) De cornu Copiae, Vide Od. 15. l. 1. *d*) Commemorat Apollinis munia: primum divinandi artem, 2. iaculandi, 3. canendi, 4. medendi, tot

Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus ;
Si palatinas *e*) videt equus *f*) arces ,
Remque Romanam , Latiumque felix :
Alterum *g*) in lustrum , meliusque semper
Proroget *h*) aevum *i*).
Quaeque Aventium *k*) tenet , Algidumque ,
Quindecim *l*) Diana preces virorum
Duret , et votis puerorum amicas
Applicet aures.
Haec Iovem sentire , Deosque cunctos
Spem , bonam , certamque domum reporto *m*) ;
Doctus et Phoebi chorus et Dianae
Dicere laudes.

enim illi tribuebantur. *e*) Romanas. In monte Palatino, templum Apollini Augustus dedicaverat. *f*) Propitius. g) In alterum usque saeculum. Vulgo lustrum erat spatium annorum 5. , quo exacto civitas a Censoribus tota lustrabatur , recensebatur. Inter lustra autem celeberrimum erat tertium , et vigesimum ; quo ineunte saeculum novum ducebatur, unde hic initium redeuntis saeculi lustrum vocatur. *h*) Propaget , producat. *i*) Saeculum. *k*) Duo montes , ille , Romae , hic non procul , in quibus aediculae duae , Dianae sacrae , visebantur. *l*) Libris Sibylliuis custodiendis praefectorum. *m*) Loquitur chorus puerorum. Hanc spem domum reporto , ego doctus dicere laudes , et Phoebi et Dianae , id est , qui didici , et doctus sum hunc hymnum recitare in honorem Phoebi , et Dianae. Superiores strophas alterni cantabant pueri , et puellae : hanc ultimam utrique simul.

INDEX I.
ALPHABETICUS
ODARUM.

INDEX II.

ODARUM CHRONOLOGICUS

Ostendens quo quaeque anno scripta fuerit.

Id ostendi satis commode non potest, quin exponatur breviter ea pars Romanae historiae, in quam HORATII vita incidit. Nihil ferme scripsit, ante annum aetatis 21. qui fuit Urbis conditae 710., Octavii Caesaris 19. Ab eo igitur anno ducimus initium.

Anno U. C. 710. *HORATII* 21.

Anno ab U. C. 710. Caesar interfectus est in Senatum a coniuratis. Eodem anno, Tyberis exundans partem Urbis evertit; icta fulminibus crebris templa; et alia id genus prodigia contigere, quae describit HORATIUS Od. II. libri primi: *Iam satis etc.*

Anno U. C. 714. *HORATII* 25.

Reversus Romam Octavius cum ab Antonio dissideret, pax inter utrumque componitur Brundusii per communes amicos, eo Roma profectos. Eorum unus Maecenas fuit; quem HORATIUS est comitatus, ut narrat Satyra V. l. 1. Sat. Per idem tempus Pacorus, Orodis Parthorum Regis filius, magnas clades Romanis intulit in Syria. De illo meminit Od. VI. lib. 3.

Anno U. C. 716. *HORATII* 27.

Bellum in Sicilia gestum est magno apparatu, inter Sex. Pompeium, et Octavium. Ad hoc non leve momentum attulit Menas, sive Mendorus, Pompeii libertus ditissimus, et audacissimus, qui cum parte classis defecit ad Caesarem: idem tamen, sequenti anno, rediit ad Pompeium; ac paucis post mensibus, iterum Caesari se adiunxit. In eum est Od. IV. lib. Epodon: *Lupis et agnis etc.* circa hoc tempus scripta. Quod eodem tempore scripta apparet Od. VII. eiusdem libri: *Quo quo scelestis ruitis etc.* in qua bellum civile detestatur.

Anno U. C. 718. *HORATII* 29.

Victus ab Octavio, consiliis et fortitudine Agrippae, in freto Siculo Sex. Pompeius, ad Antonium fugit, r quo post

paulo interfectus est. Marcus Antonius a Parthis varie est victus, cum, implicatus amore Cleopatrae, gravioribus belli curis non sat esse idoneus. Parthorum Rex Phraates erat, cuius mentionem facit Oden II. lib. 2. Ad hoc tempus pertinet Od. V. lib. 2. *O saepe mecum etc.* Item V. lib. 4. qua laudat Agrippam: *Scriberis Vario etc.*

Anno U. C. 722. *HORATII* 33.

Antonius Octavia repudiata, Caesaris sorore, bellum indicit Caesari, qui confestim in Epirum cum expedita classe advolat. Referri ad hunc annum possunt Od. I. libri Epodon: *Ibis Liburnis etc.* et 11. *Altera iam etc.*

Anno U. C. 723. *HORATII* 34.

Commisso navali praelio, ad Actium in sinu Ambracio, fugientem cum suis navibus Cleopatram secutus Antonius victoriam Caesari facilem concessit. Praeterea legiones Antonii quae stabant in littore, ac terrestrem eius exercitum conficiebant, septimo post die, in Caesaris castra transierunt. Actiacam victoriam celebrat Vates, Ode penultima libri I. *Nunc est bibendum etc.* et 8. lib. Epodon: *Quando repostum etc.*

Anno U. C. 726. *HORATII* 37.

Octavius, extinctis anno 724. Antonio et Cleopatra, redacto in ordinem Lepido, clauso Iano, triplici triumpho et aliis honoribus affectus, templum hoc anno Apollini, cuius praesidio tot res praeclare gestas in primis tribuebat, in Palatio dedicavit; addiditque insignem in vicina porticu bibliothecam. De hoc templo meminit Horatius, Od. XXV. libri primi: *Quid dedicatum etc.*

Anno U. C. 727. *HORATII* 38.

Octavius Caesar, cum nomen Augusti a Senatu delatum accepisset, venit in Gallias cum exercitu, transiturus inde in Britanniam, ut eam armis perdomaret: sed Britanni, missis ad eum legatis in Galliam, pacem oraverunt. Ad hunc annum pertinet Od. XXVIII. l. 4. *O diva gratum etc.*

Anno U. C. 728. *HORATII* 39.

Augustus in Hispaniam venit, ubi Cantabri, et Astures rebellabant. Victi hostes, hoc et sequenti anno, terra, marique, sed Augustus ex nimio labore morbum contraxit, ann. 729, Romamque subinde repetens, bellum C. Antistio, et Cari-

sio, obsolvendum reliquit. His annis scriptae sunt Odae IV. libri 2. *Septimi Gades etc.* et 8. eiusdem libri *Quid bellicosus Cantaber etc.* Item X. lib. 3. *Herculis ritu etc.* Nec non VII. eiusdem libri: *Martiis caelebs etc.*

Anno U. C. 730. *HORATII* 41.

Aelius Largus, ab Augusto missus in Arabiam, exercitum eo duxit: sed illum, re male gesta, morbis imminutum, cum ignominia reportavit. Circa hoc tempus fuit scripta Ode XXIII. lib. 1. *Icci beatis etc.*

Anno U. C. 731. *HORATII* 42.

Tiridates, ante annos septem, Rex creatus a Parthis, (pulso ab illis in exilium Phraate, ipsorum legitimo Rege, ob eius saevitiam) Romam venit, suppetias ab Augusto petiturus contra eundem Phraatem, qui restitutus in regnum a Scythis fuerat. Augustus Tiridatem Romae retinuit, et apud se esse iussit: Phraatis filium adolescentem, quem ab anno 724 obsidem Romae habebat, remisit patri, ea lege, ut signa militaria, Crasso et Antonio erepta, Romanis restitueret: quod ille tamen non praestitit, nisi triennio post. De Parthis, et eorum domesticis seditionibus HORATIUS saepe meminit, ut Ode XX. lib. 1. *Musis amicus etc.* et aliis passim. Eodem anno, Augustus sibi substituit L. Sestium Consulem; ad quem scribitur Ode IV. lib. 1. *Solvitur acris hyems etc.*

Anno U. C. 732. *HORATII* 43.

Fannius Caepio, et Licinius Muraena, cum in Augustum conspirassent, detecti, et e fuga retracti, supplicio affecti sunt. Muraenae frater erat Proculeius, de quo agit lib. 2. Ode II. Ad eundem Licinium scriptam esse Oden VII. eiusdem lib. 2. *Rectius vives, Licini etc.* quidam volunt. Vide notas in hanc Oden.

Anno U. C. 733. *HORATII* 44.

Consul creatus est, cum Q. Aemilio Lepido, M. Lollius, quem HORATIUS laudat Ode VIII. lib. 4. *Ne forte credas, etc.*

Anno U. C. 734. *HORATII* 45.

Cum Augustus anno superiori 733. in Asiam cum exercitu se contulisset, quasi provincias compositurus et lustraturus, revera Parthis bellum illaturus: Phraates pacem rogavit, et Romana signa, cum captivis, ultro restituit. Jani templum

Romae clausum est; quasi parta orbi terrarum pace. Clausum fuerat iam semel, post Actiacum certamen: subinde tamen reseratum est, rursumque clausum, anno 744. Hanc victoriam incruentam, quam sola nominis sui fama retulerat Augustus, celebrat Vates, Ode V. lib. 3. *Caelo tonantem etc.* Cadit etiam in hunc, aut superiorem annum, eiusdem lib. Ode II. *Angustam etc.* Eodem anno, Tiberius ab Augusto missus est in Armeniam, ut Regem Tigranem ei praeficeret, in locum Artabazi eius fratris, qui Armenis invisus erat. De hac in Armeniam expeditione, agit HORATIUS, Ode VI. lib. 2. *Non semper imbres etc.* quam proinde circa hoc tempus esse scriptam oportuit.

Anno U. C. 735. *HORATII* 46.

Romam ex Asia rediens Augustus, Samum, insulam Aegaei maris, petiit: ubi eum convenere Legati Indorum, foedusque cum eo sanxere; de iis meminit HORATIUS in Carmine Saeculari. Athenas cum venisset Augustus, reperit ibi Virgilium, eo profectum, ut Aeneidem, suam in hac Musarum schola perpoliret, quem secum reduxit in Italiam. Sed cum Brundusium Virgilius appulisset, ibi est mortuus, anno aetatis 51. Eunti Athenas Virgilio bene precatus amicus Vates, Ode III. lib. 1. *Sic te Diva potens Cypri etc.*

Anno U. C. 736. *HORATII* 47.

Agrippa, missus in Galliam ab Augusto, compositis eius provinciae negotiis, in Hispaniam deportavit exercitum, contra Cantabros, qui a Romanis desciverant: bello feliciter confecto triumphum tamen detractavit; quia non suis, sed Augusti auspiciis, pugnaverat. De Cantabris tandem domitis mentio est in Ode VII. l. 3. *Martis caelebs etc.* quae usque in hunc annum differri potest. Laudat Agrippam, Ode V. lib. 4. et alias passim.

Anno U. C. 737. *HORATII* 48.

Ludi Saeculares Romae, Augusti iussu, celebrati sunt insigni pompa. Extat edita tunc temporis Ode Horatiana, quae Saeculare Carmen inscribitur: *Phoebe sylvarumque etc.* Dignum opus Augusto iubente, et scribente HORATIO. Non multo ante scriptae sunt etiam Odae XVII. lib. 1. *Dianam tenerae etc.* et V. lib. 4. *Dive, quem proles etc.*

Anno U. C. 738. *HORATII* 49.

Augustus expeditionem in Sicambros, Usipetas, aliosque Germaniae populos, suscepit, qui, Rheno transmisso, Galliam depopulabantur, et Lollium ducem Romanum profligaverant: sed illi, eius adventu territi, ab eodem pacem impetravere. Mansit Augustus in Gallia, ut eam componeret; neque Romam, nisi anno post quarto, rediit.

Anno U. C. 739. *HORATII* 50.

Rhoeti, et Vindelici, ad Alpium radices positi, cum crebris incursionibus Italiam vexarent a Druso et Tiberio, per Augustum huc missis, magna clade non semel affecti sunt. Eosdem Rhoetos, et Vindelicos, ac vicinos aliquot Germaniae populos Drusus debellavit, anno 742. Laudes utriusque prosequitur HORATIUS, Ode 3. l.4. *Qualem ministrum, etc.* Sed Drusi praecipue, in Ode IV. Tiberii vero in Ode II. eiusdem libri: *Qua cura patrum etc.*

Anno U. C. 741. *HORATII* 52.

Augustus Romam e Gallis rediit. Eum, diutius pro suorum votis morantem, urget Vates, Ode IV. lib. 4. *Divis orte bonis etc.* Eiusdem reditum, ac victoriam, ludis, et varia laetitiae publicae significatione, celebravit Iulus Antonius praetor, Marci Antonii Triumviri filius; hortatusque HORATIUM erat: ut idem argumentum versus scriberet: cui respondet HORATIUS Ode I. lib. 4. *Pindarus quisquis etc.* Circa idem tempus editam quoque fuisse apparet Oden ultimam lib. 4. *Phoebus volentem etc.* quae laudes Augusti complectitur.

Anno U. C. 746. *HORATII* 57.

Mortui Romae sunt Maecenas, et HORATIUS, et in Esquiliis sepulti.

Aliae Odae quarum nulla nominatim facta mentio est in hoc Indice, aut quo scriptae sint anno incertum est; aut ex aliqua earum vocula fieri coniectura facile potest, ad quem annum sint referendae.

Finis Partis Primae.

QUINTUS

HORATIUS FLACCUS

CUM NOTIS

JOSEPHI JUVENCII

SOC. JESU.

PARS SECUNDA.

Q. HORATII FLACCI

SATYRARUM *a*) SIVE SERMONUM *b*)

LIBER PRIMUS

SATYRA I. *Nemo sua sorte est contentus, praesertim avarus; quia nemini satis est quod habet.*

QUI fit *c*), Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio *d*) dederit *e*) seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes *f*)
O fortunati mercatores! gravis annis
Miles ait, multo iam fractus membra *g*) labore.
Contra *h*) mercator, navim iactantibus Austris,
Militia est potior *i*). Quid enim *k*)? concurritur *l*); horae
Momento cita mors venit, aut victoria laeta.
Agricolam laudat iuris legumque peritus,
Sub *m*) galli cantum consultor *n*) ubi hostia pulsat.

a) Satyra est carmen quoddam dicax, et salsum, carpendis hominum vitiis institutum; ita dictum a Satyris, veterum Diis petulantibus, ac protervis. *b*) Satyrae Horatii Sermones vocantur, quia carmina sunt, ut ipse vocat, sermoni et prosae propiora. *c*) Quid esse causae dicam ut etc. quonam tandem pacto fit? *d*) Sive consilio, et ratione certa, certum vitae genus, et institutum amplexus fuerit; sive casu, et temere. *e*) Dat ratio et prudentia; obiicit casus, et fortuna. *f*) Diversa vitae genera, et suo dissimilia profitentes. *g*) Graeca locutio: subauditur pracpositio, *circa*. Habens membra labore fracta. *h*) Subaudi, dicit. *i*) Quam mercatura. *k*) Quidni? cur non? quid enim tantum in ea laboris et periculi est? *l*) Pugua committitur. *m*) Paulo post, circa. *n*) Qui causidicum super

Ille, datis vadibus *o*), qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Caetera de genere hoc (adeo *a*) sunt multa) loquacem
Delassare *b*) valent Fabium *c*). Ne te morer, audi,
Quo rem deducam *d*). Si quis Deus, En ego, dicat,
Iam faciam, quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu, consultus *e*) modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus *f*). Eia,
Quid statis? nolint *g*). Atqui licet esse beatis.
Quid causae est, merito quin illis *h*) Iupiter ambas
Iratus buccas inflet *i*), neque se fore post hac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?

lite sua consulit, consilium ab eo petit. *o*) Vas, vadis, est qui spondet alterum in iure adfuturum ad diem condictam, ut obeat vadimonium; ac, nisi compareat, iubetur ipse de suo satisfacere, illius loco, pro quo vadem se dedit. Sententia igitur est: rusticus quispiam, qui coactus est rure in urbem venire, quia vadem se obtulit, aut unus est ex vadibus pro aliquo altero datis: vel, quia ipse cum, citatus a iudice, statim in ius ambulare non posset, vades dedit, qui promitterent eum dicta die adfuturum; ad quam diem obeundam, ipse postea urbem petit.

a) Tam multa sunt eiusmodi exempla, tam multi existunt, quos sortis suae similiter poenitet. *b*) Defatigare. *c*) Loquacem hunc et garrulum obiter carpit. *d*) Quid fingam et ponam, unde illorum appareat imprudentia: quo illos adigam. *e*) Tu, qui modo eras consultus, idest, causidicus, eris rusticus. *f*) Conditionibus vitae mutatis. Sumptum videtur e theatro, et scena; in qua dicuntur proprie actores suas agere partes. *g*) Non mutabunt suam sortem alterius conditione. *h*) Illis iratus. *i*) Succenseat, excandescat. Minitantes, et iracundi os distor-

Praeterea, ne sic *k*); ut qui iocularia, ridens
Percurram: quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris *l*) olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.
Sed tamen amoto quaeremus seria *m*) ludo.
Ille gravem *n*) duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nataeque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente *o*) laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria. Sicut
Parvula, nam exemplo est *a*), magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo
Quem struit haud ignara ac non incauta futuri.

quent, buccas inflant. *k*) Ne rem tantam delibem leviter; ut solent facere qui narrant res ioculares qui ioci et voluptatis causa scribunt. *l*) Probat utile interdum esse ridendo, et iocando veritatem aperire, et hominum vitia carpere: ita fit enim ut homines facilius inducantur ad emendanda, et pernoscenda sua vitia. Quemadmodum pueri, datis crustulis, idest, libis et placentis, adducuntur ut prima litterarum elementa sponte, ac libenter condiscant. *m*) Causam huius inconstantiae serio investigemus. Ostendit esse avaritiam, seu cupiditatem, qua fit, ut plura semper et maiora optemus, et praesentibus nunquam acquiescamus. *n*) Agricola. *o*) Ordo est; aiunt eo consilio se laborem ferre, ut, cum senes erunt, habeant perfugium suae senectuti, et paratam quietem, nempe collectis per laborem opibus, et provisis cibis; sicut formica, quae, licet parvula, est tamen animal magni laboris (nam hoc utuntur exemplo) ore trahit, etc.

a) Potest hoc iungi cum sequentibus; est exemplo magni laboris; idest, exemplum dat, seu, documentum, est magni

Quae ; simul *b*) inversum *c*) contristat Aquarius *d*) annum ,
Non usquam *e*) prorepit , et illis utitur ante
Quaesitis sapiens : cum te neque fervidus aestus
Dimoveat lucro , neque hyems , ignis , mare ferrum ,
Nil obstet tibi , dum *f*) ne sit te ditior alter.
Quid iuvat immensum te argenti pondus , et auri
Furtim defossa timidum deponere terra ?
Quod si *g*) comminuas , vilem redigatur ad assem.
At , ni id fit *h*) , quid habet pulcri constructus acervus?
Millia *i*) frumenti tua triverit area centum ;
Non tuus hoc capiet venter plus , quam meus: ut si
Reticulum *k*)panis , venales inter *l*) , onusto
Forte vehas humero , nihilo plus accipias , quam

laboris ferendi. *b*) Simul atque , ubi primum. Ibi incipit Horatius responsio. Utitur contra avaros , illo ipso, quod attulerant, exemplo : Laudatis formicam ; bene est, ac illa quaesitis utitur, etc. vos nequaquam. c) Inclinatum in hyemem ; mutatum. Annus, cum denuo redit et incipit, dicitur verti sive reverti. *d*) Signum caeleste hyemale , idem atque Amphora. Huic Sol subiacet , mense Ianuario exeunte, pluvias et frigora tristitia creare solet. *e*) Foras non exit ; domi se continet. *f*) Modo. *g*) Responsio est avari. At (inquit ille) si ego minuam argenti mei pondus et summam , ea , ut iubes, utendo ; brevi ad assem , ad ultimum nummum illa redigetur. *h*) At , respondet Horatius, nisi id facis, nisi quaesita pecunia uteris. *i*) Quamvis area tua triverit centum millia modiorum frumenti : non tamen hoc , id est , propter hoc , idcirco , tuus venter etc. *k*) Sacculum ad panem gerendum , retis in modum factum. *l*) Inter servos. Notum quid Aesopus olim fecerit. E-

Qui nil portarit. Vel dic, quid referat *a*) intra
Naturae fines viventi, iugera centum, aut
Mille aret? At suave est *b*) ex magno tollere acervo.
Dum *c*) ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut, tibi *d*) si sit opus liquidi *e*) non amplius urna,
Vel cyatho, et dicas: Magno de flumine mallem,
Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere. Eo fit *f*),
Plenior ut si quos delectet copia iusto,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantulo eget, quanto est opus, is neque limo

ius herus iter adornabat, ducebatque secum familiam, venales suum quisque gestabant onus, partem aliquam domesticae suppellectilis. Aesopus, licet brevi et imbecillo corpore, ingentem sibi reliculum panis gestandum sumpsit, ridentibus initio sociis, ad extremum tamen admirantibus, cum eum in dies onere levari animadverterent, pane paulatim consumpto, et comeso.

a) Quid intersit illius, qui paucis contentus est, et naturae necessitate, non avaritiae libidine, sua vota definit, utrum aret centum, an mille iugera? *b*) Id obiicit avarus. *c*) Horatii responsio. Modo ego tantundem e parvo acervo sumam, quantum tu e magno; cur laudes ingentia tua horrea, prae nostris exiguis cumeris? Est cumera vas parvum vimineum, aptum condendo frumento, et aliis rebus id genus. *d*) Exempli causa, si indigeres aquae urna tantum, aut calice; id est, si indigeres aqua tanta, quantam capere urna, vel scyphus potest; ac diceres: Malo sumere ex ingenti flumine etc. merito ridendus esses: sic etc. *e*) Liquidum in neutro posuit, pro substantivo, liquor, aqua. *f*) Hinc accidit, ut qui amant copiam superfluam, qui e flumine aliquo copioso et uberiore malunt bibere, v. g. Aufido (est Apuliae fluvius praeceps ac rapidus) eos, cum parte ripae avulsa cadentes, flumen saepe auferat, hauriat.

Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona *g*) pars hominum decepta cupidine falso *h*),
Nil satis est, inquit, quia tanti *i*) quantum habeas, sis.
Quid facias *k*) illi? iubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit. Ut quidam memoratur Athenis
Sordidus *l*) ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat *m*) at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus *a*) a labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides *b*)? mutato nomine *c*), de te
Fabula narratur. Congestis undique saccis

que. Magna cupiditas, nimiae opes, multis fraudi et exitio sunt. *g*) Magna. *h*) Quia suam avaritiam excusant gloriae cupiditate; cum revera non gloriam, sed opes ipsi quaerant: ut patet exemplo illius Atheniensis, qui tametsi irrideretur ob avaritiam et contemneretur, ipse sibi plaudebat. *i*) Tanti aestimeris, quantas opes habeas. *k*) Quid agas cum homine sic affecto, ita sentiente? Sane omittas illum, et sinas esse miserum, sua miseria frui; *quatenus*, id est, siquidem libenter, *id facit*, ipse sua miseria delectatur, se ipse miserum dabit. *l*) Avarus. *m*) Explodit, irridet.

a) Postquam ea, quae ab avaris obiiciuntur, refutavit. ostendit iam eos reipsa, licet sibi intus ac domi plaudant, esse miseros, similesque Tantalo, qui sitiens capere avet ac haurire flumina, ab ipsius labris fugientia. De Tantalo, vide Oden penult. Epod. *b*) Inducitur avarus, rident Horatium, quasi bonarum rationum, inopia coactum ad fabulas confugere. *c*) Tu es ille Tantalus, idem ac ille facis: pone tuum nomen pro illius no-

Indormis inhians, et tanquam parcere sacris *d*)
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis,
Nescis quo valeat *e*) nummus, quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius *f*): adde *g*),
Queis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare *h*) metu exanimem, noctesque, diesque,
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent *i*) fugientes, hoc iuvat *k*)? Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si *l*) condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te affixit; habes, qui
Assideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet, ac reddat natis, carisque propinquis.
Non uxor salvum te vult, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellae.
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?

mine te res tota, et fabula ista conveniet. *d*) Tanquam a rebus sacris abstinere. *e*) Quis nummorum esse usus fractusque debeat? Is est nempe, ut amatur panis etc. *f*) Mensura capiens cyathos, seu calices communes 12. sexta pars congii. *g*) Adde res humanae vitae et naturae necessarias: quas illi si neges, merito doleat. *h*) Aut putas eo valere nummos, idcirco tibi datos, ut vigiles metu exanimis etc. *i*) Spolient. *k*) Hoccine te delectat? haeccine tandem est opum utilitas? *l*) Verba sunt avari: At habebo, qui mihi aegrotanti assideat, evocet medicum, ut me lecto suscitet, ac revocet morbo. Falleris, respondet Horatius: nemo te salvum cupit, non uxor etc.

At si cognatos *m*), nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis, servareque amicos,
Infelix operam perdas: ut si quis asellum
In camo doceat parentem currere fraenis.
Denique sit finis quaerendi *a*); cumque *b*) habeas plus
Pauperiem metuas minus, et finire laborem
Incipias, parto *c*) quod avebas: nec facias quod
Umidius quidam (non longa est fabula) dives *d*),
Ut metiretur nummos, ita sordidus, ut se
Non unquam servo melius vestiret: ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus *e*)
Opprimeret, metuebat: at hunc liberta securi
Divisit *f*) medium, fortissima *g*) Tyndaridarum.
Quid mi igitur suades? ut vivam *h*) Maevius, aut sic,

m) Ordo est: At si velis retinere, nullo labore, cognatos, quos tibi dedit natura, idest, eorum amicitiam conservare, nihil agendo, nullum sumptum eorum causa faciendo; id nunquam assequeris: quemadmodum nemo potest docere asellum currere in campo fraenis parentem, id est, obedientem. Indociles vulgo asini sunt et pervicaces: itaque fraenari commode, et ad campestrem decursionem fingi nequeunt.

a) Opes congerendi. *b*) Siquidem habes plura, cum rebus plurimis abundes; vide ut in minore paupertatis metu sis. *c*) Siquidem comparatis. *d*) Ita dives, ut nummos non, ut fit, numeraret, seu eorum acervos metiretur. Vel, qui idcirco tantum videbatur esse dives, ut nummos metitur, non ut iis uteretur. *e*) Ciborum. *f*) Eum interfecit, ac secuit in duas partes. *g*) Non secus; ac si fuisset altera Clytemnestra, Tyndari filia, quae Agamemnonem interemit, securi in caput impacta. Porro ea vox, *Tyndaridae*, liberos Tyndari significat. *h*) An mihi suades ut vivam instar Maevii, aut sicut Nomenta-

Ut Nomentanus? Pergis *i)* pugnantia secum
Frontibus adversis componere. Non ego, avarum
Cum veto te fieri , vappam *k*) iubeo , ac nebulonem.
Est inter Tanaïm *l*) quiddam , socerumque Viselli.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo;nemon *a*) ut avarus
Se probet, at potius laudet diversa sequentes!
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat ? neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet ; hunc atque hunc superare laboret ?
Sic festinanti semper locupletior obstat:

nus? (duo erant famosi nepotes ac prodigi). *i*) Respondet Horatius : At tu pergis male ratiocinari : et coniungis simul duas res plane oppositas, nempe avaritiam cum prodigalitate , luxum istorum ganeonum, cum honesta frugalitate , ad quam te hortor, dum ab avaritia deterreo. Componi adversis frontibus proprie dicuntur gladiatores pugnaturi. *k*) Nebulonem , belluonem. Proprie est vappa vinum acescens ac fugiens. *l*) Discrepant inter se duo illi , quos probe nosti , Tanais et Visellii socer. Si alteri sis dissimilis , non continuo alteri similis eris ; (laborabant illi aliquo opposito corporis vel animi morbo) v. g. alter caecus, alter cocles erat aut alter sumptuosus et lautus ; alter praeparcus et sordidus ita si avarus esse desinas . non continuo sis oportet effuse prodigus et ganeo.

a) Mirantis est et indignantis : Qui fieri tandem potest, ut avari sua sorte contenti non sint (quod initio dicebam) , et tabescant, quod vicini capellae suis sint pinguiores ? neque id secum reputent , quam multis pauperibus ditiores lautioresque sint ; sed quam paucis divitibus pauperiores ; e quibus hunc atque hunc superare opibus laborent? Sic festinantibus ditescere occurrit semper aliquis ditior ; qui homines urat ac

Ut, cum carceribus *b*) missos *c*) rapit ungula *d*) currus,
Instat *e*) equis auriga suos vincentibus, illum *f*)
Praeteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit *g*), ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, et exacto contentus tempore vitae,
Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.
Iam satis est: ne me Crispini *h*) scrinia lippi
Compilasse *i*) putes, verbum non amplius addam.

SATYRA II. *Dum improbi vitia quaedam fugiunt, incidunt in contraria.*

AMbubaiarum *k*) collegia *l*), pharmacopolae *m*),
Mendici, mimae, balatrones *n*), hoc genus omne
Moestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli *a*),

moretur. *b*) Carceres, locus ille dicitur, seu repagulum, ex quo in Circum equi admittuntur, et currere occipiunt. *c*) Emissos. *d*) Equi ungula praediti. *e*) Eos urget, a quibus vincitur; eos antevertere nititur. *f*) Contemnens, et non respiciens alios, quo praeterit, qui in extremo currunt pulvere; sed illos tantum, qui antecedunt, a quibus sui equi vincuntur. *g*) Ordo est: inde fit, ut raro queamus reperire hominem, qui se dicat etc. *h*) Erat Stoicus, Philosophus, et Poeta, multorum librorum, exigui iudicii. *i*) Scrutatum ac furatum esse. Scrinium est, cista, capsula, in quam abduntur cartae etc. *k*) Tibicinarum; a Syra voce *ambub*, quae tibiam significat. *l*) Coetus, sodalitates. *m*) Unguentarii, pigmentarii, unctores et balneatores. *n*) Scurrae, ac parasiti; a baratro, una litterula mutata dicti, quod in ventris baratrum omnia demittant: vel, a Servilio Balatrone, uno ex illis in primis famoso, de quo saepe Horatius.

a) Tigellius natione Sardus, artis musicae peritus, et non infacetus scurra, gratus Augusto fuit, magnasque collegit

Quippe benignus *b*) erat. Contra hic *c*), ne prodigus esse
Dicatur metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem depellere possit.
Hunc si percuncteris, avi cur atque parentis
Praeclaram *d*) ingrata *e*) stringat *f*) malus ingluvie rem,
Omnia conductis *g*) coemens obsonia *h*) nummis:
Sordidus *i*) atque animi quod parvi nolit haberi,
Respondet: laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius *k*) vappae famam timet ac nebulonis
Dives agris, dives positis in foenore nummis.
Quinas hic capiti *l*) mercedes *m*) exsecat *n*) atque

opes, quas male profudit. *b*) Liberalis, commodus. *c*) Alius quispiam, metuens ne dicatur esse prodigus etc. *d*) Amplas opes. *e*) Amputet, imminuat. Legitur et, *frangat*. *f*) Pari, maioribus: quorum opes, frugalitate et artibus bonis bene partas, malis comessationibus male perdat: vel, ingrata, id est, ex qua nullum capiat fructum: unde nil ipsi restet. *g*) Mutuo acceptis, foenori sibi datis, pro quibus mercedem solvere debeat. *h*) Cibaria, dapes. *i*) Respondet id se facere, quod nolit haberi sordibus etc. *k*) Fufidius foenerator, licet agros opimos habeat, licet ingentem quaestum ponendis in foenore nummis faciat, quinasque mercedes capiti exsecet etc. tamen parce vivit ac duriter, timens ne vappa, id est, prodigus ac nebulo habeatur. *l*) Summae integrae, foenori datae; quae sors etiam dicitur. *m*) Usura: usura enim est merces pecuniae mutuo datae, et quasi fructus. *n*) Adimit ab integra summa v. g. dat mutuos centum nummos, ea lege, ut, exacto menses quinque nummos lucretur pro mercede: ac forte non toto, nummos centum dat, sed ex illis demit quinque, ac pro foenore

Quanto *o*) perditior quisque est, tanto acrius urget.
Nomina *p*) sectatur *q*), modo sumpta veste virili *r*)
Sub patribus duris tironum. Maxime *a*), quis non
Iupiter, exclamet, simul atque audivit? At in se *b*)
Pro quaestu sumptum facit? Hic! vix credere possis
Quam sibi non sit amicus: ita ut pater ille *c*), Terenti
Fabula quem *d*) miserum nato vixisse fugato
Inducit, non se peius cruciaverit, atque hic *e*).
Siquis nunc quaerat, quo res haec *f*) pertinet? illuc?

in antecessum, sumit. *o*) Quanto quisque est luxu perditior ac profligatior, tanto acrius illum urget Fufidius, et graviori foenore mactare properat ac perdere. *p*) Sententia est: ambit ac studet in primis foenerari tironibus, amat debita tironum, id est, adolescentium, qui nuper sumpsere vestem virilem, qui nondum satis habent experientiae ac prudentiae, ut sibi a malis foeneratorum artibus caveant; qui sunt in potestate patrum duorum, a quibus cum nihil accipiunt pecuniae, mutuam sumunt a foeneratore, magna mercede promissa. *q*) Vox ea saepe sumitur pro aere alieno, quia debitores nomen suum scribunt in syngrapha, in Codice Argentarii. *r*) Sumebatur anno 17. quo deponebatur Praetexta.

a) Ordo est: quis non exclamat, O maxime Iupiter! simul atque audivit haec a Fufidio fieri. *b*) At, inquiet aliquis, iste Fufidius, in se, id est, in suo victu, vestitu, etc. sumptum facit pro quaestu, id est, accommodatum tanto quaestui, nempe ingentem et lautum? Hic vero (respondet Horatius, vel quilibet alius) vix credas quam parum sibi indulgeat. *c*) Heautontimorumenus, sive, Menedemus. *d*) Qui inducitur in Comoedia Terentiana seipse discrucians, et puniens, quod acerbitate sua filium domo propulisset etc. Vide notas in Terentium, qui nuper expurgatus a nobis prodiit. *e*) Quam hic foenerator etc. *f*) Quod mihi istis velim, quorsum haec at-

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt:
Pastillos *g*) Rufillus olet, Gorgonius hircum *h*).
Nil medium est *i*).

SATYRA III. *Aliena pervidemus vitia, nostra ignoramus. Multa sunt amicis comiter ignoscenda, neque omnia, ut Stoici docent, in scelerum numero ponenda.*

OMnibus *k*) hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum *l*) cantare rogati?
Iniussi nunquam desistant. Sardus *a*) habebat
Ille Tigellius hoc. *b*) Caesar *c*), qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris *d*), atque suam, non
Quidquam proficeret: si collibuisset *e*), ab ovo *f*)

tulerim? *g*) Quidam, ut Rufillus, odores semper suaves efflant, ob pastillos, quos assidue in ore habent. Pastilli sunt offae quaedam, instar exiguorum panum, interdum planae, alias rotundae, ex odoratis succis confectae etc. Alii, ut Gorgonius, semper olent hircum, id est, efflant odorem tetrum ac virulentum; quia sunt obsoleti semper, incompti et squalidi, semper in paedore et sordidus. *h*) Est odor gravis, qui sub axillis nascitur, ob sudorem incoctum; ita dicitur ab hirco, animali admodum olido. *i*) Nesciunt consistere in medio; in quo tamen virtus. *k*) Incipit a cantorum et Tigelli cuiusdam insectatione: mox velut e media audientium turba sibi opponit adversarium quaerentem, an ipse, qui alios tam libere insectatur, immunis ab omni vitio sit? Qua ex interrogatione totius sermonis occasio bellissima nascitur. *l*) Velint, exorari patiantur ut canteat.

a) Natus in Sardinia, insula prope Italiam, ad Siciliae latus. *b*) Hoc vitio laborabat. *c*) Augustus. *d*) Iulii Caesaris, a quo adoptatus fuerat. *e*) Si libido cum cantandi cepisset. *f*) Per totam coenam. Hanc enim ducebant ab ovis, finiebant

Usque ad mala citaret *g*), Io Bacche *h*), modo summa *i*)
Voce, modo hac, resonat quae chordis quatuor, ima.
Nil aequale *k*) homini fuit illi: saepe velut qui
Currebat fugiens hostem; persepe velut qui
Iunonis sacra ferret: habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos: modo Reges, atque Tetrarchas *l*),
Omnia magna loquens; modo, Sit mihi mensa tripes et *m*)
Concha *n*) salis puri, et toga, quae defendere frigus,
Quamvis crassa, queat. Decies *o*) centena dedisses
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis *p*). Noctes vigilabat ad ipsum

in pomis et fructibus. Hinc *ab evo aliquid narrare*, id est a primo initio rem repetere. *g*) Clara et alta voce caneret. Unde, *recitare*; est, palam, et clare dicere. *h*) Initium est Bacchicae et potoriae cantilenae. *i*) Acutissima. *Ima* gravi et depressa. Ordo est: modo canebat alta voce, modo hac ima, quae resonat, sive, contra sonat ac respondet chordae imae in instrumento chordarum quatuor; Sententia est, Tigellium organo illi suo quod tetrachordon erat voce accinentem, ita temperasse sonos ut chordae acutae vocem acutam, imae imam accommodaret. *k*) Perigit insectari Tigellium. Erat homo inconstantissimus: saepe currebat velut qui fugit hostem; saepe lento et composito passu incedebat, velut qui, perinde ac si Iunonis sacra vasa et fercula imposita capiti deferret in publica supplicatione. *l*) Rege est minus Tetrarcha, eum sonat, qui quartam regni, aut ditionis partem obtinet. *m*) Loquens; quasi Regum illorum amicus intimus foret. *n*) Salinum nitidum ex concha, aut concha in morem factum. *o*) Si dedisses Tigellio, qui modo parsimoniam tantopere laudabat, decies centum millia sestertiorum; post dies quinque omnia

Mane, diem totum stertebat: nil fuit unquam
Sic impar sibi *q*). Nunc aliquis dicat mihi ; Quid tu ?
Nullane habes vitia ? Imo *r*) alia, haud fortasse minora.
Maenius absentem Nevium cum carperet : Heus tu ,
Quidam ait , ignoras te ? an ut ignotum dare nobis
Verba putas ? Egomet mi ignosco , Maenius inquit.
Stultus , et improbus hic amor *a*) est , dignusque notari *b*):
Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis *c*),
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum ,
Quam aut aquila *d*) , aut serpens Epidaurius *e*) ? At tibi contra

vir ille parcus decoxisset, absumpsisses. *p*) Crumena. *q*) Dissimile , discrepans a scipso. *r*) Respondet Horatius ; Fateor, habeo mea quoque vitia , et fortasse maiora , Tigelli, quem carpo vitiis ; neque id facio , quod Maenius ; qui cum absentem Nevium vituperaret diceretque illi nonnemo qui aderat. Heus tu an te ignoras , an tibi ipse ignotus es ? an speras non fallere , et latere ? probe te novimus , et ipso Nevio peiorem esse scimus : Maenius respondit se quidem alios carpere libenter ac liberaliter ; at sibi ignoscere , de scipso tacere , secum lenius agere.

a) Quo nobis, ut Maenius, omnia ignoscimus. *b*) Reprehendi. Notabant proprie Censores civem , quidquid deliquisset. *c*) Aliquo unguento et collyrio delibutis , quo acies oblimatur vel lippientibus. *d*) Aquilae, et dracones , acerrima sunt oculorum acie. *e*) Sacer Aesculapio , medicorum Deo praesuli qui Epidauri (est urbs Graeciae in Peloponneso) praecipue colebatur. Idcirco autem serpens Aesculapio sacer est ; quia serpens ad multa remedia utilis est. Adde ex historia Romana , quod cum pestilentia Romae laboraretur , responsum est ab oraculo , ita salvos cives fore , si e Graecia Aesculapium adveherent. Legati Epidaurum cum triremo sunt profecti ;

Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi *f*).
Iracundior *g*) est paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum *h*): rideri possit, eo quod
Rusticus tonso toga defluit, et male laxus
Impede calceus haeret. At est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique teipsum
Concute *a*), num qua *b*) tibi vitiorum inseverit *c*) olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque *d*)
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc *e*) praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec

factumque est ingens anguis ab triremem adnaverit, seque in puppi composuerit in gyrum: quem illi cum Aesculapium putarent esse, Romam in triumpho duxerunt. *f*) Ut illi, quos carpis, tua quoque vitia investigent. *g*) Est aliquis paulo ad iram propensior quam par sit, ineptus ad congressus hominum dicacium, quorum scommata ferre non potest; iure illum irrideas, quia non est eleganter et scite tonsus, et habet togam male compositam, et ab una parte male pendentem etc. Esto: at vir est bonus, ut nemo sit eo melior, at est amicus tuus: at ingenium cultum in corpore inculto gerit, cur illi non ignoscas. *h*) Qui nunc vivunt, vel certorum, quibuscum versatur.

a) Examina, expende. *b*) Num aliqua vitia. *c*) Ingeneraverit, indiderit. *d*) Ferax vitiosum est natura corrupta, nisi evellatur. Sic sua sponte nascuntur in agris incultis filices, et paliuri. *e*) Illud ante omnia faciamus: imitemur eos qui amant, quique veluti coecutiunt in earum vitiis, quas amant. Ita Plut. in Milite: *Hoc primum praeverti decet*, id est, ante caetera omnia fieri. Vel, sententia est: omittamus nunc tua

Delectant, veluti Balbinum polypus *f*) Agnae
Vellem in amicitia sic erraremus; et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater ut nati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire. Strabonem *g*)
Appellat paetum *h*) pater; et pullum *i*), male parvus *k*)
Si cui filius est; ut abortivus *l*) fuit olim
Sisyphus *m*) hunc varum *n*) distortis cruribus, illum
Balbutit scaurum *o*) pravis fultum male talis:
Parcius hic vivit; frugi dicatur; ineptus
Et iactantior hic paulo est: concinnus amicis

vitia executere: illud potius consideremus, quo amatores excusant et ignorant fere vitia amicarum, illosque imitemur. *f*) Narium morbus, cum caro intus crescens, et in multos ramulos divisa, nares obstruit, dictus a polypo, pisce quodam; qui multis fibris, tanquam pedibus nititur; de quo Plin. lib. 9. c. 20. *g*) Qui oculos distortos habet. *h*) Cui oculi nictantes et semiclausi sunt. Strabo est oculis plane distortis, inquit Porphyrius: paetus, leviter declinatis. *i*) Pusillum. *k*) Supra modum parvus. *l*) Ante tempus solitum, et imperfecte natus. *m*) Puer, Antonii Triumviri pumilio, duos pedes altus, vafer et subdolus, atque ideo dictus Sisyphus, qui fuit Aeoli quondam filius, a Theseo interfectus homo vaferrimus. *n*) Alius filium suum, qui est distortis foede cruribus, appellat varum. Est autem varus, is qui crura introrsum versa et arcuata habet, sicut valgus, qui crura extrorsum versa, et recedentes a se invicem suras. Varus autem, etsi vitiosum aliquid significat, mollius tamen est vocabulum, et cognomentum multorum Romanorum nobilium. *o*) Idem pater alium suum filium, qui talos habet vitiose compactos, balbuit, id est, balbutiendo appellat, tremula et fracta voce dicit esse scaurum. Scauri vocantur, qui vitio aliquo talorum laborant, quibus inflexo et inverso talo pedes distorti sunt; qua ex voce factum olim cognomen nobilissima e Romanorum familiae.

Postulat *a*) ut videatur: at est truculentior, atque
Plus aequo liber; simplex *b*), fortisque habeatur.
Caldior est; acres inter numeretur. Opinor,
Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus *c*); atque
Sincerum *d*) cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit; multum est demissus *e*) homo: illi
Tardo cognomen pingui *f*) damus. Hic fugit omnes
Insidias, nullique malo *g*) latus obdit *h*) apertum,
Cum genus *i*) hoc inter vitae versetur, ubi, acris
Invidia, atque vigent ubi crimina; pro bene sano,
Ac non incauto, fictum, astutumque vocamus.
Simplicior si quis (qualem *k*) me saepe libenter

a) Videri expetit, haberi vult urbanus in amicos, elegans et festivus. *b*) Qui candide quid sentiat cloquitur, et sine ambagibus. *c*) Ipsas virtutes in vitia quasi vertimus, vitia interpretamur, vitiorum nomine donamus. *d*) Cum vasa erant male cocta, vel aliquid in iis erat odoris mali, liniebantur intus oleo quodam et glutine: unde fiebat incrustatio quaedam et tectorium in ipso vase; non vero cum erant proba et sincera, id est, pura, incorrupta. Sententia est: non actiones bonas et dotes amicorum inquinamus, eas vitiorum nomine inducendo, et obliniendo. *e*) Abiectus, exigui animi. *f*) Pinguem, et crassum vocamus eum, qui paulo est tardior ac segnior. *g*) Insidiis, periculo. *h*) Offert, detegit. Metaphora sumitur a gladiatoribus, qui cavent inter pugnandum, ne quis pateat in suo corpore vulneri locus. *i*) Quia cum hominibus eiusmodi versatur, est in eo vitae genere et instituto, ubi multi sunt invidi, multi delatores, criminatores. *k*) Qualis fieri facile potest ut ad te

Obtulerim tibi, Maecenas) ut forte *l*) legentem
Aut tacitum impellat, quovis sermone molestus;
Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu,
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequum est,
Cum mea *a*) compenset vitiis bona, pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet *b*), amari
Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.
Qui, ne *c*) tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius: aequum est *d*)
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

accesserim, o Maecenas, importune me tibi obtrudens. Libenter, in hoc loco, idem est, ac parum considerate; cum voluntati plus et indoli tribuitur; quam iudicio et prudentiae. *l*) Adeo ut amicum, qui quid legat, qui sileat, interpellet; eique in omni sermone sit molestus, compellendo et obstrependo.

a) Transpositio: compenset mea bona cum vitiis meis; suppleat, excuset, vitia virtutibus. *b*) Faveat. Amet me ob bona plura, potius quam oderit ob mala pauciora et vitia; par pari referam, et eadem utar in eum trutina. *c*) Qui cupit ut amicus ignoscat suis tuberibus, id est, gravioribus peccatis: ille verrucis amici, hoc est, levioribus vitii ignoscat. Verruca, est caruncula durior, quae interdum in digitis excrescit, vel fronte, instar tuberculi. *d*) Decet eum, qui poscit veniam sibi dari et suis peccatis, eam vicissim

Denique, quatenus *e*) excidi penitus vitium irae,
Caetera item nequeunt stultis *f*) haerentia; cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
Ut quaeque est *g*) ita suppliciis delicta coercet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere *h*) iussus,
Semesos pisces tepidumque ligurierit *i*) ius,
In cruce suffigat; Labeone *k*) insanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc *l*) furiosus, atque
Maius peccatum est? paulum deliquit amicus,
Quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus;
Odisti, et fugis, ut Drusonem *m*) debitor aeris;
Qui nisi, cum tristes misero venere Calendae *a*)
Mercedem *b*) aut nummos *c*) unde unde *d*) extricat, amaras
Porrecto iugulo historias *e*) captivus ut, audit.

donare alteri, et alienis vitiis ignoscere. *e*) Ad extremum, si quidem ira, atque alia vitia, hominibus insita, poenitus eradicari nequeunt etc. Concludit esse partim in aliis ferenda et condonanda, partim corrigenda moderare, et pro ratione culpae; quae alias levior, alias gravior est, non semper eadem et par, ut Stoici volebant; contra quos, hac arrepta occasione, disputat extrema tota Satyra. *f*) Ita Stoici vocabant omnes, qui sapientes, et virtute praediti non essent. Vide Ciceronem in Paradoxis. *g*) Ut quaeque culpa est; seu levis, seu gravis. *h*) E mensa. *i*) Digitis linguendo, aut lambendo lingua, hauserit. *k*) M. Antistius Labeo, iurisconsultus peritus ille quidem, ut Augusto infensus, in quem multa dixerat proterve. *l*) Quanto hoc tuum factum furiosius est, quanto gravius peccas, quam ille dominus; cum amicum odisti, ob leve delictum, quod nisi condones, merito dicaris insuavis? etc. *m*) Foeneratorem aliquem, eumdemque pessimum historicum aut Gerronem.

a) Quia Calendis usurae solvebantur. *b*) Usuram. *c*) Caput, sive sortem. *d*) Aliunde parat, extunditque. *e*) Fabulas

Comminxit *f*) lectum potus, mensave catillum
Evandri *g*) manibus tritum deiecit; ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide *h*) sponsumve *i*) negarit?
Queis paria esse fere placuit *k* peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus, moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas, iusti prope mater *k*) et aequi.
Cum *l*) prorepserunt primis *m*) animalia terris,

insulsas, aut historias, quas ille Druso ipsi denarrabat, et quas audire cogebatur, ut captivus; porrecto iugulo, id est, attentissime, ut solent, qui se arrigunt ad audiendum: vel, quasi enecandus molesta narrationum anilium recitatione. Vide ultimos versus Artis Poeticae; ubi molestus recitator hominem tenere legendo et occidere dicitur. *f*) Amicus tuus, bene pransus et potus, lotio lectum foedavit, in quo ad mensam accumbebat. *g*) Adeoque antiquum, et fragilem. Evander Aeneam olim hospitio exceperat. Vide Virg. *h*) Arcana. Fide, pro fidei, ut apud Virg. die, pro diei etc. *i*) Inficiatus sit aliquod promissum, solemni formula et stipulatione factum. *k*) Stoici, qui aiunt omnia peccata esse paria, laborant, id est, difficiles se expediunt, opinionem suam tueri commode nequeunt, cum ipsa rei veritas expenditur: huic enim Stoicorum placito repugnat ipse communis hominum sensus; qui aliter vulgo existimant; mores etiam et consuetudo adversantur, denique utilitas; quia utile est, non esse paria peccata, neque pares omnibus poenas irrogari; ut homines a gravioribus flagitiis deterreantur poenarum graviorum metu. *l*) Ob utilitatem enim, et ad conservandum suum cuique ius, inventae sunt leges. *m*) Paria esse peccata idcirco affirmabant Stoici, quod

Mutum *n*) et turpe pecus, glandem, atque cubilia propter
Unguibus, et pugnis dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,
Donec verba, quibus voces, sensusque notarent,
Nominaque invenere: dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire, et ponere leges,
Ne quis fur esset, non latro, neu quis adulter,
Nam fuit ante Helenam mulier teterrima belli
Causa: sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos, Venerem incertam rapientes more ferarum,
Viribus editior *a*) caedebat, ut in grege taurus.
Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si, fastosque *b*) velis evolvere mundi.
Nec natura *c*) potest iusto secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis: fugienda petendis:

iustum, et iniustum in natura ipsa fundatum esset; quae natura cum eadem in omnibus hominibus reperiretur, erat aedem quoque dignitas iusti, et iniusti gravitas. Horatius negat iustum ab natura oriri, sed ab legibus, quarum originem altius repetit, et ab utilitate publica, quae quid iustum, et iniustum sit, maxime demonstravit. *m*) Recens creatis. Cum in terram homines primo emerserunt. *n*) Homines, instar mutarum pecudum, propter glandem, qua una tum vescebantur, pugnabant, primo pugnis, et unguibus, deinde fustibus, postremo armis.

a) Qui potentior erat: viribus superior. *b*) Annales, Fasti, libri erant, in quibus Romani describebant ea, quae toto anno fierent; ponebatur initio nomen Consulum. Ea vox interdum pro quodam Calendarii genere ponitur. *c*) Natura sola per se

Nec vincet *d*) ratio hoc, tantundem ut peccet, idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divum sacra legerit *e*). Adsit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas:
Ne scutica *f*) dignum, horribili sectere flagello;
Nam ut *g*) ferula caedas meritum maiora subire
Verbera, non vereor; cum dicas esse pares res
Furta latrociniis, et magnis parva, mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives *a*) qui sapiens est,
Et sutor bonus, et solus formosus, et est Rex,
Cur optas quod habes? Non nosti quid Pater, inquit,

non potest, sine legum adminiculo, iustum ab iniusto discernere: quemadmodum sola per sese dividit, et distinguit ea quae animali cuique bona, et utilia sunt, ab iis quae sunt diversa, id est, mala et noxia. *d*) Probabit. *e*) Furatus sit: hinc sacrilegus. *f*) Loro leviori. *g*) Non enim vereor ne caedas tantum ferula eum qui meritus sit subire maiora supplicia. scis te id non facturum: non futurum adeo lenem: quippe qui paria putes esse furta latrociniis (furta fiunt clam; latrocinia palam, et atrocius) et mineris te recisurum, id est, emendaturum simili falce, hoc est, iisdem poenis parva peccatu magnis, idest, aeque atque magna. Vox, idem, similis etc. cum dandi casu saepe iungitur, more Graecorum. Noto hic dici posse, *vereor ut hoc facias*, pro ne facias, contra vulgarem grammaticorum regulam: vel, esse recurrendum ad ingeniosam explicationem Lambini, nempe, particulam ut non esse cum verbo *vereor* coniungendam: sed totam illam, quae antecedit, orationem suo loco, et separatim legendum esse, hoc modo: *nam ut ferula caedas eum, qui maiora verbera subire meritus sit, non vereor*, subaudi, *ne id facias*.

a) Arripit, exagitatque postremam hanc Stoici voculam, *si*

Chrysippus *b*) dicat : sapiens crepidas sibi nunquam ,
Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens: quo?
Ut , quamvis *c*) tacet Hermogenes *d*), cantor tamen , atque
Optimus est modulator : ut Alfenus *e*) vafer , omni
Abiecto instrumento artis, clausaque taberna,
Sutor erat : sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus , sic Rex. Vellunt *f*) tibi barbam
Lascivi *g*) pueri ; quos tu nisi fuste coerces ,
Urgeris turba circum te stante , miserque
Rumperis *h*) et latras , magnorum maxime Regum.
Non longum faciam, dum tu quadrante *i*) lavatum
Rex ibis , neque te quisquam stipator *k*), ineptum
Praeter Crispinum, sectabitur ; et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccavero stultus *l*), amici,

tibi regnum permittant homines , si te Regem creare velint : Cur id optas , nempe Rex esse, o Stoice, iam Rex es, siquidem qui sapiens est, solus est, dives, sutor, Rex. *b*) Zenonis auditor, Stoicae sectae philosophus : quam in multis auxit , et interpolavit. *c*) Responsio Stoici ; quemadmodum Hermogenes optimus est cantor, quamvis taceat : ut Alfenus erat optimus sutor, licet non tractaret reipsa subulam , et sutrinam haberet clausa : sic etc. *d*) Hermogenes Tigellius erat Augusti cantor, diversus ab Tigellio Sardo, quem in Satyrae limine mortuum ponit. *e*) Antea sutor postea iurisconsultus Romae clarissimus, et Consul ; Catullo, et Virgilio amicissimus. *f*) Probat non esse Regem , qui haec a pueris patiatur. *g*) Protervi , procaces. Philosophi quidam, ut Cynici, Romae ludibrio, etiam pueris, erant. *h*) Clamando. *i*) Merces, publicis balneatoribus dari solita, quadrans erat, id est, quarta pars assis ; exigua moneta aerea. *k*) Comes : proprie stipatores dicuntur illi milites, qui Regum latera protegunt armati. *l*) Per imprudentiam: vel

Inque vicem illorum patiar delicta libenter;
Privatusque magis *m*) vivam te Rege beatus.

SATYRA IV. *Se, primum, deinde Satyricos Vatis excusat.*

EUpolis *a*) atque Cratinus *b*) Aristophanesque *c*) poetae,
Atque alii, quorum Comoedia *d*) prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus *e*) multa cum libertate notabant.
Hinc *f*) omnis pendet Lucilius *g*) hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus *h*), numerisque, facetus,

forte, quia Stoici eos omnes, qui quid peccarent, stultos vocabant. *m*) Magis beatus, felicior te, qui tuo iudicio Rex es.

a) Poeta Comicus Graecus, qui populo in primis carus et in carpendis vitiis liberrimus fuit. *b*) Atheniensis; floruit tempore belli Peloponnesiaci; homo vinosus, et gulae deditus. *c*) Haud ita multo post Cratinum floruit: extant eius Comoediae facetissimae: Socratem maxime exagitavit. *d*) Olim Comoedia nil aliud erat, quam carmen quoddam, a rusticis, confecta vindemia, in honorem Bacchi recitari solitum: mox inventae, et additae personae; iactata in obvios convicia: notati etiam amaro ioco certi homines, invisi vulgo: quae libertas deinde vetita legibus fuit, cantumque deinceps ne quis in Comoedia describeretur, et nomine appellaretur. Huic veteri Comoediae nova, et modestior successit, in qua, fictis argumentis, et personis, quotidiani mores describuntur. Vide Horat. in Arte Poetica. Ordo autem hic est: Eupolis, Cratinus etc. et alii Poetae quorum est prisca Comoedia, id est, qui in ea floruerunt, notabant multa cum libertate, si quis erat dignus describi, id est, palam carpi, et vituperari. *e*) Infamis. *f*) Eos imitatur, et quasi vestigiis sequitur. *g*) Primus Latinae Satyrae auctor, natus Auruncae in Italia. *h*) Quia scripsit Hexametris, cum illi Poetae Iambicis

Emunctae naris *i*), durus *k*) componere versus,
Nam fuit hoc *l*) vitiosus, in hora saepe ducentos,
Ut magnum *m*), versus dictabat, stans *n*) pede in uno
Cum flueret *o*) lutulentus; erat quod tollere *p*) velles:
Garrulus *a*) atque piger scribendi ferre laborem;
Scribendi recte, nam ut multum, nil moror. Ecce
Crispinus minimo me provocat. Accipe, si vis,
Accipe iam tabulas *b*): detur nobis locus horas,
Custodes *c*) videamus uter plus scribere possit,
Dii bene fecerunt, inopis me, quodque pusilli

usi sint. *i*) Prodenter salsus, urbanus. Nasus longior, et acutus, salsos, et dicaces arguit, emunctus, diligentes et accuratos. *k*) In aptandis versuum pedibus concinnandisque e numeris parum diligens; asperior, et agrestior. *l*) Ob hoc, ideo. *m*) Ratus se rem magnam praestare, difficilem et egregiam. *n*) Brevissimo tempore: nemo enim diu pede niti uno potest. *o*) Et tamen illius versus erant obsoleti, atque incompti.. Flumini similis erat ipse, quod lutulentas aquas volvit. *p*) Erat aliquid dignum quod tolleretur, luctu dignum et notatu.

a) Lucilius affutiebat multa temere, et componendi laborem aegre ferebat, componendi recti, inquam: nam nil moror, parum curo, ut aliquis multum componat: parvi momenti est, quantum quis scribat; refert autem quam recte et ornate. Ecce Crispinus, Poeta Lucilio in ea re simillimus, me uno digitulo, et minimo scribendum provocat: Accipe, Horati, inquit, tabulas, etc. Pugiles et gladiatores, cum ad pugnam provocarent adversarium, quem quidem ipsi contemnerent, cum uno digito porrecto solebant provocare quasi hominem uno digito delecturi, et prostraturi. *b*) In tabulis ligneis, cera obductis, scribebant Romani. *c*) Qui observent, ne aliena utamur opera,

Finxerunt *d*) animi raro et perpauca loquentis
At tu *e*) conclusas hircinis *f*) follibus auras
Usque laborantes *g*) dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius *h*), ultro
Delatis capsis, et imagine, cum mea *i*) nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis, ob hanc rem
Quod sunt, quos genus hoc *a*) minime iuvat *b*), utpote plures
Culpiti dignos. Quemvis media erue turba:
Aut ob avaritiam, aut misera ambitione laborat.
Hunc capit argentei *c*) splendor: stupet *d*) Albius aere *e*):
Hic mutat merces *f*) surgente *g*) a Sole ad eum, quo

scriptis etc. *d*) Crearunt. *e*) O Crispine, imitare, si mavis, si tibi collibet, tuis versibus turgidis et ambitiosis, follos vento distentos, qui fornacem accendunt, donec igni molliatur ferrum. Arrogantiam Crispini, et eius versuum levitatem notat. *f*) Ex hircino corio factis. *g*) Videntur folles laborare, et anhelare graviter, dum ventum vehementius emittunt. *h*) Nae Fannius beatus est, cui, licet immerenti, ac non petenti, Senatus detulit, obtulit, captas, id est, arculas, et loculos, quibus libri eius in bibliotheca, per Augustum prope templum Apollinis Palatini extructa, reponerentur una cum sua imagine. Clarorum poetarum scripta et imago reponebantur in ea bibliotheca: interdum id honoris dabatur pessimis et immeritis per ambitionem et malas artes: ut illi Fannio, qui extorsit hoc per amicos et adulatores, eius opibus et opimae, ut quidam volunt, haereditati inhiantes. *i*) Fannius, ut captaret hominum famam, recitabat ac venditabat sua carmina; quod Poetis Romae tunc solemne fuit: at ego, inquit Horatius, nec mea legenda, praebeo, et recitare illa in circulis et consensu hominum non ausim, eo quod multi sunt, quos etc.

a) Satyrici carminis. *b*) Delectat. *c*) Signorum, vasorum et argento factorum. *d*) Defixis oculis, animoque, miratur, et concupiscit. *e*) Aereis statuis. *f*) Mercaturam exercet: ea olim tota erat in mercium permutatione. *g*) Ab Oriente usque in Occi-

Vespertina tepet regio: quin per mala *h*) praeceps
Fertur, ut pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat *i*) metuens, aut ampliet *k*) ut remi *l*)
Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
Foenum habet *m*) in cornu, longe fuge: dummodo risum
Excutiat *n*) sibi, non hic cuiquam parcet amico;
Et, quodcumque semel chartis illeverit *o*) omnes
Gestiet a furno redeuntes scire, lacuque *p*),
Et pueros, et anus. Agedum pauca accipe contra *q*)
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas.
Excerpam numero, neque enim concludere *r*) versum
Dixeris esse satis *s*); neque si quis scribat, uti nos,
Sermoni propriora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit *t*), cui mens divinior, atque os

dentem. *h*) Per naufragia, pericula. *i*) De summa perdat, de opibus iam quaesitis imminuat. *k*) Amplificet. *l*) Opes. *m*) Homo est vitandus et perniciosus: similis est bovi cornuperae. Si cuius equus, aut bos, damnum aut malum fecisset, domino mulcta legibus erat indicta, quare, ut ab eiusmodi animalibus sibi caverent homines, solebant domini aliquid signi dare; v. g. cornibus bovis, cornu petere soliti, foenum illigabant etc. *n*) Moveat. *o*) Scriptitaverit, temere in chartam fuderit. *p*) Fonte. Solet autem vulgus frequens esse ad furnos, et fontes. *q*) Contra illos, quibus Satyra displicet. *r*) Certis pedibus includere. *s*) Ut quis Poeta sit. *t*) Ordo est: des illi honorem huius nominis; id est, ille tan-

Magna sonaturum, des nominis huius honorem:
Idcirco quidam, Comoedia, necne *u*) poema
Esset, quaesivere, quod acer spiritus, ac vis
Nec verbis, nec rebus inest; nisi quod *x*) pede certo
Differt sermoni sermo merus. At pater *a*) ardens *b*)
Saevit, quod meretrice nepos *c*) insanus amica
Filius, uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius (et magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus *d*). Numquid *e*) Pomponius illis

tum ornandus est Poetae nomine, qui habeat ingenium et mentem humana quodammodo majorem. *u*) Quaesivere num Comoedia esset poema, necne id est, utrum non esset poema. *x*) Neque aliud est discrimen inter sermonem, nisi quod, nisi quantum et quatenus unus sermo ab alio differt certis pedibus; nisi quod sermo Comicus pedes certos habet, non item vulgaris et popularis.

a) Obiectio est. At enim inquiet aliquis inesse vim quoque et spiritum Comoediae, eamque interdum assurgere; v. g. cum in Terentio, Demea in filium Aeschinum tam graviter et acerbe invehitur, quod dissolutus adolescens, captus insano amore meretriculae, nolit ducere uxorem nobilem et bene dotatam; et quod idem filius suus ebrius per urbem de die ambulet, gestans faces accensas; quod profecto magnum est dedecus et flagitium. *b*) Vel Demea, ut diximus; vel Chremes in Heautont., vel Simo in Andria. *c*) Flagitiosus discinctus. *d*) Ante mulierum, quas adibant, fores, stare solebant cum facibus, et cantitare. *e*) Responsio et solutio est obiectionis. Atqui inquit Horatius pater Pomponii (erat iste dissolutus aliquis adolescens, qui patre mortuo, perditam vitam vivebat; quem Horatius quasi aliud agens nominat et carpit) in familiari sermone eodem modo filium alloqueretur non levioribus cum verbis castigaret, si

Aud iret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris *f*) versum perscribere verbis;
Quem si dissolvas *g*), quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. *h*) His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora *i*) certa, modosque, et quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis:
Non, ut si *k*) solvas, *Postquam discordia tetra*
Belli ferratos postes, partasque refregit,
Invenias etiam disiecti membra poetae.
Hactenus *l*) haec: alias, iustum sit, necne, poema;
Nunc illud tantum quaeram, meritone tibi *sit*
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat, et Caprius *a*), rauci male *b*) cumque libellis *c*)
Magnus uterque timor latronibus: at bene si quis,

viveret, quam Demea Aeschinum. *f*) Claris, bene Latinis. *g*) Quem versum si pedibus suis solvas. *h*) Comicus actor, qui patris personam gerit. *i*) Quantitatem syllabarum; quarum aliae sunt breves, quae breviori tempore pronunciantur; aliae longae, quae longior. *k*) Non inveniens membra disiecti poetae, et quasi lacerati; ut invenies, si solvas hunc Ennii versum, plenus spiritus et ardoris poetici: *Postquam discordia etc.* *l*) Sed haec sane de Satyra et Comoedia dicta sint hactenus; de quibus alias quaeram diligentius et excutiam; an scilicet utraque sit legitimum poema, necne. Nunc id omittam, et quaeram hoc unum a te, an merito Satyram oderis?

a) Acerrimi, et notissimi delatores. *b*) Valde. *c*) In quibus

Et vivat puris *d*) manibus, contemnat *e*) utrumque
Ut sis *f*) similis Coeli , Byrrhique latronum :
Non ego sim capri, neque Sulci : cur metuas me ?
Nulla taberna *g*) meos habeat , neque pila *h*) libellos ,
Queis manus insudet, *i*) vulgi, Hermogenisque Tigelli :
Non recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus
Non ubivis, coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent , sunt multi , quique lavantes ,
Suave locus voci resonat conclusus *k*): inanes *l*)
Hoc iuvat. haud illud quaerentes, num sine sensu ,
Tempore num faciant alieno. Laedere gaudes
Inquis, et hoc studio *m*) pravus facis. Unde petitum
Hoc in me iacis *n*)? est auctor *o*) quis denique eorum

eorum crimina et nomina servabant , quos accusare vellent. *d*) A scelere. *e*) Possit merito contemnere. *f*) Quanquam tu sis Caelio et Byrrhio . famosis latronibus, pene par., ob tuas rapinas , tamen ego non sum Caprii et Sulcii similis , non tam asper , improborum et severus castigator : non prostant meis libris ambitiose in bibliopolarum foribus etc. *g*) Officina libraria. *h*) Postis , vel columna , ubi libri venales affigi solent , aut prope quas bibliopolae suas officinas ponebant. *i*) Eos tenendo et legendo. *k*) Balnea undique clausa vocem suaviter remittuntur. Clauduntur autem accurate balnea, ne calor refluat. *l*) Homines parum occupator; vacuos , vel auram popularem aucupantes , laviculos , hoc delectat nempe carmina sua quocumque loco ac tempore recitare , quia eiusmodi homines parum curant neque id quaerunt, an temere an intempestive hoc faciant. *m*) Dedita opera. *n*) Mihi obiicis? *o*) Ordo est : quis eorum , quibuscum vixi , co-

Vixi cum quibus? Absentem *p*) qui redit *q*) amicum,
Qui non defendit alio culpante *r*); solutos
Qui captat risus *s*) hominum, famamque dicacis;
Fingere *a*) qui non visa potest; commissa tacere
Qui nequit, hic niger *b*) est, hunc tu Romane, caveto;
Saepe tribus *c*) lectis videas coenare quaternos *d*);
E quibus unus avet quavis *e*) aspergere cunctos,
Praeter eum, qui praebet aquam; post, hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit praecordia Liber:
Hic tibi comis, et urbanus, liberque videtur.
Infesto nigris: ego si risi, quod ineptus
Pastillos f) Rufillus olet, Gorgonius hircum,

rum auctor est, quae mihi exprobras. *p*) Ostendit quinam sint potius fugiendi, quam Satyrici. *q*) Carpit maledictis. *r*) Accusante. *s*) Qui amat risum aliis movere, et dicax haberi.

a) Qui potest mentiri, et dicere a se visa esse, quae non visa sunt. *b*) Improbus, mali ominis. *c*) Sententia est: reperitur saepe in frequentissimo convivio, in quo non tres in singulis lectulis, pro more, sed quatuor accumbant, unus aliquis qui aveat, id est, gestiat alios in omnem partem aceto et dicteriis suis aspergere; praeter illum tamen, qui aquam ad lavandum, qui balnea convivis praebet, qui domus et convivii dominus est: illum enim excipit, illi soli parcit, ac ne parcit quidem semper: sed hunc quoque post alios carpit, suisque salibus irrorat, potus, id est, quando plusculum adhibit, cum factus est potando hilarior; cum Liber verax, id est, vinum veritatis amans, aperit animorum abditos sensus, et omnia efferre suadet. Hic tamen habetur urbanus, et laudatur a te qui hominibus male dicacibus, ac Satyricis Poetis, infestus videri vis et inimicus. Cur igitur a te reprehendor, si per iocum fortem in Satyra dixi Rufillum olere pastillos etc. *d*) In lectulis ad mensam non cubabant, nisi terni: ad summum, ubi plures erant convivae, quaterni. *e*) Subaudi, via, ratione. *f*) Vide Satyr. 2.

Lividus, et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini *g*) furtis inecta Petilli
Te coram fuerit: defendas *h*), ut tuus est mos;
Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est, causaque mea permulta rogatus
Fecit; et incolumis, laetor quod vivit in Urbe:
Sed tamen admiror *i*), quo pacto iudicium illud
Fugerit. Hic nigrae succus loliginis, haec est
Aerugo *a*) mera; quod vitium procul abfore chartis,
Atque omnino prius *b*), ut si quid *c*) promittere de me
Possum aliud, vere promitto, Liberius si
Dixero quid, si forte ociosus, hoc mihi iuris
Cum venia dabis. Insuevit *d*) pater optimus hoc
Ut fugerem *e*), exemplis vitiorum quaeque notando.

g) Petillius, cognomine Capitolinus, cum accusatus fuisset de peculatu, aut, ut alii malunt, quod coronam e statua Iovis auream detraxisset, tamen, corruptis iudicibus, est absolutus. *h*) Non dubito quin eum sis defensurus; quin dicas te cum illo communi mensa usum esse etc. *i*) His verbis Horatius indicat hominem, qui per ambages et clam de alterius fama detrahit qui laudat cum principio, quem ab extremum accusat et carpit, ut iste Petillii amicus. Haec, inquit Horatius, homines carpendi ratio, per simulationem amicitiae, merum est odium omni atramento et succo loliginis nigrius; mera est invidia. Loligo est piscis quidam, succum atrum in aquam effundens ore ne a piscatoribus videri et capi possit.

a) Tabes quaedam est aes corrodens; ut rubigo ferrum. Haec maledicentia, quae simulatione benevolentiae tegitur, pestis est amicitiae, et vitium certissimum, ut aerugo aeris. *b*) Quam a chartis abfuturum. *c*) Ut promitto si quid possum etc. Tam bona et certa fide promitto, quam quod optima. *d*) Ea re me insuevit, assuefecit: Quidam legunt, *insevit hoc mi*: eos mihi mores indidit, atque ingeneravit. *e*) Ordo est, ut fuge-

Cum me hortaretur; parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasse;
Nonne vides, Albi; ut male *f*) vivat filius? atque
Barrus inops *g*)? Magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cum deterreret, Sectani dissimilis *h*) sis:
Ne sequerer moechas, concessa *i*) cum Venere uti
Possem; Deprensi *k*) non bella est fama Treboni,
Aiebat. Sapiens *l*), vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi: mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possim: simul ac duraverit *m*) aetas
Membra, animumque tuum, nabis sine cortice *n*). Sic me
Formabat puerum dictis, et sive iubebat,
Ut facerem quid, habes auctorem *o*) quo facias hoc,

rem vitiorum quaeque, ea notando exemplis. *f*) Vitam aegre sustentet, enecetur fame. *g*) Subaudi, sit, vel vivat; quae vox est in priore versu. *h*) Subaudi, inquiebat. *i*) Legitimis et honestis nuptiis. *k*) In adulterio, in stupro. *l*) Philosophus aliquis causas tibi et rationes dabit, cur haec fugienda, illa optanda sint; ego, qui Philosophus non sum, exemplis id faciam, iuxta morem nobis ab antiquis traditum. *m*) Corroboraverit. *n*) Per te sine mea adminiculo, virtutem coles. Metaphora ducitur a pueris, qui corticis ope ac suberis, natare discunt. *o*) Habes aliquem, inquiebat meus pater, cuius auctoritate et exemplo possis hunc recte atque honeste facere: statimque mihi proponebat aliquem e

Unum ex iudicibus selectis *a*) obiiciebat,
Sive vetabat: An hoc inhonestum, et inutile factu,
Necne sit, addubites, flagret rumore malo cum
Hic atque ille? Avidos *b*) vicinum funus ut aegros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit,
Sic teneros animos aliena obbrobria saepe
Absterrent vitiis. Ex hoc *c*) ego sanus ab illis
Perniciem quaecumque ferunt mediocribus, et queis
Ignoscas, vitiis teneor. Fortassis et istinc *d*)
Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
Consilium proprium. Neque enim cum lectulus, aut me
Porticus, *e*) excepit, desum mihi *f*); Rectius hoc est,
Hoc faciens, vivam melius: sic dulcis amicis

probatissimis iudicibus. Cum vero quid vetabat ne facerem: Non dubitare potes, aiebat, an hoc inhonestum et inutile sit, necne: cum ob eam rem male audiat hic, atque ille etc.

a) Quotannis ab Urbano Praetore deligebantur viri optimi ex omnibus ordinibus, qui iudicia exercerent, ipsumque adiuvarent. *b*) Famelicos, et a cibo vix sibi temperantes. Quemadmodum terrentur aegroti, audita morte vicini alicuius, et a cibo abstinere hoc exemplo docentur; ita alienis exemplis vitiisque adolescentes a vitiis avocantur. *c*) Ex hac mei patris institutiones prudentissima et disciplina ego sanus sum, id est immunis a vitiis gravioribus, quae pestem hominibus praesentissimam afferunt. *d*) Plurimum emendabit et detrahet ex his levioribus meis vitiis aetatis accessio, amici libera monitio etc. *e*) Meditatio mea et animadversio, qua, me admoneo ipse et amendo. *f*) Erant multae in Urbe porticus, in qui-

Occurram *g*) : hoc quidam non belle *h*) nunquid ego illi
Imprudens olim faciam simile ? Haec ego mecum
Compressis agito labris : ubi quid datur oti,
Illudo chartis *i*). Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum, cui si concedere *k*) nolis,
Multa poetarum veniet manus *l*), auxilio quae
Sit mihi, (nam multo plures sumus) ac veluti te
Iudaei *m*) cogemus in hanc concedere *n*) turbam.

bus confabulari, opacum frigus captare, spatiari mos erat. *g*) Me ipse admoneo et erudio. *h*) Cum amicis versabor. *i*) Subaudi, facit. *k*) Scriptio, ludo in chartis, id est, compono aliquid, quod edam in vulgus; Satyras condo. *l*) Turba. *m*) Iudaei, qui erant Romae, plurimos ad veri Numinis cultum, et religionem suam pertrahebant. Eos vocabant ipsi Proselytos, a voce Graeca, quasi perductos, nempe ac veram religionem. *n*) Venire. Cogemus te in nostrum numerum venire; id est, aut Poetam esse, aut certe Poetis favere, non insectari praeterea Satyricos, ut facis.

SATYRA V. *Anno U. C. 713. missi ab Senatu Maecenas, Cocceius, et Capito fuerant Brundusium, ut M. Antonium, qui urbem hanc obsidebat, cum Octavio Caesare in gratiam revocarent. Eos Horatius assecutus, cum iisdem Brundusium usque perrexit. Describit hoc suum iter; et facetis narratiunculis, ut flosculis, aspergit.*

Egressum magna me accepit Aricia *a*) Roma
Hospitio modico: rhetor comes *b*) Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus. Inde Forum Appi *c*).
Differtum *d*) nautis cauponibus atque malignis.
Hoc iter *e*) ignavi divisimus *f*), altius *g*) ac nos
Praecinctis, unum *h*). Minus est gravis *i*) Appia *k*) tardis *l*).
Hic *m*) ego propter aquam, quod erat deterrima ventri *n*)

a) Oppidum in via Appia, per quam Roma iter est Brundusium. *b*) Subaudi, erat. *c*) Forum Appii erat oppidum, in eadem via, quo mercatores solebant frequentes convenire. *d*) Plenum nautis, et malignis, id est perfidis cauponibus; qui viatores nummis amungunt, et iniquum lucrum ex omni re quaerunt. *e*) Roma ad Forum Appii. *f*) In duos dies; biduo confecimus. *g*) Iis qui altius sunt praecincti, quam nos eramus, id est, qui sunt magis expediti et strenui, ut contra discinctius, aut laxius, demissusque praecinctus, ignavum et mollem significat lib. Epod. Od. 1. *h*) Unius diei iter, quod uno die confici solet. *i*) Propter hospitiorum frequentiam, aut quia multis in locis, ut nunc etiam est, aspera declivisque, festinantibus incommodabat. *k*) Ita vocata est haec via, ab Appio Claudio caeco, Censore, qui eam lapide straverat. *l*) Lentius ambulantibus. *m*) In Appi foro. *n*) Abstineo a coena. Abstinere vino

Indico bellum, coenantes haud animo aequo *o*)
Expectans comites *p*). Iam nox inducere terris
Umbras, et Caelo diffundere signa *q*) parabat.
Tum pueri *r*) nautis, pueris convicia nautae
Ingere *a*). Huc appelle *b*) trecentos inseris; ohe
Iam satis est. *c*) Dum aes *d*) exigitur, dum mula ligatur *e*),
Tota abit hora. Mali culices, ranaeque palustres,
Avertunt somnos *f*). Absentem cantat amicam
Multa *g*) prolutus vappa nauta, atque viator *h*)
Certatim. Tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missae *i*) pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Iamque dies aderat, cum nil procedere lintrem

cogebatur, propter oculorum lippitudinem; aquam bibere non poterat, quia erat deterrima. *o*) Aegre. *p*) Eos, quibuscum Feronia cymba iturus erat, ut fieri solet in publicis lintribus. Ibatur autem per canalem, idque fere noctu; ut Strabo testatur. *q*) Stellas, signa Coelestia. *r*) Servi.

a) Coeperunt affatim et large dicere. *b*) Huc applica cymbam, littori admove. Sic nautas alloquuntur servi, a dominis praemissi, ut locum in cymba ipsis paulo post venturis servari iuberent; unde conqueruntur de nautis, quod nimis multos in lintrem admittant. Erat autem forum Appii, ad ripam Pomptinae paludis, cui se committebant, qui navigare, quam iter facere terra mallent. *c*) Iam satis multi a te in lintrem sunt admissi. *d*) Pecunia, nautis dari solita; naulum. *e*) Nautico fune lintri alligatur, ut cum adversa aqua traheret. *f*) Nobis lintrem ingressis. *g*) Vino malo et acescente madidus, potus largiter. *h*) Vector; illi qui cymba ferebantur. *i*) Mulam nauta solvit, eamque in preproximum pratum dimittit pastum, id est, ut herbam pascat; mox eius retinacula, seu funem, quo antea fuerat cymbae alligata, ad saxum alligat, ne aberret mula longius. *k*) Iracundior.

Sentimus: donec cerebrosus *k*) prosilit *l*) unus,
Ac mulae nautaeque caput lumbosque, saligno
Fuste dolat *m*): quarta *n*) vix demum exponimur hora *o*):
Ora manusque tua lavimus *p*), Feronia *q*), lympha:
Millia *r*) tum pransi tria repimus *s*), atque subimus
Impositum saxis late candentibus *t*) Anxur.
Huc venturus erat Maecenas optimus, atque
Cocceius *a*), missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos *b*) soliti componere amicos.
Hic *c*) oculis ego nigra meis collyria *d*) lippus
Illinere. Interea Maecenas advenit, atque
Cocceius, Capitoque *e*) simul Fonteius, ad unguem
Factus *f*) homo, Antoni, non ut *g*) magis alter amicus.

l) E lintre. *m*) Verberat. *n*) Nempe quarta post ortum Solis; Diem enim, ab ortu Solis ad occasum, duodecim horis totum semper metiebantur: quae horae breviores erant hyeme; aestate longiores. *o*) In litus descendimus e cymba. *p*) Ea vox temporis est praesentis; ab antiquo, lavo, lavis, lavit. Fontes sacros existimabant: itaque, religionis causa, Horatius, et comites, aqua Feroniae manus laverunt et ora. *q*) Nympha fuit, a libertis praecipue in honore habita; in cuius templo pilleum, libertatis insigne, raso capite, accipiebant. Fons illi dicatus, et sylva, prope Terracinam erat. *r*) Subaudi, passuum; spatium sunt leucae Gallicae. *s*) Aegre ascendimus; quia Anxur monti impositum, et quia nos recens pransi. *t*) Quae procul apparent, ob candorem, et altitudinem. Anxur est oppidum Italiae, in monte positum: ubi Iupiter, nomine Anxuris, sive Axurys, id est imberbis, colebatur: nunc Terracina dicitur.

a) Cocceius Nerva, Nervae imperatoris avus, celeberrimus erat iurisconsultus. *b*) Dissidentes. *c*) Tunc. *d*) Oculorum quaedam medicamenta, quibus illinuntur, ad humorem siccandum, quo laborant lippi. *e*) Et una cum illis Fonteius Capito. *f*) Homo scitus, elegans, perfectus, ac politus. Du-

Fundos *h*) Aufidio Lusco Praetore *i*) libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae *k*),
Pretextam *l*) et latum clavum *m*) prunaeque batillum
In Mamurrarum *n*) lassi deinde urbe manemus,
Muraena praebente domum *o*), Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius, et Varius Sinuessae *a*), Virgiliusque

cta metaphora a marmorariis qui marmora tam perfecte iungunt, ut superinducto ungui commissurae marmorum deprehendi non possint. *g*) Ut non alius esset magis Antonii amicus. *h*) Praeterimus urbem Fundos (est oppidum in via Appia) in qua erat Praetor Aufidius Luscus, id est, summum Magistratum gerebat, et ius dicebat; ridentes hominem superbum, qui cum in eo municipio fuisset paulo ante scriba (nam eiusmodi oppidis scribae fere Praetores evadebant) Praeturae suae insignia ostentabat. *i*) Magistratus, qui ius dicebat: ita dictus, quod iuri dicundo praeesset, vel, quod praeiret. *k*) Scriba is est, qui res publice gestas, iubente Magistratu, scribit, in concione recitat, refert in acta. *l*) Togam Praetoriam, cuius limbus erat praexutus purpura. *m*) Erat latus clavus tunica, cuius duae partes ante pectus iungebantur fibulis, et erant taenia quadam purpurea assuta ornatae. In lato clavo, taenia latior erat; in angusto clavo, angustior. Quidam globulos sericos, qui tamquam clavi, seu clavorum capita, prominerent, in veste additos ad ornatum fuisse volunt; et hinc vestem Laticlaviam dictam, si latiores et ampliores forent globuli; Angusticlaviam, si minores et angustiores. Lato clavo soli Senatores, et Patricii utebantur. Per prunae vero batillum, intelligitur vasculum quoddam, in quo prunae, sive carbones, ad incendendos odores, et suffitum ponebantur. *n*) Formiis; unde Mamurrae, Equites Romani nobilissimi, erant oriundi: cuius domini forte erant: qua in urbe Muraena, et Capito, domos videntur habuisse. *o*) L. Licinius Varro Muraena, frater Terentiae, uxoris Maecenatis, tectum praebebat; Capito sumptus in coenam faciebat.

a) In urbe Sinuessa; quae est ad fluvium Lirim. *b*) Tales homines, quales alios nullos terra candidiores tulit, similem

Occurrunt, animae, quales *b*) neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior *c*) alter.
O, qui complexus, et gaudia quanta fuerunt,
Nil ego *d*) contulerim iucundo sanus amico.
Proxima *e*) Campano Ponti quae villula, tectum
Praebuit; et parochi *f*), quae debent, ligna, salemque.
Hinc *g*) muli Capuae clitellàs tempore ponunt.
Lusum it Maecenas, dormitum ego, Virgiliusque:
Namque pila lippis inimicum *h*), et ludere crudis.
Hinc nos Cocceii recipit plenissima *i*) villa,
Quae super est Caudi cauponas *k*). Nunc mihi paucis

orationis structuram vide lib. Epod. Od. 5. *c*) Amicior, obligatior. *d*) Si sapiam, nihil cum amico iucundo comparaverim; rebus illum omnibus anteponam. *e*) Mansimus deinde in villula, quae est proxima Campano Ponti (est hoc oppidulum in eadem Appia via). *f*) Certi homines erant, qui Legatis Populi Romani, et Magistratibus iter facientibus praebebant omnia, quae hospitibus necessaria sunt, ut salem, ligna etc. ita dicti, a verbo Graeco, quod significat, praebere, quasi praebitores. Copiarios Latino vocabulo dictos esse testatur Porphyrion; quia copiam rerum omnium suppeditabant. *g*) Ex hac villula Ponti Campano proxima, muli nostri Capuam usque perrexerunt ubi clitellas tempore, id est, tempestive, ante noctem, deposuerunt. Capua, urbs olim Italiae amplissima, et Romae aemula, non procul Neapoli. *h*) Nam est noxium pila ludere, iis qui stomachi cruditate laborant: vehemens enim exercitatio, qualis est in hoc ludo, nocet plurimum male cibos digerentibus. Noxium etiam est ludere pila, iis qui lippi sunt: quod in eo ludo potissimum oculis laborandum est, et enitendum, ut pila observetur, excipiatur, belle ac remittatur. *i*) Locupletissima, ubi nihil desit. *k*) Qua est supra caupo-

Sarmenti scurrae *l*) pugnam, Messique Cicerri,
Musa *m*), velim memores, et quo patre natus uterque
Contulerit lites *n*). Messi clarum genus Osci *o*):
Sarmenti domina exstat *a*). Ab his maioribus orti
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus: Equi te
Esse feri similem dico: ridemus, et ipse
Messius, Accipio, *b*) Caput et movet; O tua *c*) cornu *d*)
Ni foret exsecto frons inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus minitaris? At illi foeda cicatrix
Setosam *e*) laevi frontem turpaverat oris.
Campanum *f*) in morbum, in faciem permulta iocatus,

nas Caudi, pro, Caudii. Est autem Caudium, vicus, quatuor fere leucis Benevento distans. *l*) Est scurra, is qui risum salibus, et dictis insulsis movet. *m*) Facere Musas, quasi rem magnam dicturus, invocat. *n*) Digladiatus cum socio sit, rixam iniecit ac pugnam. *o*) Ordo est: Osci sunt clarum genus Messii: Messius ortus est e regione Oscorum. Erat illa natio vilissima, in Campania Italica: eiusque, et sermo, et mores, inquinatissimi.

a) Hera, cuius fuit servus Sarmentus, adhuc vivit. Ab ea fugiens ille, ad Augustum se contulerat; cuius scurra deinde fuit. *b*) Accipio provocationem; paratus sum reponere: quod ultimum gestu potius, quam verbis expressit, caput movendo, quod minitantis est. *c*) Haec dicit Sarmentus: qui, cum videret minitantem sibi Messium, et caput moventem, O inquit, quid faceres, nisi haberes cornu in fronte exsectum, et praecisum, siquidem ita mihi capite minitaris, licet sis mutilus, et exsecto cornu. *d*) Ita vocat tuberculum aliquod maius, et papulam turpem, in sinistra parte frontis Messii extantem instar cornu; quam ille secandam et abstergendam quoquo modo curaverat. *e*) Capillis foede hirsutis horrentem. *f*) Eiusmodi papulis, et turpi morbo, Campani

Pastorem *g*) saltaret uti Cyclopa, rogabat:
Nil illi larva, aut Tragicis opus esse cothurnis *h*)
Multa Cicerrus ad haec. Donasset *i*) iamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat: scriba quod esset *k*),
Deterius nihilo dominae ius esse: rogabat
Denique, cur unquam fugisset *a*): cui satis una
Farris *b*) libra foret, gracili sic, tamque pusillo.
Prorsus iucunde coenam produximus *c*) illam.
Tendimus hinc recta Beneventum *d*), ubi sedulus *e*) hospes

vulgo laborabant, ob intemperantiam. *g*) Rogabit Messium, ut saltaret pastorem Cyclopem: id est, ut Polyphemum saltando imitaretur: eum illi esse simillimum, ob oris deformitatem, et corporis proceritatem. De Polyphemo consule Virg. lib. II. Aeneid. *h*) Erant calcei altiores, quibus utebantur actores Tragici. Polyphemi autem historia saepe in Tragoediis acta erat. *i*) Quaerebat a Sarmento, num donasset Diis Laribus catenam, qua olim vinctus fuisset, cum servus in agro, pro more, opus faceret: quaerebat, num libertatem denique adeptus esset. Sic illum esse fugitivum servum arguebat. Solebant qui artem aliquam, aut vitae genus deponebant, eius instrumenta, et insignia, cuipiam Deo consecrare. Laribus autem, Diis domorum custodibus, decebat servum suas catenas consecrare. *k*) Etsi esset Sarmentus scriba; tamen ipsius dominam nihil idcirco de iure suo amisisse, quod in ipsum, ut in suum servum, haberet.

a) E domo suae dominae. *b*) Panis. Fugiebant servi durius dominis habiti, quippe contenti non erant una farris libra in dies singulos; quod erat servorum diarium; id est, diurnum demensum, et portio. Negat igitur causam fuisse Sarmento fugiendi, quod facile contentus esse poterat farris libra, quique homo tam exiguo et gracili corpore. *c*) In longum duximus, extraximus, ob istam Messii et Sarmenti litem ridiculam. *d*) Urbs ampla Italiae, in Samnitibus. *e*) Officiosus et

Pene arsit *f*), macros dum turdos versat *g*) in igne.
Nam vaga per veterem *h*) dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos coenam, servosque timentes,
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo *i*) montes Appulia notos *k*)
Ostentare mihi, quos torret Atabulus *l*), et quos
Nunquam erepsemus *m*), nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lachrymoso *n*) non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Quatuor *o*) hinc rapimur, viginti et millia, rhedis,
Mansuri oppidulo *p*), quod versu dicere non est *q*),
Signis perfacile est *r*). Vaenit vilissima rerum

strenuus. *f*) Hospitem arsisse dicit, pro, domum hospiti. *g*) Id est, ad ignem assat. *h*) Vetustate putridam et siccam. *i*) Ex urbe Benevento, ex eius agris, apparere incipiunt montes Apuliae. *k*) Quia Horatius erat Apulus. *l*) Ventus Apuliae infestus et damnosus: est enim teste Plinio, lib. 17. frigidissimus. Sic appellatur a voce Graeca, quae damnum significat. Frigus autem adurit, teste Virgilio; quia res perinde exsiccat et macerat, ac si essent ustae. *m*) Erepsissemus superassemus, quasi rependo nisi substitissemus Trivici: quod oppidum est in finibus Campaniae. *n*) Quia fumus lachrymas exprimit. *o*) E Trivici villa, celeriter vecti sumus rhedis, confecimusque quatuor et viginti millia passuum. *p*) Vocabatur Equotutium. *q*) Non licet. Equotutium enim, propter mediam syllabam longam in Hexametro versu locum habere non potest. *r*) Facile est illud oppidum signis, id est, indiciis quibusdam dicere et indicare. Nempe ibi vaenit, hoc est, vendi-

Hic aqua: sed panis longe pulcherrimus : ultro
Callidus *a*) ut soleat humeris portare viator :
Nam Canusi *b*) lapidosus *c*) aquae *d*) non ditior urna ;
Qui locus *e*) forti Diomede *f*) est conditus olim
Flentibus hinc Varius discedit moestus amicis.
Inde Rubos *g*) fessi pervenimus utpote longum
Carpentes iter, et factum corruptius imbri.
Postera tempestas *h*) melior: via peior, adusque
Bari *i*) moenia piscosi. Dehinc Gnatia *k*), lymphis
Iratis exstructa dedit risusque, iocosque ;
Dum flamma sine *l*), thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella *m*)
Non ego : namque Deos didici securum *n*) agere aevum ;

tur aqua, quae rerum omnium est alibi vilissima, id est, minimo, aut nullo pretio parabilis

a) Adeo ut viatores, qui per Equotutium iter habent, soleant inde panes auferre, et imponere humeris. *b*) Canusium est oppidum Apuliae. *c*) Durus, male coctus, et scomacho gravis est panis Canusii. *d*) Non est maior aquae copia Canusii, quam Equotutii, vel non salubrior. *e*) Canusium. *f*) Tydei filio, duce Graecorum fortissimo ; qui Troia incensa, cum delatus fuisset tempestate in Apuliam multas urbes ibi condidit. *g*) Rubi, urbs Canusio distans decem admodum leucis. *h*) Dies, et coeli facies. *i*) Pro Barii. Est Barium, urbs Apuliae, ad mare. *k*) Civitas inter Barium, et Brundusium, ubi magna est aquae dulcis penuria ; unde iratis lymphis extructa dicitur ; quasi lymphae, idest, aquae dulces, illi loco infensae, ab eo procul fugissent. *l*) Ordo est ; dum cupit nobis persuadere thura, in sacro limine, idest, in templi aditu posita, liquescere sua sponte, et flammam concipere sine igne, nullo igne admoto. *m*) Nomen cuiusdam Iudaei, Romae tunc noti. In Iudaeorum porro libris leguntur eiusmodi prodigia, de sacrificiis, et victimis, ignem sua sponte concipientibus ;

Nec, si quid miri faciat natura, Deos id
Tristes o) ex alto Coeli demittere tecto.
Brundusium p) longę fini chartaeque, viaeque.

SATYRA VI. *Laudat Maecenatem, qui nobilitatem non, ut vulgus, in splendore generis poneret, sed in virtute; cuius beneficio conciliatam sibi eiusdem Maecenatis amicitiam et familiaritatem gloriatur. Pauca subiicit de sua per optimum parentem institutione, ac de fructibus privatae vitae, quae ab honorum, et opum ambitione disiuncta sit.*

NOn quia a), Maecenas, Lydorum b) quidquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te:
Nec, quod avus tibi maternus fuit, atque paternus
Olim qui magnis legionibus c) imperitarint,
Ut plerique solent, naso suspendis d) adunco
Ignotos, ut me, libertino e) patre natum.

quae causa fuit, cur hoc Iudaeis persuaderi posse diceret Horatius, non sibi. n) Sine cura rerum humanarum. o) Sollicitos, aut iratos hominibus. p) Urbs ampla Calabriae, et maritima, in extrema Italia, qua spectat Graeciam, et Orientem.

a) O Maecenas, non ideo suspendis naso adunco, id est, irrides, et contemnis ignotos, hoc est, ignobiles, quia Lydorum quicumque Etruriam incoluerunt, nemo et generosior, idest, nobilior est. b) Lydi, Asiae minoris natio, venerunt in Italiam, duce Tyrrheno, Herculis vel filio, vel nepote, ubi varias urbes, aut incoluerunt, aut condiderunt. c) Exercitibus. Legio proprie erat pars exercitus, Romani milites complectens ad summum 6000., interdum pauciores. Cohortes in ea decem, manipuli triginta. d) Qui aliquem irrident, solent nasum attollere, et illo quasi hominem iactare. Acutus, et aduncus nasus fertur esse signum dicacis indolis. e) Libertinus est filius liberti. Libertus est servus donatus li-

Cum referre negas *f*), qualis sit quisque parente
Natus, dum ingenuus *g*); persuades *h*) hoc tibi vero,
Ante potestatem Tulli, atque ignobile regnum *i*),
Multos saepe viros nullis maioribus ortos,
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos;
Contra *k*), Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit *a*), unius assis
Non unquam pretio pluris licuisse *b*) notante *c*),
Iudice, quem nosti, populo, qui stultus honores

bertate. *f*) Quia dicis nihil interesse, parvi esse momenti. *g*) Modo sit ingenuus. Est autem ingenuus interdum, qui patre libero, non servo natus est in hoc loco, is qui honestis, et probis moribus est. *h*) Habes hoc persuasum, idque vere, antequam Servius Tullius Romae regnaret, multos homines ortos maioribus nullis, id est, nullius nominis, et pretii, et fuisse probos, et maximis ornatos Magistratibus. *i*) Servius Tullius, ignobili, et obscuro loco natus, ancillae filius, Tarquinii Prisci gener, Rex Romanorum sextus fuit. *k*) Ordo et sensus est, contra vero Laevinum Valerium, Valerii genus, id est, filium P. Valerii Publicolae, unde, hoc est, a quo Valerio Publicola, Tarquinius Superbus regno pulsus fuit, non unquam pluris aestimatum fuisse, quam unius assis pretio, idest, nihili habitum fuisse, etiam populi iudicio, qui licet famae serviat, in ea re tamen sapiens, et iustus fuit.

a) A L. Iunio Bruto, et Tarquinio Collatino, pulsus quidem fuit Superbus: sed cum abrogata dignitas Collatino fuisset, suffectus est ei P. Valerius Publicola; qui ne restitueretur Tarquinius Superbus, in primis laboravit. *b*) Proprie licere merx aliqua dicitur, quae venditur in auctione, et pluris licitanti addicitur; hic sonat, valuisse. *c*) Notare,

Saepe dat indignis, et famae servit *d*) ineptus;
Qui stupet *e*) in titulis, et imaginibus: quid oportet *f*)
Nos facere, a vulgo longe lateque remotos?
Namque esto, populus Laevino mallet honorem
Quam Decio *g*) mandare novo; Censorque *h*) moveret
Appius *a*), ingenuo si non essem patre natus?

hic est, ignominiae notam, et labem inurere. *d*) Maiorum illustrium potius, quam virtutis rationem habet. *e*) Qui veteris familiae alicuius titulus, et imagines cereas, quas nobiles in atrio collocatas habebant, miratur. *f*) Si populus de Laevino tam sapienter iudicavit; nonne magis nos id facere decet, ac solam nobilitatem in virtute ponere? Esto enim, supponamus populum, pro sua inconstantia, et stoliditate, maluisse deferre honorem, id est Consulatum, Laevino, nobili et improbo, quam P. Decio Muri, qui homo novus erat, idest nullis maiorum honoribus insignis, etc. Subaudiendam est, an idcirco deterior fuisset P. Decius? An Laevinus honestior, et sanctior? An ego nequior forem, si Senatu motus essem, quia non essem ingenuus? Minime sane. Ex eo concludit Poeta, populi iudicium esse contemnendum: quod tamen, inquit, pauci faciunt: omnes enim, et nobiles, et ignobiles, famae et gloriae serviunt; eos gloria quasi captivos, et suo currui alligatos, trahit. Quid illi tamen ex hac ambitione, et gloriae cupiditate assequuntur? Nihil praeter curas maiores, invidiam, etc. quod probat exemplo Tullii. Hic germanus est loci, a numine, (quod sciam) bene explicati, sensus. *g*) P. Decius Mus, Consul factus, bello Latino circa annum U. C. 314. cum T. Manlio Postumo, multa praeclare gessit. *h*) Si me v. g. Senatoribus ascriptum, Appius Censor loco moveret, idest, Senatu expelleret, ob eam causam unam, quod ingenuo patre natus non essem: quod quidem merito faceret, ut me plecteret nimirum, quod meae conditionis oblitus, in altiorem gradum ascendere temere voluissem. Etsi libertinus liberti filius; ingenuus vero, filius libertini. Erat quidem Horatius ingenuus; at eius pater non item.

a) P. Appius Claudius Censor insignis severitate fuit. Erat autem Censorum munus, civitatis mores emendare, etc.

Vel merito, quoniam in propria non pelle *b*) quiessem;
Sed fulgentes trahit *c*) constrictor gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi *d*) Tulli *e*)
Sumere *f*) depositum clavum *g*) fierique Tribunum *h*)?
Invidia accrevit privato *i*) quae minor esset.
Nam ut quisque insanus *k*) nigris *l*) medium impediit crus
Pellibus, et latum demisit pectore clavum;
Audit *m*) continuo. Quis homo hic est? Quo patre natus?
Ut si qui *n*) aegrotet, quo morbo Barrus, haberi
Et cupiat formosus; eat quacumque *o*), puellis
Iniiciat curam quaerendi singula, quali

b) Ducitur metaphora ab asino Aesopico; qui cum leonis pellem induisset, detectus, et irrisus est. *c*) Quasi captivos, ad currum triumphalem alligatos. *d*) Quid tibi profuit. *e*) Vetus interpres ait Tullium quendam a Caesare quod Pompeio faveret, Senatu motum esse: occiso vero Caesare, dignitati pristinae restitutum et Tribunum militum factum esse. *f*) Recipere dignitatem Senatoriam depositam, tibi ab Caesare olim abrogatam. *g*) Latus clavus quis sit; vide in Satyra superiori. *h*) Alii erant tribuni plebis, qui magistratus Urbanus erat, rationibus populi consulens: alii tribuni militum, qui ius militi dicebant: sex in unaquaque legione. *i*) Qua minus laborares, si privatus fores. *k*) Stulte ambitiosus. *l*) Calcei Senatorum ex aluta nigra, seu pelle hoedina, confecti erant; et ad medium usque crus loris revinciebantur. *m*) Percontantes quoslibet e populo. *n*) Quemadmodum, si quis aegrotet eodem morbo, quo Barrus aegrotat, eo nempe, ut formosus et elegans haberi velit. *o*) Ordo est: quemadmodum si quis ut Barrus, velit pulcher existimari, iniiciat, id est, iniicere et afferre solet curam puellis quaerendi etc. quo-

Sit facie, sura *p*) quali, pede, dente, capillo:
Sic qui promittit, cives, Urbem sibi curae,
Imperium fore, et Italiam et delubra Deorum:
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quaerere cogit.
Tunc *q*) Siri *r*), Damae, aut Dionysi filius; audes
Deiicere e saxo *a*) cives, aut tradere Cadmo *b*)
At Novius *c*) collega gradu post me sedet uno;
Namque est ille: pater quod erat *d*) meus. Hoc tibi *e*) Paulus,
Et Messala videris? At hic *f*), si plaustra ducenta,
Concurrantque *g*) foro tria funera *h*) magna sonabit *i*),

quocumque eat, quocumque se conferat. *p*) Pars posterior cruris est; anterior, tibia dicitur. *q*) Voces populi sunt, indignantis hominem aliquem, obscuro loco natum, ad Consulatum et honores evehi. *r*) Syrus, Dama etc. nomina sunt, vel ficta, vel vera, hominum ignobilium: vulgo solebant servi his nominibus appellari.

a) Tarpeio, seu Capitolino: ex quo interdum praecipites agebantur graviorum rei. *b*) Nomen est carnificis, ea tempestate noti. *c*) Respondet ille ignobilis, Syri, aut Damae filius, se quidem esse ignobilem; at Novium tamen, collegam suum, se esse ignobiliorem uno gradu; quia nimirum libertus est, cum ipse sit libertinus. *d*) Nimirum libertus, id est, servus manumissus. *e*) Respondet Horatius, vel, quilibet alius a populo: An hoc nomine, an idcirco quia tuus collega ignobilior te uno gradu est, videris tibi Paulus aliquis, vel Messala? Paulus Aemilius, et Valerius Messala cives fuere apud Romanos nobilissimi, et omnes honores adepti. *f*) Saltem iste Novius valet voce, quae possit superare murmur editum a ducentis, id est, multis plaustris, et a tibiis tubisque trium funerum. *g*) Conveniant, simul confluant variis e locis. *h*) Ea per forum deduci, ubi frequens populus erat, solebant. *i*) Neutrum plurale, pro ad-

Cornua quod vincatque k) tubas l): saltem tenet hoc m) nos.
Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt n) omnes libertino patre natum,
Nunc o) quia, Maecenas, tibi sim convictor, at olim
Quod mihi pareret legio Romana Tribuno.
Dissimile p) hoc illi est: quia non, ut forsit honorem
Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum:
Praesertim cautum dignos assumere, prava;
Ambitione procul. Felicem a) dicere non hoc
Me possum casu; quod te sortitus amicum:
Nulla etenim mihi te sors obtulit. Optimus b) olim

verbio: alte clamabit. k) Vocem emittet, quae vincat, etc. l) Illae in funeribus adhibitae, cum tibiis, cantu, etc. m) Delectat, capit: hoc persuadet nobis illum esse Consulatu non indignum, quamvis ignobilem. Riducula ratio; ex qua populi stoliditas intelligitur. n) Carpunt, accusant. o) Sensus est: me, quem nunc ideo mordent omnes, cui generis ignobilitatem obiiciunt, quia tibi sum familiaris et assiduus conviva, mordebant olim, quia eram Tribunus militum. p) Hoc videlicet fuisse Tribunum militarem, non est idem atque illud, scilicet tibi nunc esse familiarem et amicum quia non est causa, cur quispiam invideat mihi, et indignetur, quod tuus sim amicus, quamvis forsit, id est, fortasse, honores Tribunatus mihi iure posset invidere. Indignis enim saepe honores contingunt; at tu cautus es, id est, prudens et consideratus, ad eos tantum in amicitiam assumendos et asciscendos, qui ea digni sint: neque ullam in amicis eligendis rationem dignitatis, aut favoris habes.

a) Quia felicitas fortunae effectus est, non iudicii, et meriti argumentum. Non scribo igitur tuam amicitiam fortuitae felicitati, sed iudicio tuo, et meis quibusdam meritis. b) Virgilius, Varius olim tibi renunciarunt quid essem, nempe, Poe-

Virgilius, post hunc Varius dixere quid essem;
Ut veni *c*) coram, singultim *d*) pauca locutus
(Infans *e*) namque pudor prohibebat plura profari)
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano *f*) vectari rura caballo,
Sed quod eram, narro. Respondes, ut tuus est mos.
Pauca: abeo, et revocas nono post mense, iubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco
Quod placui tibi, qui turpi scernis honestum,
Non patre *g*) praeclaro, sed vita, et pectore puro.
Atqui *h*) si vitiis mediocribus: ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta (velut si)
Egregio inspersos reprendas corpore naevos *i*),
Si neque avaritiam, neque sordes *k*); ac mala lustra *l*)
Obiiciet vere quisquam mihi; purus, et insons,
(Ut me collaudem *m*) si et vivo carus amicis,
Causa fuit pater his *n*): qui macro pauper agello,

ta non malus, etc. *c*) Ubi tuum in conspectum prodii. *d*) Amputata, et parum cohaerentia. *e*) Qui fari prohibet, qui mutos reddit. *f*) Satureiana pascua, erant in Apuliae et Calabriae finibus, ad urbem Satureum: ibi equi generosi alebantur. *g*) Qui tibi placui, non ob meum patrem nobilem, etc. *h*) Meus tamen ille pater, quamvis tantum libertinus praeclare me educavit etc. *i*) Maculas. *k*) Vitam et mores incultos, agrestes, impuros. *l*) Ganeas, lupanaria. *m*) Liceat haec meam in laudem pauca dicere. *n*) Istis virtutibus et moribus

Noluit in Flavi ludum *o)* me mittere: magni *p)*
Quo pueri, magnis e Centurionibus *q)* orti,
Laevo *a)* suspensi loculos *b)*, tabulamque *c)* lacerto,
Ibant octonis *d)* referentes Idibus aera.
Sed puerum *e)* est ausus Romam portare; docendum
Artes, quas doceat quivis Eques, atque Senator
Semet prognatos *f)*. Vestem, servosque sequentes
In magno ut *g)* populo si quis vidisset, avita
Ex re *h)* praeberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum *i)* doctores aderat. Quid multa? Pudicum
(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni

meis. *o)* Scholam. Docebat iste Flavius Venusii artem numerandi, legendi et scribendi, etc. *p)* Nobiles. *q)* Centuriones centum peditibus praeerant in exercitu. Sexaginta erant in singulis legionibus.

a) Ferentes loculos, et tabulam, sinistro brachio suspensam. *b)* Crumenam, ubi calculi ad numerandum. *c)* In qua calculos ponerent. *d)* Reducentes aera, id est, summam certam usurae propositae, ad Idus cuiusque mensis; id est, parati reddere magistro rationem et summam, quam usura Idibus pensitata redderet, v. g. mille nummi, usura unciaria positi, quantum conficerent singulis Idibus. Appellantur autem Idus octonae; quia inter Nouas, et Idus, dies octo semper intercedebant: dies a Nonis octava, dies Iduum erat. Vulgo Calendis usura solvebatur: at eam acriores foeneratores bis in mense exigebant; primo Calendis; tum Idibus; quae in medium incidunt mensem. Quidam *aera* explicant stipendium magistro debitum. *e)* Me videlicet adhuc puerum. *f)* Ex se genitos, suos liberos. *g)* Adeo ut. *h)* Crederet me avitas fortunas, et opes maiorum habere magnas: unde isti mihi servi, et lautae vestes suppeditarentur. *i)* Mibi, ope-

Non solum facto, verum opprobrio *k)* quoque turpi,
Nec timuit *l)*, sibi ne vitio quis verteret, olim *m)*
Si praeco *n)* parvas, aut, ut fuit ipse, coactor *o)*
Mercedes sequerer *p)*: neque ego essem questus: ob *q)* hoc nunc
Laus illi debetur, et a me gratia maior.
Nil me *a)* poeniteat sanum patris huius; eoque *b)*
Non *c)* (ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes)
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox, et ratio. Nam, si natura iuberet
A certis annis aevum *d)* remeare peractum,
Atque *e)* alios legere ad fastum *f)* quoscumque parentes

ram danti Magistris, aderat Magistris, aderat praesens. *k)* Turpi fama. Providit, ut ne facerem, ut ne audirem male. *l)* Non ideo me tam laute pater educavit, quod timeret ne essem, ut ipse erat, praeco, vel coactor, quod me vellet aliud insignis vitae genus et institutum sequi: sed id spectabat unum, ut essem aliquando vir probus. *m)* Aliquando. *n)* Is erat, qui in auctione res vendendas appellabat, qui leges ferendas, aut edicta, in concione recitabat etc. *o)* Erat publicanorum administer, qui pecunias, publice pendi solitas, colligebat: cogo enim, idem est, atque colligo. *p)* Parva mercede operam meam locarem; pretia et pecunias exigerem. *q)* Quod me tam sancte instituerit.

a) Si sapiam, nihil est quod doleam talem mihi patrem obvenisse. *b)* Et ideo. *c)* Ordo est: non sic me excusabo ac defendam, ut magna pars hominum qui affirmant sine suo dolo id est, culpa et vitio, factum esse, quod non ingenuos parentes et nobiles habeant. *d)* Renasci. Si natura sineret nos ad initium vitae et originem primam redire. *e)* Ac si iuberet natura eligere parentes alios atque illos quos quisque nactus est: quicumque tangem illi essent, quos sibi quisque optaret

Optaret sibi quisque: mei contentus, honestos *g*)
Fascibus et sellis *h*) nolim mihi sumere: demens
Iudicio vulgi, sanus fortasse tuo: quod
Nollem onus, haud unquam solitus, portare molestum.
Nam mihi continuo maior quaerenda foret *i*) res.
Atque salutandi plures: ducendus et unus,
Et comes alter, uti ne solus rusve *k*) peregreve
Exirem *l*): plures calones *m*) atque caballi
Pascendi: ducenda petorrita *n*). Nunc mihi curto *o*)
Ire licet mulo', vel si libet, usque Tarentum *p*);
Mantica *q*) cui lumbos *r*) onere ulceret, atque eques armos.
Obiicet nemo sordes *s*) mihi, quas tibi, Tulli *t*),

ac legeret; ego meos non mutarem. *f*) Ambitionis causa: tam nobiles et claros, quam cuiusque fastus et ambitio ferret. *g*) Consulari, vel Praetoria dignitate praeditos. Consulibus enim, et Praetoribus, fasces à lictoribus praeferebantur; his sex, illis duodecim. Erant fasces, virgarum, seu bacillorum fasciculus, quo in medio securis extabat. Virgis minora delicta, securi graviora plectebantur; itaque fasces potestatis erant insigne. *h*) Maioribus Magistratibus licebat eburneam sellam in curru gestare; in eaque, cum Senatus habebatur, considere. *i*) Opes, suppellex, apparatus. *k*) Suburbanam in villam. *l*) Procul iter longinquum suscepturus. *m*) Viliores servi, et mediastini. *n*) Quaedam vehicula, Gallis usitata. *o*) Qui caudam habet decurtatem; vel, male parvo. *p*) Urbs est in extrema Italia, qua Siciliam respicit, ad sinum cognominem. *q*) Vidulum, pera, quae equo imponitur. *r*) Tergum, humeros. *s*) Avaritiam, mores, et sumptum non parem dignitati ut Tullio obiicitur. *t*) De quo egit initio Satyrae.

Cum Tiburte *a*) via Praetorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum *b*) portantes, oenophorumque *c*).
Hoc *d*) ego commodius, quam tu, praeclare Senator,
Multis atque aliis vivo. Quacumque libido est,
Incedo solus: percunctor, quanti *e*) olus, ac far:
Fallacem Circum *f*), vespertinumque *g*) pererro
Saepe forum: assisto *h*) divinis: inde domum me
Ad porri et ciceris refero, laganique *i*) catinum.
Coena ministratur pueris *k*) tribus; et lapis *l*) albus
Pocula *m*) cum cyatho duo sustinet: adstat echinus *n*)
Vilis, cum patera guttus *o*) Campana *p*) supellex.

a) Quae Tibur ducit. *b*) Vas comparatum ad urinam aut ventris onus excipiendum. *c*) Vas vinarium. *d*) Ideo: ea re. *e*) Subaudi, vendatur. *f*) Circus, erat Romae platea ingens, in qua currus agitabantur, exercitationis et spectaculi causa. In cum locum circulatores, coniectores, harioli, confluebant: unde fallax appellatur. *g*) Id est, vesperi spatior in foro, seu platea. *h*) Divinos, seu hariolos, audio stans, cum plebecula. *i*) Laganum, oleris, vel placentae genus est. *k*) A servulis tribus. *l*) Nuda e saxo, seu marmore, mensulae, quae abaci vicem gerat. *m*) Alterum vini, aquae alterum. Cyathus vero, erat vasculum exiguum, quo ex his poculis, quantum placeret, hauriretur. *n*) Vas quodam rotundum instar echini, ad manus abluendas, aut cyathos. Patera utebantur ut libarent Diis in mensa. — Vide Epod. 5. *o*) Vasculum, unde guttatim acetum, oleumve defunditur. *p*) Fictilis, ita

Deinde eo dormitum, non sollicitus mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya q), qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam r) iaceo: post hanc vagor, aut ego lecto s),
Aut scripto, quod me tacitum iuvet t). Ungor u) olivo,
Non quo x) fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum Sol acrior y) ire lavatum
Admonuit, fugio a) rabiosi tempora signi.
Pransus b) non avide, quantum interpellet c) inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Haec est
Vita solutorum misera ambitione, gravique.
His me consolor, victurus suavius, ac si,

dicta, ob argillae copiam, et bonitatem, in Campania Italica. q) Forum, in quo erat statua Marsyae, quem Horatius ait non tam dolere, quod ab Apolline sibi pellis detracta sit, quam quod videre cogatur minorem e fratribus Noviis, iudicem, aut legislatorem, vel, ut alii malunt, foeneratorem nequissimum. r) Usque ad horam ab Sole orto quartam. s) Lectio, scriptio. t) Delectet, deceat. u) Ad vires firmandas, et valetudinem, saepe ungebantur oleo Romani. x) Non vili oleo, quale est illud, quod Natta (vir erat quidam nobilis, et insignis avaritiae) adhibet, et lucernis suis subductum. Oleum, quod lucernis inditur, graveolens et sordidum est. y) Meridianus.

a) Aestum Caniculae fugio, et balneis tempero. b) Ubi prandi moderate et parce, quantum sufficit ad impediendum quominus inani ventre per totum diem durem, et maneam; otiosus domi meae quiesco. c) Interrumpat inediam diei in-

Questor *d*) avus pater atque meus, patruusque fuissent.

SATYRA VII. *Describit rixam Rupilii, cognomento Regis, cum Greculo quodam, cui nomen Persius.*

Proscripti, *e*) Regis Rupili *f*), atque venenum
Hybrida *g*) quo pacto *h*) sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis *i*) notum, et tonsoribus esse.
Persius hic per magna negotia dives habebat.
Clazomenis *k*) etiam lites cum Rege *l*) molestas.
Durus homo, atque odio *m*) qui posset vincere Regem:
Considens, tumidusque: adeo sermonis amarī,
Sisennas *n*); Barros ut equis *o*) praecurreret albis.

tegrae. *d*) Qui aerarii curam habet. *e*) Ab Augusto cum olim Triumvir esset, inter proscriptos relati. Rupilius, cum in Graeciam se recepisset, necem fugitans, ad Brutum postea se contulit, sub quo fecit stipendia cum Horatio, qui nescio quid ab eo contumeliae passus, ei par hac Satyra refert. *f*) Sordes, improbitatem, maledicentiam. *g*) Patre Graeco, et Romana matre natus. Vocantur Hybridae, qui ex diversae nationis parentibus orti sunt. *h*) Ordo est: opinor notum esse omnibus lippis, et tonsoribus, quo pacto Persius Hybrida sit ultus maledicentiam Rupili. *i*) Lippi sunt admodum curiosi: quanto minus oculis, tanto plus auribus utuntur: apud tonsores autem convenire homines otiosi, et gerrones solent. Itaque res pervulgata, dicitur nota esse lippis, et tonsoribus: quasi eos nihil fugiat. *k*) Clazomenae, urbs erat Asiae minoris, ampla, et dives, in ea parte, quae Ionia Asiatica dicebatur. *l*) Cum Rupilio qui Rex cognominabatur. *m*) Sermonis acerbitate, dicacitate importuna, audacia. *n*) Ut ea in re et doto, longo intervallo superaret molestissimos quoque obtrecta-

Ad Regem redeo. Postquam *p*) nihil inter , utrumque
Convenit (hoc etenim sunt omnes iure) molesti ,
Quo fortes , quibus adversum bellum incidit. Inter
Hectora Priamidem , animosumque iter Achillem
Ira fuit capitalis , ut ultima divideret mors :
Non aliam ob causam , nisi quod virtus in utroque
Summa fuit. Duo si discordia vexet inertes :
Aut si disparibus bellum incidat , ut Diomedi
Cum Lycio Glauco *a*); discedat pigrior (ultro

tores, vel ipsos Sisennas, et Barros qui erant famosi conviciatores. *o*) Ducitur metaphora a Circensibus ludis : in quibus aemulos ii superabant qui equis velocioribus uterentur : equi autem albi vulgo putabantur omnium celerrimi. *p*) Cum lites suas componere non possent , et inter se convenire , Persius , et Rupilius ad Brutum Praetorem , qui tum Asiam oblinebat , venerunt , litem eo iudice suam disceptaturi. Nam omnes molesti , id est , acres et pugnaces litigatores , hoc sunt iure , hoc est , eodem iure , eadem ratione se gerunt , ac fores , id est , duces magnanimi , qui inter se bellum gerunt , qui alter alteri nolunt concedere. Sic ita , quae fuit , inter Hectorem Priami filium , et Achillem , ira capitalis extitit , ut sola morte ad extremum dirimi potuerit , nempe quia uterque bellica virtute, et gloria praestabat. Contra vero , si duo inertes , et ignavi , aut certe duo dispares , idest , quorum alter altero fortior sit, dissideant , bello certent (quales fuere Glaucus , et Diomedes) qui amborum est inertior , is litem et pugnam statim componet , missis aemulo muneribus , ad eum placandum. Non sic nostri pugiles, Rex , et Persius : sed instar Hectoris et Achillis , pugnant , obnixi non cedere, Brutum adeunt etc.

a) Glaucus , iuvenis ignavus , Regis Lyciae filius, cum Troianis auxilio venisset , commisso praelio , in Diomedem incidit , virum fortissimum , Graecorum ducem ; cuius aspectu ita territus est , ut de pace statim egerit, ac Diomedi arma sua aurea , sumptis illius aereis , dono dederit. — Vide l.6. Iliad.

Muneribus missis) Bruto Praetore *b)* tenente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat; uti non *c)*
Compositus melius cum Bitho Bacchius. In ius
Acres procurrunt *a)*; magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam; ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum, laudatque cohortem:
Solem Asiae Brutum appellat; stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege *b)*: Canem illum *c)*,
Invisum agricolis sidus, venisse: ruebat *d)*,
Flumen ut hybernum, fertur quo rara securis.

b) Praetor, Magistratus erat iuri dicendo praepositus. Brutus et Cassius, eodem anno quo Caesar interfectus est, Praetores erant in Urbe. Brutus a Senatu post paulo missus in Macedoniam est, ut ibi Praetura fungeretur: qui enim Romae Consules, aut Praetores fuerant, finito Magistratus Urbani tempore, discedebant in Provincias, ut illas pro consule aut pro Praetore administrarent. E Macedonia Brutus in Asiam excurrit, ad colligendas contra Octavium Caesarem copias. Ibi cum esset, adierunt illum Rex, et Persius. *c)* Adeo ut Bithus, et Bacchius famosi duo gladiatores non sint melius compositi, et commissi, magis pares.

a) Tamquam gladiatores in arenam. *b)* Qui, proscriptus ab Octavio, se Bruto adiunxerat, et inter eius comites ac milites versabatur. Caeteros igitur comites Bruti stellas salutares appellat. Regem vero stellam exitialem, nempe Canem. *c)* Subaudi, clamat; dicit illum Rupilium venisse. Cani Coelesti, Caniculae et Sirio, astro exitiali, et agricolis inviso, similem, ut omnia perderet. Virgil. de Sirio. *Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris nascitur.* *d)* Tanta celeritate perorabat, tam incondite impetu, et acerbitate tanta ferebatur, ut flumini esset hyberno, idest, hybernis aucto imbribus alicui torrenti similis, qui torrens fertur eo, quo raro venit securis; id est, per abrupta loco, et nemora invia praecipitat, quae adire non possunt frondatores cum suis securibus, ad arbores

Tum Praenestinus *e*) salso *f*), multumque fluenti
Expressa arbusto regerit, convicia; durus *g*)
Vindemiator, et invictus: cui saepe viator
Cessisset magna compellans voce cucullum *h*)
At Graecus *i*) potsquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: Per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui Reges *k*) consueris tollere, cur non
Hunc Regem *a*) iugulas? Operum *b*) hoc, mihi crede, tuorum est.

exscindendas. *e*) Rupilius Praeneste (quae Urbs Italiae est) natus. *f*) Rupilius regerit, id est, reponit, reddit Persio convicia, eaque salsissima, et vino similia: quod ex arbusto, id est, vite, exprimitur, sed recenti et virdi vite, ac proinde amaro, quodque versu post quarto, acetum vocat. Vitis applicabatur arbustis, quibus niteretur: hic arbustum pro ipsa vite sumitur. *g*) Similis vindemiatori molesto et pertinaci, quia viatores conviciis appetitos, et alia re gerentes, silere tamen victos, et abire cogit. *h*) Haec avis fertur ova sua alieno nido imponere. Eadem nonnisi adulto et vergente in aestatem vere canit: unde factum est, inquit Plinius, ut vinitoribus, vitem sero putantibus cuculli nomine iterato, desidia exprobretur. *i*) At Persius, homo Graecus, saltem paterno genere, ubi se amaris Rupilli, hominis Itali, conviciis, omni aceto acrioribus, prolutum vidit, exclamavit etc. *k*) Iunius Brutus, Tarquinio Rege Romanorum septimo exacto, Consul primus factus est. Ab eo ducebat originem iste Brutus, qui Caesarem, regnum affectantem, in Senato peremerat.

a) Rupilium, cognomento Regem. *b*) Hoc facinus ad te

SATYRA VIII. *Priapum, hortorum custodem Deum, et praesidem, inducit querentem de Canidia, et Sagana veneficis; et quae ab illis in horto suo intempesta nocte fiant, describentem.*

Olim truncus eram ficulnus *c*) inutile lignum
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum
Maluit *d*) esse Deum. Deus *e*) inde ego, furum aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coercet *f*):
Ast importunas volucres in vertice arundo *g*)
Terret *h*) fixa, vetatque novis *i*) considere in hortis.
Huc *k*) prius angustis eiecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat *l*) in area.
Hoc miserae plebi stabat commune sepulchrum,
Pantolabo scurrae *m*), Nomentanoque nepoti *n*).
Mille pedes *o*) in fronte, trecentos cippus in agrum

quoque pertinet: unum est ex operibus tuis. *c*) Stipex ex ficu arbore. *d*) Salse ridet inanes Deos, eorumque simulacra; quo spectare tota haec Satyra videtur. *e*) Subaudi, extit, sum. *f*) Falcem ligneam habebat in manibus. *g*) Abigit, absterret. *h*) Ramus aliquis aut pertica longior. *i*) Nuper a Maecenate factis; qui partem Esquiliarum emit, repurgavit, et hortos sepulchreto fecit. *k*) In hunc, ubi iam sum, hortum olim afferebantur servorum cadavera e suis angustis cubiculis eiecta, et inclusa vili arca seu feretro: erat hic locus sepulchrum plebis et hominum egentium: quales sunt scurrae, qui patria bona decoxerunt, ut Pantolabus, et nepotes, seu ganeones, ut Nomentanus. Pauperum corpora sepeliebantur; divitum cremabantur. *l*) Vespilionibus portanda, certo pretio dabat. *m*) Supra, sat. V. *n*) Epod. Od. 1. *o*) Erat cippus, id est, la-

Hic dabat: haeredes monumentum ne sequeretur.
Nunc *a*) licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari: quo *b*) modo *c*) tristes
Albis informem spectabant *d*) ossibus *e*) agrum.
Cum mihi *f*) non tantum furesque, feraeque suetae
Hunc vexare locum, curae sunt, atque labori,
Quantum, carminibus quae versant, atque venenis
Humanos animos. Has nullo perdere possum,
Nec prohibere modo, simul ac vaga Luna decorum
Protulit os, quin ossa legant *g*), herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla *h*)

pis, erectus in agri limite, in quo scriptum erat mille agri pedes datos esse, (nempe ab aliquo cive, qui hoc sepulchrum egenae plebi testamento reliquerat) in fronte, id est, in ea parte agri, quae viam tangebat; alios trecentos in agrum, id est, in agri longitudinem, et amplitudinem camporum extensos. Ideo cippus erat positus, ut haeredem hoc sepulchretum intelligerent ad se non pertinere, ut esset divulsum et exceptum ab reliqua haereditate. Quando locum aliquem, vel rem aliam publice tegebant, semper addebant haec verba: *Hoc haeredes non sequitur*; et istis notis utebantur: *H. H. N. S.*

a) Nunc iste locus sepulchretum non est: revulsus est cippus, iamque ibi sunt horti salubres, et apricus collis, ubi deambulare licet. Erat ea pars montis Esquilini, in qua horti et domus Maecenatis. *b*) In quo aggere, seu monte. *c*) Paulo ante, non ita pridem. *d*) Cives. *e*) Vel servorum, qui ibi olim tumulati fuerant; vel reorum, qui eodem in loco supplicio olim fuerant affecti. *f*) Nunc mihi non tantum negotii facessunt fures ac ferae, assuetae in hunc locum venire, et illi incommodare, quantum praebent veneficae, quae suis incantationibus homines vexant ac torquent. *g*) Colligant. *h*) Veste

Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo *i*),
Cum Sagana maiore k) ululantem : pallor utrasque
Fecerat horrendas aspectu. Scalpere *l*) terram
Unguibus, et pullam *m*) divellere mordicus agnam
Coeperunt: cruor in fossam confusus *n*) ut inde
Manes *o*) elicerent, animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea ; maior
Lanea quae poenis *p*) compesceret inferiorem
Cerea suppliciter *q*) stabat, servilibus, utque:
Iam peritura, modis. Hecaten *r*) vocat *s*) altera ; saevam
Altera *a*) Tisiphonem *b*) Serpentes, atque videres
Infernas errare canes *c*) Lunamque rubentem *d*)
Ne foret his testis, post magna latere sepulchra.

longiori. *i*) Soluto, diffuso. *k*) Forte, quia senior; vel quia maior erat duarum sororum eiusdem nominis. *l*) Ut scrobem facerent. *m*) Nigram. *n*) Temere iniectus et raptim; cum humo ipsa mixtus. *o*) Animas mortuorum evocarent; quae interrogantibus veneficis responderent de futuro rerum eventu. *p*) Puniret, ulcisceretur, torqueret ceream imaginem. Solent magi et venefici eiusmodi e cera, vel lana, imagines condere, et in illis ea experiri omnia, quae vivis hominibus, quorum sunt illae imagines, volunt evenire : v. g. cum urunt eiusmodi imaginem, uritur homo, etc. *q*) Supplicis in morem, ut servili modo, ut iam interficienda ab imagine lanea. *r*) Proserpinam. Ita vocatur, a voce Graeca, quae significat centum : quia centum victimis placari solebat : vel, quia centum varia nomina, et numina, seu potestates, habere dicebatur. *s*) Canidia.

a) Sagana. *b*) Unam e Furiis. c) In horto, evocatas ex Inferis : solent Infernae canes Proserpinam comitari, angues Tisiphonem. *d*) Quasi prae pudore tot scelerum erubescentem.

Singula quid memorem ? Quo pacto, alterna *e*) loquentes
Umbrae cum Sagana, resonarent triste et acutum ?
Utque lupi barbam, variae *f*) cum dente colubrae
Abdiderint furtim terris ; et imagine *g*) cerea *h*)
Largior arserit ignis ? Et ut, non testis inultus
Horruerim voces Furiarum *i*) et facta duarum ?
Nam, displosa *k*) sonat quantum vesica, pepedi
Diffisa nate ficus *l*). At illę currere *m*) in urbem.
Canidiae dentes *n*) altum Saganae caliendrum *o*)
Excidere, atque herbas, atque incantata *p*) lacertis *q*)
Vincula *r*) tum magno risuque iocoque videres.

e) Alternis. *f*) Maculosae : cuius pellis variis coloribus distincta. *g*) Et in cerea imagine magnus ignis arserit; ut imago cerea igne subito absumpta fuerit. *h*) Duarum hic syllabarum est. *i*) Canidiae, et Saganae. *k*) Vel discussa et rupta ; vel potius, cum ventus, in ea compressus, per vim emittitur, et exploditur. *l*) Ego e ficu factus. *m*) Coeperunt. *n*) Emptos et appositos, quibus verulae uti solent, ut reparent amissos. *o*) Comas adscititias, et alienas. Altum vocat : quia Romanae mulieres comas solebant post verticem reiicere, et in modum turiculae, seu racemi desinentis in acumen, componere. *p*) Quibus utebantur ad suas incantationes, magicis carminibus infecta et devota. *q*) Ex earum brachiis cadere videres. *r*) Fila et funes, quibus imagines illas suas vinciebant. *s*) Per quam ibatur in forum Romanum, atque inde ab hortos Caesa-

SATYRA IX. *Garruli cuiusdam improbam loquacitatem facete describit: et quam aegre se ab illo expedierit narrat.*

IBam forte via Sacra *s*) sicut *t*) meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus *u*) in illis.
Accurrit quidam, notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu: Quid agis *a*) dulcissime rerum *b*)?
Suaviter *c*) ut nunc est *d*) inquam, et cupio omnia quae vis *e*).
Cum assectaretur: Numquid vis? Occupo *f*). At ille
Noris *g*) nos, inquit, docti sumus. Hic ego *h*), pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Misere *i*) discedere quaerens
Ire *k*) modo ocyus, interdum consistere: in aurem

ris: prope quem locum manebat Horatii amicus aeger, quem inviscbat. Sacra dicebatur, quia per eam ibatur in Iovis Capitolini templum. Lege Donatum lib. 11. c. 12. *t*) Refer hoc ad ea quae sequuntur nugarum aliquid meditans: ut soleo, versus factitans: has enim suas Poetae nugas vocant. *u*) Animo toto et cogitatione defixus in illis nugis.

a) Qui vales. *b*) Iste genitivus *rerum*, hic abundat: sic dicitur, minime gentium. *c*) Subaudi, ago, vivo, valeo. *d*) Ut quidem nunc se res habent; in praesentia. *e*) Bene tibi omnia, et ex voto cupio evenire: formula salutandi. *f*) Prior illum sic alloquor: Numquid a me vis? An indiges aliqua mea opera? Istis vocibus, *Numquid vis?* eos iubebant Latini valere, quibuscum aliquandiu constitissent: abeuntium erat haec formula. *g*) Id cupio, ut me noscas: homo sum doctus, et litterarum, ut tu, amans. *h*) Tum ego: hoc nomine, eam ob rem, pluris ut faciam. *i*) Anxie, vehementer. *k*) Subau-

Dicere nescio quid puero *l*) : cum sudor ad imos
Manaret talos. O te *m*), Bollane, cerebri
Felicem, aiebam tacitus. Cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem, laudaret; ut illi *n*)
Nil respondebam. Misere cupis, inquit, abire,
Iamdudum video, sed nil agis *o*), usque tenebo *p*)
Persequar: hinc quo nunc iter est tibi? Nil opus est te *q*)
Circumagi; quendam volo visere, non tibi notum:
Trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris *r*) hortos.
Nil habeo quod agam, et non sum piger: usque sequar te.
Demitto auriculas *s*), ut iniquae *t*) mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:

di, coepi. *l*) Servo. *m*) Ne tu felix es, Bollane, quo molestos illos tam placide ferre soleas; cuius cerebrum non obtundatur eorum loquacitate, ut meum. Bollanus erat civis Romanus, ea tempestate notus ob insignem lenitatem et facilitatem. Porro, *Cerebri felix dicitur*, *ut*, *aeger vitae*, *purus sceleris*: Hellenismus. *n*) Cum illi nihil responderem. *o*) Nihil proficis. *p*) Semper: a tuo latere non discedam. *q*) Verba sunt Horatii: Noli, quaeso, te vexare, me persequendo, et huc illuc frustra circumcursare mecum. *r*) Erant illi citra Tiberim, in Urbis regione decima quarta, a Iulio Caesare populo legati fuerant publice. *s*) Plin. l. 11. c. 37. « In « omni iumentorum genere indicia animi praeferunt aures, « fessis marcidae, micantes pavidis, subrectae furentibus, « resolutae aegris. « Territus igitur hac denunciatione garruli Horatius, et exanimatus est. *t*) Qui sarcinam graviorum malitiose conatur excutere.

Si bene me novi, non Viscum *a*) pluris amicum,
Non Varium facies *b*): nam quis me scribere plures,
Aut citius possit versus? Quis membra movere *c*)
Mollius? Invideat *d*) quod et Hermogenes ego canto.
Interpellandi *e*) locus hic erat; Est tibi mater,
Cognati, queis te salvo est opus? Haud mihi quisquam;
Omnes composui *f*). Felices. Nunc ego resto,
Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella *g*)
Quod puero *h*) cecinit, divina mota *i*) anus urna.
Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,

a) Viscus, et Varius, erant insignes Poetae, Horatii amicui. *b*) Subaudi, quam me. *c*) Saltando. *d*) Ordo est: ego quoque canto quod invideat Hermogenes, id est, tam belle canto, ut ille mihi iure invidere possit. Erat Hermogenes insigne voce, et musicae peritissimus. *e*) Ex iis laudibus, quas arrogabat sibi garrulus, videbar, inquit Horatius, occasionem idoneam natus esse illum interpellandi, et sermonis eius molesti interrumpendi, rogandique ut sibi et valetudini suae consuleret, ne se defatigaret mecum cursitando, esse debere illius vitam et valetudinem caram ac necessariam cognatis et amicis: peto igitur ab eo, an matrem habeat etc. Nemo, inquit ille: mihi est: omnes iam sepelivi. O illos beatos! Ait Horatius, nunc resto a te, ut illi, sepeliendus: perge: absolve quod tam belle coepisti, me cum illis quoque interfice: hoc tua garrulitate hodie efficies. *f*) In pheretro, vel rogo posui. Proprium verbum exequiarum. *g*) Anus sortilega: et divinandi, perita, forte Horatii nutrix. Sabini porro, iidem qui Sabelli, erant Italiae populi, de quibus saepe dictum antea. *h*) Mihi. *i*) Postquam anus illa agitasset urnam fatidicam, in quam sortes

Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;
Garrulus hunc *k*) quando *l*) consumet cumque: loquaces,
Si sapiat, vitet simul atque adoleverit aetas.
Ventum erat ad Vestae *m*), quarta *n*) iam parte diei
Praeterita: et casu *o*) tunc respondere vadato *p*)
Debebat: quod ni fecisset, perdere litem.
Si me amas, *a*) inquit, paulum hic ades *b*).
Inteream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia iura;
Et propero quo scis *c*): Dubius sum quid faciam, inquit;
Tene relinquam, an rem *d*). Me, sodes *e*).
Non faciam, ille *f*):
Et praecedere coepit. Ego ut contendere durum est
Cum victore, sequor. Maecenas quomodo tecum *g*)?
Hinc repetit *h*). Paucorum hominum *i*), et mentis bene sanae;

coniecerat, quibus eductis divinaret futura, et praediceret. *k*) Puerum, Horatium. *l*) Aliquando. *m*) Subaudi templum: erat in foro Romano. *n*) Post horam a sole orto quartam. *o*) Forte. *p*) Alicui, qui eum erat vadatus, id est, a quo admonitus fuerat, et coactus sistere se iudici, hora constituta.

a) Haec vocula, *me*, non eliditur, et fit brevis, ob sequentem vocalem brevem. *b*) Mecum in ius veni: ut meam tua saltem praesentia causam adiuves. Ego vero, inquit Horatius, dispercam, si valeo stare: id est, adesse tibi in iudicio: stabant enim ante Praetoris tribunal; neque illic libebat sedere. *c*) Ad hortos Caesaris. *d*) Litem meam. *e*) Oro ut vox rogantis quidpiam, et blandientis, facta est, *si* et *sodes*. *f*) Subaudi, ait. *g*) Subaudi, agit, vivit. *h*) Ab hoc exordio sermonem intermissum repetit ac resumit. *i*) Paucis fa-

Nemo *k*) dexterius fortuna est usus. Haberes *l*)
Magnum adiutorem *m*), posset qui ferre secundas *n*),
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni
Summosses omnes. Non isto vivimus illic *o*)
Quo tu rere, modo: domus hac nec purior ulla est:
Nec magis his aliena malis *p*). Nil mi officit *q*) unquam,
Ditior hic, aut est quia doctior: est locus uni
Cuique suus. Magnum *a*) narras, vix credibile. Atqui *b*)

miliarem se praebet; hoc Horatius dicit. *k*) Voces garruli: nemo callidius bona fortuna usus est, quam tu, qui Maecenatem ita devincire tibi potuisti, et inter illos, quibus utitur, paucos, est. *l*) Sententia est: si hunc hominem, id est, me, (seipsum enim indicat) velles tradere, hoc est, Maecenati offerre, ut essem inter eius familiares et domesticos; haberes me magnum adiutorem, id est, iuvarem te egregie, et secundas in Maecenatis amicitia partes ferre possem, te ferente primas: omnes, qui sunt in eius domo tui aemuli vel invidi, brevi summovisses, et ex eo; quem obtinent in eius gratia, loco facile deturbasses, me iuvante. *m*) Adiutor proprie in Tragoediis dicebatur ille, qui actores gestu, interdum voce, quasi praeceptor et modulator, adiuvabat. *n*) Inter actores ille qui primas ferebat, id est, qui principem gerebat personam, caeteros in dicendo et agendo ita vincere consueverat, ut caeteri demissius loquerentur, agerentque, quamvis illi gestu et voce plus possent, ut sic nimirum primi actoris laudi et existimationi consulerent, et ille princeps quam maxime excelleret. *o*) Apud Maecenatem. *p*) Invidia, ambitione. *q*) Nocet, incommodat.

a) Rem miram dicis. *b*) Loquitur Horatius: ita res tamen

Sic habet. Accendis *c*) quare cupiam magis illi
Proximus esse. Velis *d*) tantummodo : quae tua virtus,
Expugnabis; et est qui vinci possit; eoque *e*)
Difficiles aditus primos habet. Haud mihi deero;
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero desistam; tempora *f*) quaeram.
Occurram in triviis, deducam *g*) : nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. Haec dum agit; ecce
Fuscus Aristius, occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulcre nosset; consistimus : Unde venis, et
Quo tendis? rogat *h*), et respondet *i*). Vellere coepi
Et prensare manu lentissima *k*) brachia, nutans *l*),
Distorquens oculos, ut me eriperet : male salsus *m*)

se habet. c) Facis ut magis cupiam illi esse familiaris. *d*) Eris voti compos, modo tantum velis, et ut es homo egregiis dotibus praestans, facile expugnabis, et impetrabis ab Maecenate, ut te in suorum numero esse velit : et vere is est Maecenas, ut expugnari facile possit. *e*) Quia sentit Maecenas se facile expugnari posse, non patitur facile homines ad se accedere, vix adire se sinit. Vel; quia expugnari potest, primos tantum aditus difficiles habet; ubi quis aditum ad eum reperit, caetera prona illi sunt et facilia. *f*) Idoneas occasiones. *g*) Domum suam; assectabor per Urbem. *h*) Me. Aristius, Grammaticus nobilis erat, Horatii amicus. *i*) Mihi eadem interroganti, ut in salutando fit. *k*) Quae tractari, se, pungi, velli paterentur, quasi sensu carentia. *l*) Ego; nutu illi significans, ut me ab illo garrulo liberaret. *m*) Aristius, ut maligne

Ridens dissimulare: meum iecur urere *n*) bilis.
Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas *o*) mecum. Memini *p*) bene; sed meliori *q*)
Tempore dicam: hodie tricesima Sabbata: *r*) vinctu
Curtis *a*) Iudaeis oppedere *b*)? Nulla mihi, inquam
Religio *c*) est. At mi *d*); sum paulo infirmior *e*) unus *f*)
Multorum: ignosces; alias loquar *g*). Huccine *h*) solem
Tam nigrum surrexe mihi? Fugit *i*) improbus *k*), ac me
Sub cultro *l*) linquit. Cum venit obvius illi *m*)

me ludificaretur, ridere coepit ac dissimulare, id est, ita se gerere, quasi non caperet quid vellem. *n*) Subaudi, coepit. *o*) O Aristi. *p*) Inquit Aristius. *q*) Opportuniori. *r*) Intelligitur Neomenia, id est, primus dies mensis, qui post dies triginta ferme recurrit. Vocat illum diem, Sabbatum; quia festus dies Iudaeorum vulgo Sabbatum erat; et noto apud Romanos nomine usus Horatius est. Tricesimum illud Sabbatum, quidam volunt esse ipsum Pascha, quod hoc anno incideret in medium Aprilem: a mense autem Septembri, unde suum annum Iudaei ducebant, usque ad Aprilem medium, numerantur ipsae triginta hebdomadae. Nemo autem nescit, quam religiose Pascha coleretur a Iudaeis; nefasque tunc apud illos fuisse negotii quid agere, vel privati, vel publici.

a) Circumcisis. *b*) Contradicere, et illorum religionem contemnere, de profanis negotiis mecum agendo. *c*) Mora, scrupulus. *d*) At est mihi, inquit Aristius. *e*) Religiosior, superstitiosior. *f*) Ut caeteri e vulgo. Ea vox, *multi*, saepe pro populo et promiscua multitudine, quae sine re, sine nomine est, sumitur. *g*) Tecum de hoc negotio. *h*) Horatius loquitur. Siccine diem mihi tam nigram, tam infaustam illuxisse. *Surrexe*, pro surrexisse. *i*) Aristius. *k*) Iocosus, salsus: per ludum et iocum. *l*) Ut victimam immolandam. *m*) Gar-

Adversarius *n*) : et , Quo tu *o*) turpissime? Magna
Inclamat voce : et , licet antestari *p*)? Ego vero
Oppono *q*) auriculam. Rapit in ius : clamor utrinque :
Undique concursus : sic me servavit Apollo *r*).

SATYRA X. *Lucilium , Satyra huius libri quarta , redarguerat : quam id iure fecerit , quae sit Poetae boni praecipua laus , quibus ipse sua probari scripta velit , fuse et eleganter docet.*

NEmpe *s*) incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est ,
Ut non hoc fateatur ? At idem *t*) , quod sale *u*) multo
Urbem defricuit , charta laudatur eadem
Nec tamen *a*) hoc tribuens , dederim quoque caetera , nam sic *b*)

rulo. *n*) Is qui litem illi intendebat. *o*) Subaudi, pergis. *p*) O Horatii, possumne testem citare te et facere contra hunc, ut testeris illum a me deprehensum et citatum esse. *q*) Praebeo , porrigo. Qui testem sumebantur ab aliquo, is extremam eorum tangebat aurem, ut memores essent. Sententia est ; ego vero libens testis ero , tange auriculam, et me testem scribe. *r*) Is a periclitantibus invocari solebat , ut malorum depulsor : adde quod Deus est Poetarum praeses. *s*) Respondet iis , quos reprehendendo Lucilium , offenderat. Omnino , inquit , dixi parum accuratum esse Lucilium in componendis versibus. *t*) At idem Lucilius eadem Satyra mea laudatur , quod Urbis vitia probe insectatus sit. *u*) Salis acrimonia notat Styli mordacitatem , et facetias. Porro vulnera putrida , vestes sordidae, defricari et lavari, ut purgentur, solent.

a) Quamvis autem illum eo nomine laudandum putem , nimirum quod Satyricus , quod salsus sit : non tamen caeteras

Et Laberi *c*) mimos *d*, ut pulchra poemata mirer
Ergo non satis est risu deducere rictum
Auditoris *e*) et est quaedam tamen hic quoque virtus *f*).
Est brevitate opus, ut currat *g*) sententia neu se
Impediat verbis, lassas onerantibus aures
Et sermone opus est, modo tristi, saepe ioco so;
Defendente vicem *h*) modo rhetoris, atque poetae,
Interdum urbani *i*) parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res,

illi dotes concesserim, quas inesse optimis Poetis oporteat. *b*) Si enim Lucilium, eam ob causam quod sit apprime dicax, numeris omnibus absolutum. Poetam putarem, idem mihi esset existimandum de Laberio cuius Poemata plus etiam habent salis, etc. *c*) Decimus Laberius sub Iulio Caesare floruit, scriptor facetus ille quidem, at parum accuratus in scribenda. Aequalis illius fuit P. Syrus et ipse Mimorum scriptor. *d*) Sunt mihi, poemata quaedam, e Comoediarum genere, facta ad ciendum populo risum: in iis multa turpicula et procacia gravibus sententiis miscebantur. *e*) Os: risum movere auditoribus. *f*) Dos, gloria. *g*) Prima dos bonae Satyrae, brevitas. Ut paucis verbis, quod sentias, explices. *h*) Id est, sermone ita comparato, ut modo partes rhetoris et Poetae scriptor agat, modo urbani hominis personam etc. Oratio Satyrici Poetae (de hoc enim loquitur) talis esse debet, ut nunc vices rhetoris agere videatur, nimirum ornate, splendide, vehementer dicendo: nunc obire munus Poetae, idest, iocando, fingendo, delicias quasdam verborum et amoenitates, quibus Poetae gaudent, adhibendo. *i*) Hominis urbani, comitate et honestate praediti, qui viribus suis interdum parcat, id est, non ea dicat omnia et carpat, quae potest; omittat quaedam, et dedita opera remittat aliquid de Satyrae severitate: ridere malit aliquando, et ridendo verum dicere, quam mordere acriter, et lacerare. Iocosa enim oratio saepe res magnas melius conficit, difficilem nodum aliquem

Illi, scripta quibus *k*) Comoedia prisca visis est,
Hoc stabant *l*), hoc sunt imitandi: quos neque pulcher
Hermogenes *a*) unquam legit, neque simius iste *b*)
Nil praeter Calvum, et doctus *c*) cantare Catullum *d*)
At magnum *e*) fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miscuit. O seri *f*) studiorum! Quine *g*) putetis
Difficile et mirum, Rhodio *h*), quod Pitholeonti
Contigit. At sermo *i*) lingua concinnus utraque

melius solvit, ac secat, quam tristis, mordax, et aspera. *k*) Poetae, auctores veteris Comoediae; de quibus agit Satyrae quartae initio. *l*) Propter eas, quas dixi virtutes, placebant.

a) Hermogenes Tigellius, quo utebatur Augustus musico in primis cato: Lucilii contra Horatium fautor homo imperitus, et comam vultumque doctior, quam versum componere. *b*) Demetrius Poeta, fabularum scriptor, qui quod esset insigniter deformis; vel potius, quod Poetas Elegiacos praestantes, Lucinium Calvum, et Catullum, imitari vitiose soleret, simius hic appellatur. *c*) Solitus. *d*) Poetas tunc celebres. Huius extant Carmina, bene latina quidem: sed parum saepe casta. *e*) At enim (inquiunt adversarii) ideo Lucilius est merito laudandus, remque fecit magnam et arduam, quod Graecas voces eleganter inseruerit versibus suis Latinis. *f*) O vos, quicumque hoc obiicitis, imperitos. Qui sero studiis operam dederunt, vix est ut periti evadant. Vel o tardi ad res praeclaras condiscendas. *g*) Ista vocula, *ne*, vel *ve*, ut quidam legunt, idem hic sonat ac, *nempe*, *utique*. *h*) Pitholeon ex insula Rhodo, Poeta ineptus, Latinas voces Graecis in suis versibus miscuerat. *i*) Obiectio est: at enim suavior est oratio (si quis versus faciat) in qua concinne voces utriusque linguae, Graecae, et Latinae, misceantur, ut suavius est vinum Chium, advectum e Chio, Graeca insula, si misceatur illi Falernum vinum, natum in Campania Italica. Nota Falerni est amphora, cadus Falerni notatus anno certo, et nomine Consulis. Chium vinum lenitate, Falerno austeritate praestabat: itaque alterum altero bene.

Suavior, ut Chio nota si commista Falerni est.
Cum versus facias, teipsum percunctor *k*), an et cum *l*)
Dura tibi peragenda rei fit causa Petilli?
Scilicet oblitus patriaeque, patrisque, Latine *m*)
Cum Pedius causas exsudet *a*) Publicola, atque
Corvinus patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini *b*): more bilinguis.
Atque ego *c*) cum Graecos facerem, natus mare citra *d*)
Versiculos; vetuit me tali voce Quirinus *e*)
Post mediam noctem visus, cum somnia vera *f*)
Per sylvam *g*) non ligna feras insanius, ac si

temperabatur. *k*) Interrogo, consulo. *l*) An etiam si prosa scribas, et causam Petillii v. g. defendas, subaudi, putes concinnam esse orationem, utramque lingua mixtam? Certe nolis ita scribere soluto numeris oratione; cur ego in carmine hoc facies. Nemo id Foro probaret: cur quisquam domi et in Poemate probet. De Petilio, dictum Sat. 4. *m*) Cum Pedius Publicola, et Messala Corvinus, ambo clarissimi oratores, causas suas agant Latinis verbis totis, num tu malis verba petita foris, id est, aliunde, ex alia gente et lingua, intermiscere patriis et Latinis, ut Canusini faciunt, certe nolis.

a) Magno cum sudore et labore peragat, elaboret. *b*) Canusium erat oppidum Italiae, a Graecis conditum in Apulia, unde in eo Graeca lingua et Latina promiscue cives utebantur; hinc illos bilingues vocat Horatius. *c*) Probat non esse Graecas voces Latinis commiscendas: quia vetuit eum in somnis Romulus, ne omnino versus Graecos faceret. *d*) Natus in Italia, quam ab Graecia separat mare unde vina Graeca transmarina vocitabant. *e*) Od. 2. lib. 1. *f*) Somnia putabant ea veriora, quae sub Auroram obvenirent, quando nimirum crassiores e pridiana coena fumi et vapores deferbuissent. *g*) Si malis implere catervas Graecorum, subaudi, Poetarum, id est, si Poetarum Graecorum numerum augere mavis, Graecos versiculos scribendo, quam Latinorum, Latinos versus faciendo, non minus insanias, quam qui velit ligna in sylvam ferre. Hoc proverbio utimur in eos qui aliquem rebus iis au-

Magnas Graecorum malis implere catervas.
Turgidus *h*) Alpinus iugulat dum Memnona *i*) dumque
Diffringit Rhoeci luteum caput, haec ego *k*) ludo,
Quae nec in aede sonent certantia, iudice Tarpa;
Nec redeant *a*) iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta *b*) meretrice potes, Davoque Chremeta
Eludente senem, comis garrire libellos
Unus vivorum, Fundani. Pollio *c*) Regum

gere volunt, quibus abundant. Tot iam sunt Poetae Graeci, quot arbores ingenti sylva: cur eorum numerum augeas? *h*) Dum Alpinus, (Poeta Italus nescio quis, inflato stylo inaniter tumens) tragoedias, forte Graecas totas, operose scribit, et Memnonem ab Achille iugulatum narrat: dum idem, pugnam Iovis in Gigantes describit, ac diffringit, id est, diffractum canit ab Iove caput Rhoeci, unius e Gigantibus, e luto et terra nati, ego parva carmina ludens fingo etc. Legitur etiam, *diffingit Rheni luteum caput*, id est, describit ac fingit, seu potius deformet et obscurat (id enim est, diffingere) frontem limosinum fluminis Rheni, scilicet in aliquo Poemate Epico. *i*) Memnon, Aurorae filius, ab Achille caesus, Aethiopiae Rex, ut quidam volunt. *k*) Ludo, scribo haec, id est, tenuia ista carmina, non digna quae recitentur magna voce, ac sonent in aede Apollinis, et certent cum aliorum Poetarum carminibus. Poetae clari sua carmina certis iudicibus offerebant, cum aliorum carminibus comparanda, proposito praemio illi, qui optime scripsisset. Fuit Tarpa inter illos iudices insignis.

a) Id est; non scribo Tragoedias. Quae placuerunt Tragoediae, saepius edebantur. *b*) Ordo et sensus est: O Fundani (erat Poeta comicus, Augusto carus, Horatii amicus) tu unus vivorum, nempe illorum, qui nunc vivunt, Poetarum, potes garrire comis libellos, id est, potes magna urbanitate et festivitate scribere Comoedias stylo familiari, vel, tam fluente ac facili, quam si garrires ac fabulareris: in quibus libellis, seu Comoediis meretrix aliqua arguta, id est, callida, aut cantandi perita, vel Davus, id est, servus aliquis (Davus enim nomen est solitum servis tribui in Comoedia) eludit, atque emungit argento Chrementem senem. *c*) Scriptor Tragoedia,

P 2

Facta canit, pede ter *d*) percusso. Forte Epos acer,
Ut nemo, Varius *e*) ducit: molle *f*) atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camoenae.
Hoc *g*) erat, experto *h*) frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem.
Inventore minor *i*): neque ego illi detrahero ausim
Herentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi fluere *a*) hunc lutulentum, saepe ferentem *b*)

rum, de quo 1. Ode l. 2. *d*) Versibus Iambicis senariis, qui Trimetri dicuntur. Solebant autem, in iis recitandis, ad binos quosque pedes, qui mensuram unam cunficiunt, pede terram percutere. *e*) Varius Poeta ducit, id est, componit forte Epos, (hoc est, Poema Epicum, quod fortes, ac generosos spiritus desiderat) ut alius nemo. Nondum Aeneidem suam Virgilius ediderat. *Epos* Graeca vox est, significans verbum, seu narrationem: sumitur pro eo genere carminis in quo res narrantur. Opponitur Dramatico, in quo res veluti fiunt, et personis adhibitis, exhibentur. Epicum autem Poema complectitur Bucolicum, sive pastoritium, quas Eclogas vocant, Georgicum etc. denique illud omne, quod sola narratione continetur: quo in genere primas obtinet sedes carmen Heroicum, sive Epopeia, in quo describitur actio praeclara quaedam Herois alicuius v. g. Aeneae adventus in Italiam, et victoria de Turno. *f*) Poema Epicum molle, et festivum concesserunt Virgilio Musae rusticae. Virgilius Bucolica tunc tantum ediderat, forte etiam Georgica. *g*) Satyricum carmen unum supererat, quod melius possem scribere. *h*) Quod carmen frustra expertus est, ac tentavit Varro Atacinus. Ab Athacae, Galliae Narbonensis fluvio, vel certe ab aliquo loco eiusdem nominis, apparet vocatum fuisse istum Varronem Poetam. *i*) Fateor tamen me multa inferiorem esse Lucilio qui primis Satyram invenit, et scripsit.

a) Impolitos, et incomptos versus condere. *b*) Dixi cum saepe plura tollenda, et assumenda ferre, idest, proferre, scri-

Plura quidem tollenda reliquendis? Age quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?
Nil comis *c*) Tragici mutat Lucilius Atti *d*)?
Non ridet versus Enni *e*) gravitate *f*) minores,
Cum de se loquitur *g*), non ut *h*) maiore reprensis?
Quid vetat, et nosmet Lucili scripta legentes,
Quaerere, num illius *i*), num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos, et euntes
Mollius? At si quis *k*) pedibus quid claudere senis,

bere, quam relinquenda et carpenda. *c*) Quid? Ipse Lucilius nihilne mutatum vult in Attio? Nihilne in Ennio reprehendit, ac alio scriptum esse modo velit. *d*) Attius post Pacuvium floruit, plures Tragoedias scripsit. *e*) Ennius, Poeta Latinus antiquus; de quo saepe antea, maxime Od. 7. l. 4. *f*) Amat Ennius versus turgidos, et ampullatos, igitur versus Enni gravitate minores, id est, leviores Ennii gravitate, seu, unam Enniana gravitas postulet. Aliter explicare sic potes: versus quosdam Ennii, qui sint minores gravitate, id est, qui minus, quam par sit, habeant gravitatis: deteriores, quia gravitate careant, quae in aliis quibusdam eiusdem Ennii versibus elucet. *g*) Lucilius de seipso. *h*) Non ita tamen, ut se Lucilius putet maiorem, et praestantiorem esse Ennio, et aliis quos reprehendit. *i*) Num ipsius Lucilii natura durior num rerum, quas tractavit, natura siccior, et sterilior, negarit illi versus meliores, id est, in causa fuerit, cur versus ediderit minus tornatos, et pexos? *k*) Sententia: at si quis hoc tantum amat, ut multos scribat versus, qualescumque illi sint (quod Cassio, Etrusco Poetae, contigit, qui rapido amne uberior, et copiosior erat), ego sane illi homini concedam comem, et urbanum fuisse Lucilium, limatiorem fuisse, et ornatiorem, quam Ennius fuerit; qui auctor extitit Satyrici carminis, adhuc rudis suo tempore, et a Graecis intentati, nondum tractati; fuisse etiam politiorem Poetis omnibus senioribus, et superioris aevi: sed tamen, si ille hac aetate nostra natus esset etc. Vides concessionem ironicam; non est satis multos versus fundere, ut fecit Lucilius, qui si nunc viveret, plerosque ex illis deleturus esset, ac diligentius scriberet.

Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus? Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium; capsis *a*) quem fama est esse, librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam
Comis et urbanus, fuerit limatior idem,
Quam rudis, et Graecis intacti carminis auctor,
Quamque Poetarum seniorum turba: sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
Detereret *b*) sibi multa, recideret *c*) omne, quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet *d*), vivos et roderet ungues,
Saepe *e*) stylum vertas, iterum quae digna legi sint
Scripturus; neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens

a) Qui tam multos ediderat versus, et libros, ut suis scriniis, et chartis, non congestis, ut fit, lignis, ambustus fuerit post obitum ut eius libri, et arculae extruendo rogo suffecerint. *b*) Detraheret. *c*) Amputaret omnia supervacanea; quae nimirum trahuntur, et accedunt ad ea, quae iam perfecta sunt, tanquam inania ornamenta, onerantia potius, quam ornantia. *d*) Fricaret, scalperet unguibus. *e*) Saepe delere, ac mutare debes quod scripseris, si velis ea scribere, quae digna sint iterum legi ac saepius. Stylus erat acus ferrea, quali nunc utimur in pugillaribus, capite plano, extrema parte acuta: hac scribebant in cera: illo, scripta inducebant, ac delebant, aequata cera, et complanata. Hoc vocabatur stylum vertere, seu invertere, utendo capitata eius parte, ad delendum, quod

Vilibus in ludis *f*) dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est Equitem *g*) mihi plaudere, ut audax *h*)
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius *i*)? aut crucier, quod
Vellicet absentem Demetrius *k*)? aut quod ineptus
Farnius Hermogenis laedat *l*) conviva Tigelli?
Plotius, et Varius, Maecenas, Virgiliusque,
Valgius, et probet haec Octavius *m*), optimus, atque
Fuscus, et haec utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione *a*) relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messala, tuo cum fratre, simulque,
Vos Bibuli, et Servi; simul *b*) his te, candide Furni;
Complures alios, doctos ego quos, et amicos
Prudens *c*) praetereo; quibus haec, sint qualiacumque,
Arridere velim: doliturus, si placeant spe *d*)
Deterius nostra, Demetri, teque, Tigelli, *e*)

acumine scriptum erat. *f*) Scholis. *g*) Homines lectos et nobiles. Forte Maecenatem innuit, qui in Equestri loco, et ordine constiterat. *h*) Id quod dixit Arbuscula (muliere in Comoediis personam agere solita); quae cum exploderetur a populo, dixit sibi satis esse. Equitibus probaretur. *i*) Id est, Pamilius Poeta putidus, et ignobilis. *k*) Ignobilis Poeta, ut et Fannius, etc. *l*) Me conviciis vellicet. *m*) Poeta insignis, et historicus.

a) Possum te inter illos amicos meos virosque doctissimos numerare; citra fastum, et adulationem, ex rei veritate, o Pollio. *b*) Una cum illis. *c*) Sciens, ac volens. *d*) Minus quam spero. *e*) Hermogenes Tigellius, Poeta imperitus; non is de quo meminit Horatius Satyr.2, quem Tigellium Sardum

Discipularum inter iubeo *f*) plorare cathedras.

I puer *g*), atque meo citus haec subscribe *h*) libello.

appellat, mortuumque scribit. *f*) Locutio est Graeca, et imprecandi formula: idest, inglorios esse et indecores patior, ringi et invidere mihi non aegre video, in ludis vestris litterariis, ubi mulierculae vos audiunt. *g*) Amanuensem aliquem significat, qui scripta et dictata exciperet. *h*) Post caeteras satyras in hoc libello comprehensas hanc etiam, caeteris nihilo inferiorem, scribe, et aliis adde. Vel clausulam hanc appone isti Satyrae ut quibus probari, ac placere velim, constet.

Q. HORATII FLACCI SATYRARUM

LIBER SECUNDUS

SATYRA I. *Trebatius Horatius consulit, an sibi putet scribendas esse porro Satyras.*

SUnt, quibus in Satyra videar nimis acer *i*) et ultra *k*)
Legem tendere opus: sine nervis *l*) altera, quidquid
Composui, pars esse putat; similesque meorum
Mille die versus deduci *a*) posse. Trebati *b*)
Quid faciam, praescribe. Quiescas. *c*) Ne faciam, inquis,
Omnino versus? Aio. *d*) Peream *e*) male, si non

i) Asper, severus. *k*) Progredi ulterius, acerbius scribere quam lex sinat ultra modum; et usitatam in vitiis notandis consuetudinem, habet enim suas leges Satyra quas libro superiori explicat. Exponi etiam potest, de lege Decemvirali, quam Horatius violaret. Decemviri enim in eos qui fecissent malum carmen, id est, quod alicui infamiam, et labem graviorem inureret, poenam capitis sanxerunt. Timens Horatius, ne contra legem hanc peccaverit, Trebatium, iurisconsultum ea tempestate celebrem, consulit festive; ac sibi respondentem inducit. *l*) Pondere sermonis, et sententiarum gravitate.

a) Scribi. Metaphora sumitur a lana, quae sine labore ducitur e colu. Alias, deductum carmen, elaboratum, et subtile significat. *b*) C. Trebatius Testa vocabatur, vir optimus, et iuris scientissimus, amicissimus Ciceronis, cuius plures extant ad eum epistolae, lib. 7. *c*) Respondet Trebatius: Auctor tibi sum, ut abstineas penitus a scribendo. *d*) Ita censeo, inquit Trebatius *e*) Sane verum dicis; et praestaret versus omnino non facere: verum hanc unam artem habeo conciliandi mihi somni; vel, cum dormire non possum, in versibus faciendis noctem pono. Aliam rationem somni conciliandi te do-

Optimum erat *f*) verum neque domire. Ter uncti *g*)
Trasnanto *h*) Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia lauturus. Cupidum *i*) pater optime *k*) vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia *l*) pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide *m*) Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.
Attamen *n*) et iustum poteras, et scribere fortem;
Scipiadam ut sapiens Lucilius. Haud mihi deero;
Cum res ipsa feret: nisi dextro tempore, Flacci

cebo, inquit Trebatius: si quis dormire cupit altius, ungat oleo corpus: mox natando per Tiberim esse defatiget; paululum etiam vini ante noctem hauriat. *f*) Pro *esset*, Graeco more. *g*) Saepius uncti. Oleum corpori ante natationem illinebant; ut, poris oleo clausis, contra frigus aquae muniretur. *h*) Utitur imperativo, quasi legem, aut edictum ferret: facete. *i*) Cupientem res Augusti seribere. *k*) Trebatium sic vocat, honoris causa, ut seniorem, et iurisconsultum. *l*)-Hirsuta et horrida. Est pilum hasta brevior, apud Romanos usitata. *m*) Sagitta, quam Galli morientes, e corpore non poterunt evellere, nisi fractam. Tela, cum impetu coniecta, frangi solent. *n*) Esto, inquit Trebatius, non satis habeas nervorum ad res bellicas Augusti describendas; posses tamen illius iustitiam, et animi magnitudinem laudare; ut sapiens Lucilius laudavit Scipiadam, id est, Scipionem Aemilianum, sive Africanum minorem. Faciem enim vero, inquit Horatius, at cum opportuna se dabit occasio: Flacci enim, id est, mea verba, et laudes Caesaris; non audientur attente ac libenter ab eo, nisi dicuntur in loco, et opportuno tempore.

Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem,
Cui male si palpere *a)* recalcitrat *b)* undique tutus
Quanto rectius hoc *c)* quam tristi laedere versu
Pantolabum *d)* scurram, Nomentanumque nepotem?
Cum *e)* sibi quisque timet; quanquam est intactus et odit.
Quid faciam. *f)* Saltat Milonius, ut semel icto *g)*
Accessit fervor capiti, numerusque *h)* lucernis:
Castor gaudet equis: ovo *i)* prognatus eodem,
Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem studiorum *k)*
Millia. Me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris *l)* utroque.
Ille *m)* velut fidis arcana sodalibus olim

a) Aduleris. Palpare, proprie est, palpo, seu vola, blande et leniter attrectare. *b)* Reiiciet adulationem, et laudes molestas: ut equi feroces et generosi se duriter et odiose attrectare non patiuntur. *Undique tutus*, id est, munitus contra assentationem. *c)* Laudare Caesarem. Loquitur Trebatius. *d)* De quibus locutus erat Horatius lib. 1. *e)* Eo magis abstinere debes a scribendo, quod, quando scribis, sibi omnes timeant, quanquam eos non tangas, et carpas nominatim: teque ut maledicum, et sycophantam, oderint. *f)* Respondet Horat. Sic sum, amo satyram, ut amat saltare Milonius, temulentus quidam, et ebriosus, quem obiter notat. *g)* Percusso vini vaporibus. *h)* Cum geminatus est numerus lucernarum: cum duas, pro una, lucernas videt: id quod ebriis accidit. *i)* Pollux, Castoris frater. Castor et Pollux geniti ex ovo a Poetis dicuntur, cum Iupiter, mutatus in cygnum, Ledam ipsorum matrem adiit. Amat equos Castor, pugnas Pollux, idest, pugilatum et pugnas caestuum. *k)* Propensionum. *l)* Poetae praestantioris me, et te. *m)* Ordo est: Ille Lucilius credebat et committebat arcana sua libris, et versibus: ut si fuissent fi-

Credebat libris ; neque , si male *n*) cesserat usquam
Decurrens *o*) alio , neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva *p*) pateat *q*) veluti descripta tabella
Vita senis. *a*) Sequor hunc *b*) Lucanus , an Apulus , anceps.
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus *c*)
Missus *d*) ad hoc , pulsis , vetus est ut fama , Sabellis *e*)
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod *f*) Appula gens *g*) seu quod Lucania *h*) bellum

di sodales sui. *n*) Si quid ei adversi accidisset. *o*) Aliunde nullum solatium , quam a libris petens. *p*) Qui morbos , naufragium , aliosque casus effugerant, aut aliquid ex animi sententia gesserant, in votivis, id est, in promissis ex voto tabellis , ea depingi iubebant , et e templorum tholis suspendi. *q*) Extet in eius versibus.

a) Lucilii. *b*) Ego hunc Lucilium imitor, Horatius, anceps, id est , incertus , an sim Lucanus an Apulus; quia Venusini cives , quorum unus ego sum , agros habent Apuliam inter et Lucaniam medios, et in utriusque limite positos. c) Aliquando significat agricolam , qui agros colit ; aliquando civem, ex alia quadam urbe ad aliam incolendam et frequentandam missum : quo sensu hic sumitur. *d*) Ob hanc causam Roma missus in urbem Venusium , vacuam pulsis ea Sabellis , et praesidio ac milite destitutam, ut hostes in Romanorum agros facilem aditum non invenirent , sed ut essent qui hanc urbem munirent ac defenderent. *e*) Sabelli, a Sabinis orti incolebant montes inter Sabinos et Marsos : olim etiam Samnites appellati. Plin.lib.3. *f*) Sive Colonia fuerit missa Venusium, quia Lucani aut Apuli bellum inferrent Romanis , essetque opus hac urbe et Colonia, tanquam fraeno , ad utrosque coercendos. *g*) Est Apulia , regio Italiae , ad mare Adriaticum prope Calabriam. *h*) Est regio extremae, sive meridianae Italiae , versus Tyrrhenum mare porrecta, et Apuliae finitima , qua clauditur

Incuteret violenta: sed hic *i*) stylus *k*) haud petet ultro
Quemquam animantem *l*) et me *m*) veluti custodiet ensis
Vagina tectus, quem cur distringere coner,
Tutus *n*) ab infestis latronibus? O pater, et Rex
Iupiter, ut pereat *o*) positum rubigine telum
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! At ille
Qui me commorit (melius non tangere, clamo)
Flebit, et insignis tota cantabitur *d*) Urbe.
Cervius *a*) iratus leges minitatur, et urnam:
Canidia Albuti *b*) quibus est inimica, venenum *c*)
Grande malum *d*) Turius *e*) si quis se iudice certet.
Ut, quo *f*) quisque valet, suspectos terreat, utque

ab Oriente. *i*) Redit a diverticulo in viam. *k*) Satyra mordax, et aculeos habens. Proprie stylus, est ferrea et oblonga cuspis, qua scribebant in tabellis cera obductis: pro scribendi genere sumitur. *l*) Vivum: neminem insectabor. *m*) Utar ego Satyra, tantum ad me defendendum. *n*) Cum nihil sit a latronibus periculi. *o*) Utinam hic ensis meus, depositus et inutilis rubigine pereat et consumatur: Nemo me, amantem pacis cogat illum distringere. Quod si quis me commoverit, id est, me petierit, mihi bilem moverit; (moneo illum, et mature denuncio, satius illi fore, si me non tangat) ita male a me accipietur, ut doliturus sit etc. *p*) Famosis versibus a me describetur; et omnium erit ore.

a) Aliquis tum insignis accusator, vel quaesitor. Sensus itaque est. Cervius, si quem inimicum habet, minitatur severitatem legum, et supplicia ei a iudicibus constituenda, qui suffragia sua, in tabulis scripta, in urnam coniiciunt. *b*) Subaudi, filia *c*) Subaudi, minitatur; insignis scilicet venefica. *d*) Exitium, ruinam fortunarum. *e*) Iudex aliquis improbus et venalis. *f*) Quibus armis. Ordo est: mecum collige, id est,

Imperet hoc natura potens, sic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus *g*)
Monstratum? Scaevae vivacem crede *h*) nepoti
Matrem: nil faciet sceleris pia dextera; mirum?
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos:
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Expectat; seu mors atris circumvolat *i*) alis:
Dives, inops, Romae, seu fors ita iusserit, exul:
Quisquis erit *k*) vitae scribam *l*) color. O puer *m*) ut sis
Vitalis, metuo; et maiorum *n*) ne quis amicus

conclude, atque intellige quemadmodum quisque illi armis utatur, quibus naturaliter pollet, iisque terreat suspectos, illos unde timet, et quemadmodum natura hoc omnibus instillet imperetque illud, inquam, ex eo intelliges, quod lupi dentibus feriant etc. *g*) Nisi quod hoc eos interna vis quaedam, et tacita naturae vox doceat. *h*) Ordo est; permitte Scevae nepoti, id est, perdito adolescenti; eius arbitrio et potestati matrem ipsius longaevam permitte: nempe iste pius filius nihil in eam gravioris sceleris admittet, non franget fauces laqueo, non gladio trucidabit. Num hoc miraris? At memineris lupum pedibus neminem percutere, nec bovem dente: ita Scaeva gladio non utetur, ad matrem tollendam, sed veneno, et cicutae succo quem melli infundet. *i*) Periturum brevi. *k*) Ater, an albus, prospera, vel adversa fortuna: vitae ratio, et status, quicumque mihi futurus est. *l*) Satyras faciam. *m*) Iam Trebatius loquitur. O carissime Horati, vereor ut diu vivas. Vitalis, hoc est, vivas, et diu superstes. *n*) Potentium et nobilium, quos

Frigore o) te feriat. Quid p)? Cum est Lucilius ausus
Primus a) in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem b) nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; tum Laelius c) aut d) qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi, aut laeso doluere Metello e)
Famosisque Lupo f) cooperto versibus? Atque
Primores populi arripuit, populumque tributim g)
Scilicet uni aequus virtuti, atque eius h) amicis.

tu Satyris tuis insectatus fueris. o) Morte, quae frigidum corpus et exangue facit: vel veneno, quod exitiali frigore calorem nativum, et vitam extinguit. p) Respondet Horatius. Quid? Cum Lucilius ausus est carmina componere, in hunc operis, id est, Satyrae morem: cum ausus est tollere pellem extimam improbis, quia illi induti incedebant per ora hominum, id est, apparebant palam ut nitidi et virtute praediti, quamvis intus essent turpes ac scelerati; num eius carminibus, et hac indole Satyrica sunt offensi Laelius et Scipio Africanus minor. Num doluere quod Metellum laederet, quod Lupum famosis versibus obrueret? Tamen Lucilius nobiles aeque ac plebem corripuit, unis probis parcens et favens etc.

a) Ennius, et Pacuvius, ante Lucilium Satyras quidem scripserant: at non ita eleganter, et accurate. b) Famam probitatis, detegendo eorum vitia. c) C. Laelius, sapiens dictus, quem Cicero loquentem facit in sermone de amicitia. d) Vide lib. 4. Od. 7. e) Q. Caecilius Metellus Macedonicus, Scipioni Africani minoris, quem Lucilius colebat, inimicus, teste Plinio, fuit: unde in illum Lucilius inventus est. f) Lentulus Lupus Consul fuit, anno U. C. 597. damnatus repetundarum; post damnationem tamen Censor factus. g) Per singulas 35. tribus, promiscue irruens in quemlibet. h) Virtu-

Quin, ubi se a vulgo et scena *i)* in secreta removant
Virtus Scipiadae *k)* et mitis sapientia Laeli :
Nugari cum illo *l)* et discincti *m)* ludere, donec
Decoqueretur olus *n)* soliti. Quidquid *o)* sum ego , quamvis
Infra Lucili censum *p)* ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia, et fragili *a)* quaerens illidere dentem,
Offendet solido ; nisi quid tu , docte Trebati,
Dissentis. Equidem *b)* nihil hinc diffindere possum :
Sed tamen *c)* ut monitus caveas: ne forte negotii
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum :

tis. *i)* Ab Reipublicae administratione, et Curia , ubi tanquam in theatro personam gravem et seriam gerebant : quam deponebant domi , et intra parietes. *k)* Graeca locutio : pro Scipio vir optimus : mitis sapientia Laeli , pro , Laelius sapientissimus, ac mitissimus. *l)* Lucilio. *m)* Soluti curis , et zona , quam Romani solebant deponere domi , aut laxiorem gerere, ac solutiorem. *h)* Donec appararetur coena ; quae tum erat , etiam inter nobiles , valde frugalis, et magnam partem, ex oleribus constans. *o)* Quantuluscumque sim. *p)* Opes. Erat enim Lucilius homo nobilis , et locuples.

a) Et quaerens, et conata , illidere dentes in aliquam fragilem et mollem materiam, in solidam et duram incidet , sibique dentes oblaedet. Videtur hic Horatius respicere fabulam de serpente ; qui, cum in officinam fabri ferrarii forte irrepsisset compulsus fame, ibique arrodere limam vellet , ab ea irrisus est. *b)* Ordo est : equidem nihil possum hinc, ex iis quae dixi , diffindere , id est , tollere , mutare , abscindere : hoc est, manebo in sententia et consilio scribendi Satyras , nisi quid tibi aliter videtur; nisi tu mihi non assentiris : quod honoris tantum causa dicit, certus videlicet , quidquid dicat , et dissentiat Trebatius, pergere et scribere. Diffindere , est dividere , id est hoc in loco , aliud probare , aliud reiicere. *c)* Subaudi , hoc tibi denuntio, inquit Trebatius , ut caveas ne quid periculi et damni afferat tibi legum inscitia : moneo te

Si mala condiderit in quem quis carmina, ius *d)* est
Iudiciumque. *e)* Esto *f)* si quis mala: sed bona si quis
Iudice condiderit laudatur Caesare; si quis
Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse *g)*
Solventur *h)* risu tabulae; tu *i)* missus *k)* abibis.

SATYRA II. *Offellus quidam frugalitatem commendans, et varios gulae errores ac flagitia vituperans, ab Horatio inducitur*

QUÆ virtus *l)* et quanta, Boni, sit vivere parvo,
(Nec meus *m)* hic sermo est, sed quem praecepit Ofellus *n)*
Rusticus, ab normis sapiens *a)* crassaque Minerva *b)*
Discite. non inter *c)* lances, mensasque nitentes,

legem esse, et actionem in eos, qui famosa et maledica carmina condiderint in aliquem. *d)* Lex: actio iure constituta, et legibus permissa. *e)* Accusandi in iudicio facultas. *f)* Sit ita sane, inquit Horatius: valeat ea lex in eos, qui mala carmina scripserint. Ludit in voce, mala. *g)* Cum ipse sit probus. *h)* Leges in tabulis scriptae, explodentur eum risu, nihil in eiusmodi Poetam valebunt, qui dimissus et absolutus a iudicibus exibit. *i)* Id est, Poeta quilibet. *k)* Solutus scelere et periculo. *l)* O boni, id est, o amici, discite quae sit virtus, et quanta, parvo contentum esse. *m)* Non hic meis verbis loquor, sed Ofelli, cuius sermonem, et praecepta refero. Horatius duos tantum istos versiculos, itemque alios quatuor suo nomine loquitur, caeteros Ofellus. *n)* Nomen rustici cuiusdam, forte fictum.

a) Sapiens ille quidem, sed non imbutus philosophorum praeceptis et regulis; ab normis, carnes norma et regula, nulli sectae addictus. *b)* Doctrina non excultus, Minerva pro eruditione sumitur. *c)* Hoc discite, non inter vina, et mensas

Cum stupet *d)* insanis acies fulgoribus: et cum
Acclinis *e)* falsis animus meliora recusat :
Verum hic impransi *f*), mecum g) disquirite. Cur hoc *h*) ?
Dicam, si potero *i*). Male verum examinat omnis
Corruptus iudex. Leporem *k*) sectatus, equove
Lassus ab indomito ; vel *l*) si Romana fatigat
Militia assuetum graecari : seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem
Seu te discus *a)* agit: pete *b*) cedentem aera disco ,

opiparas etc. *d*) Cum oculi perstringuntur , et hebescunt , fulgore insigni vasorum , gemmis, auro et argento nitentium. *e*) Cum animus, inclinatus , voluptate ad falsa credenda , recusat veriora , et meliora audire , et credere. *f*) Ieiuni , et sicci. *g*) Ofellus loquitur ista omnia , ut dixi. *h*) Cur volo id a vobis impransi disquiri ? *i*) Ita praefari decuit rusticam, dicturum aliquid graviter et sententiose. Est autem hoc illius axioma. Iudex corruptus non est idoneus ad examinandam veritatem : id est : animus , dum corpus cibo et voluptatibus affluit , est tanquam iudex corruptus, qui non potest recte iudicare quam vera sint praecepta de fragilitate. *k*) Quae hactenus ab Ofello dicta sunt, locum et vicem habent exordii , iam praeclara sua frugalitatis praecepta incipit adisserere: quorum primum est , famem esse optimum ciborum condimentum ; eam labore , et exercitatione quaerendam. Igitur, ubi venatus leporem fueris, aut equitatione defatigatus etc. cum exercitatio laboriosa extuderit , id est , depulerit satietatem et nauseam : cum eris siccus, et inanis , id est ; vacuo ventre ; tunc sperne , si potes, cibum vilem : certe non eum spernes; sed , urgente fame , libenter eo vesceris. *l*) Ordo et sensus est : quod si te nimium fatigat militaris aliqua exercitatio , quae omnis quidem est laboriosa, sed maxime Romana , te inquam , assuetum molliter vivere et comessari , quod Graecorum est , seu te agit, id est, te exercet, delectat, pilae ludus, quae huc illuc celeriter pellitur , non sine labore, sed quem tamen laborem studium , hoc est, ludi huius amor, fallit molliter, id est, leviorem multo facit , et quasi lusores decipit , ne laborem sentiant : seu te discus delectat : esto sane, lude pila , vel disco , atque ita famem collige.

a) Est massa ferrea , vel lapidea , vulgo plana et rotunda ,

Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
Sperne cibum vilem: nisi Hymettia *c*) mella Falerno
Ne biberis *d*) diluta. Foris est promus *e*), et atrum
Defendens pisces hyemat *f*) mare; cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas; et
Qui partum *g*)? Non in caro nidore *h*) voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria *i*) quaere
Sudando: pinguem *k*) vitiis albumque nec ostrea.
Nec scarus *l*), aut poterit peregrina iuvare *m*) Lagois *n*).
Vix tamen eripiam *o*), posito pavone, velis quin
Hoc *p*) potius, quam gallina, tergere palatum *q*)

quae per aerem coniicitur ad certum locum et metam. *b*) Iacta discum in aerem: qui aer cedit corporibus gravioribus. *c*) Hymettus mons Atticae, ubi flores optimi, et mel exquisitum. Vinum Falernum erat austerius et durius: itaque diluebatur, et mitigabatur melle. *d*) Ironia est. *e*) Imo, inquit, adeo cibos delicatos tunc spernes, ut si tuus promus, (is dicitur, qui cibos e penu promit) domi non est: si mare procellosum et hibernum tuetur pisces, et piscationem impedit; frusto panis, nullo praeter salem adhibito condimento, contentus sis futurus, et famem placaturus cum voluptate. *f*) Hyeme inhorrescit, procellis agitatur, et inaccessum est. *g*) Unde conciliatam et natam putas voluptatem in tam tenui victu, in pane, et sale? Nempe, inquit Ofellus, voluptas edendi non est in exquisitis cibis, sed in orexi et fame, quae in te, non in cibis est. *h*) Nidor est proprie fumus ille, quem totae carnes emittunt, et odor. *i*) Condimenta, gustum. *k*) Crapula et ingluvie turgidum ac pallidum. *l*) Piscis exquisitus. *m*) Delectare. *n*) Piscis, aut avis rara et peregre advehi solita, sic appellata, ob aliquam cum lepore similitudinem, vel in colore, vel in carnis

Corruptus vanis rerum *r*) quia veneat *s*) auro
Rara avis, et picta pandat spectacula cauda
Tanquam ad rem *t*) attineat quidquam. Num vesceris ista,
Quam laudas pluma *u*)? Coctove *x*) non adest honor idem?
Carne *a*) tamen quamvis distat nihil haec magis illa,
Imparibus formis deceptum te patet. Esto.
Unde datum sentis, lupus *b*) hic Tiberinus, an alto
Captus hiet *c*), potesne inter iactatus, an amnis
Ostia sub Tusci *d*)? Laudas, insane, trilibrem
Mullum: in singula quem minuas pulmenta *e*) necesse est.

gustu. *o*) Persuadebo, docebo te. *p*) Pavone. *q*) Locutio apta rustico, ut aliae multae: id est, vesci. *r*) Pro vanis rebus, id est, vana opinione, et specie. *s*) Vendatur. *t*) Ad gustum et saporem. *u*) Pavonis. *x*) Quando coctus est pavo, est ne idem color, eadem species pennarum, quae vivo erat. Neutiquam.

a) Quamvis tamen illa, gallinae scilicet, caro nihil magis, nihil admodum distet hac carne, id est, pavonis; esto nihilominus; patior te pavonis carnem gallinae carni praeferre, deceptum formis dissimilibus, hoc est, dispari utriusque avis specie. Sed cur lupum hunc illi alteri praefers, cum sit una et eadem amborum piscium forma et species? Quia, inquis, captus est ille in Tiberi, inter pontes Tiberinos. Unde vero datum est tibi, ut hoc sentias, et discernas. An videlicet lupus captus sit inter pontes, an alto in mari, an prope ostia Tiberis; quaenam res te in eam scientiam et coniecturam inducit. *b*) Piscis est marinus ille quidem, sed qui flumina subeat: ita dictus a voracitate, ab oris ingenti rictu et hiatu. Deterrimum putabant esse, qui captus in pelago esset, meliorem qui in ostiis fluminum; optimum, qui longius a mari, v. g. inter pontes Romae, ubi aqua fluviali quasi eluebatur. *c*) Quia pisces, ut capti sunt, hiare, et palpitare solent. *d*) Tiberis, qui e Tuscia profluit in mare Tyrrhenum. *e*) Frusta: at eum tamen dividas necesse est. Mullus est piscis exquisitus.

Ducit *f*) te species, video. Quo pertinet *g*) ergo
Proceros odisse lupos ? Quia scilicet illis
Maiorem natura modum *h*) dedit , his breve pondus :
Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.
Porrectum magno magnum *i*) spectare catino
Vellem , ait Harpys *k*) gula digna rapacibus. At vos
Praesentes *l*) Austri coquite *m*) horum opsonia *n*) : quanquam *o*)
Putet aper , rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum ; cum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Nec dum omnis abacta
Pauperies epulis regum ; nam vilibus ovis ,

f) Eius magnitudo te capit , ac delectat. *g*) Id est : cur ergo lupos pisces odisti , cum sunt proceri , et maiores. Nempe, quia lupi vulgo magni sunt, mulli vulgo et natura sunt exigui. Displicent tibi scilicet pisces vulgares , et quales natura condidit : vis magnos , qui natura sunt breviores , vis breviores, qui natura magni sunt. At ieiunus stomachus res , ut sunt , et cibos accipit. *h*) Mensuram , magnitudinem. *i*) Subaudi , piscem mullum. *k*) Id est , homo gulosus, cuius gula et voracitas par sit gulae Harpyarum. Erant illae rapaces quaedam Deae ; de quibus Virgilium vide , I. Aen. 3. *l*) Meis precibus faventes , propitii. *m*) Putrefacite ; corrumpite. Austri enim , venti a meridie flanti aura aestuosa est , ac tabida. *n*) Cibos. *o*) Festiva correctio prioris imprecationis. Quanquam quid opus est rogare Austros, ut corrumpant opsonia : siquidem illa, etsi recentia, tamen apud nos iam putent, id est , fastidio sunt , propter illorum copiam , quae nauseantem stomachum sollicitat, id est , opprimit , gravat , impellitque ad viles etiam cibos optandos , ut sunt rapula, inulae, ove etc. Factum bene , quod isti pauperum cibi nondum a mensis Regum , id est , divitum , regifico luxu epulantium , abacti et expulsi omnino sint. Rhombus piscis est. Rapula sunt radices edules et notae. Inula , herba quaedam.

Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
Galloni *a*) praeconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid *b*) ? Tum rhombos minus aequor alebat.
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido ;
Donec vos auctor docuit Praetorius *c*). Ergo
Si quis nunc mergos *d*) suaves edixerit *e*) assos,
Parebit *f*) pravi docilis *g*) Romana iuventus.
Sordidus *h*) a tenui victu distabit, Ofello
Iudice. Nam frustra vitium vitaveris illud *i*),
Si te alio *k*) pravum detorseris. Avidienus *l*),
Cui Canis ex vero *a*) dictum cognomen adhaeret,
Quinquennes *b*) oleas est *c*) et sylvestria corna *d*):

a) Ante paucos annos merito vituperatus est Gallonius, quod primus omnium acipenserem piscem in sua mensa epulandum convivis apposuerit: ex illo coepit esse in pretio iste piscis, stulta hominum opinione. *b*) Quando apponi coeptus est acipenser, nonne in mari quoque erant rhombi; et in agris ciconiae. Profecto erant: sed nemo illis vescebatur, tutis licebat ipsis esse: donec Romanus quidam Praetorius auctor fuit, ut in conviviis ponerentur, suaves esse pronuntiavit, nomenque ac pretium iisdem addidit. Adeo verum est pretium opsonis non natura, sed opinione poni. *c*) Nonnulli eum Asinium Sempronium Rufum appellant; voluntque dici Praetorium ioco, quia cum Praeturam peteret, repulsam tulit, ob ciconias interfectas, et mensae appositas. *d*) Quamvis natura duros, et ita siccos, ut igne torreri vix queant. *e*) Quasi pro imperio, ut solent Magistratus, dixerit. *f*) Fidem adiunget, iis vescetur. *g*) Quae cito prava dicit. *h*) Hoc secundum Ofelli axioma, et praeceptum est. *i*) Luxum et sumptuosum victum. *k*) Ad sordes, et victum immundum. *l*) Homo sordidi, et immundi victus: ideoque Canis merito appellatus.

a) Ex morum veritate. *b*) Oleas vetustate corruptas, ab annis quinque tectas. *c*) Edit. *d*) Sunt fructus sylvestres, e cerasorum genere. *e*) Acidum. *f*) Cavet, timet. *g*) Ex am-

Ac, nisi mutatum *e*), parcit *f*) defundere *g*) vinum, et
Cuius *h*) odorem olei nequeas perferre (licebit *i*)
Ille repotia, natales k), aliosve dierum
Festos albatus *l*) celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum
Utrum *m*) imitabitur? Hac *n*) urget lupus, hac canis angit
Mundus erit *o*) qui non offendet sordibus, atque
In neutram partem cultus miser. Hic *p*) neque servis,
Albuci senis exemplo, dum munia didit *q*),
Saevus erit: nec sic, ut simplex *r*) Naevius unctam

phora in cyathum fundere. *h*) Et oleum, cuius odorem nequeas perferre, in caules instillat, id est, guttatim fundit e cornu, hoc est, vase corneo, duas libras capiente; vetus acetum large affundens. *i*) Hoc loco idem est ac *licet*; sensusque est: quamvis ille celebret repotia, id est, epulas, quae peractis nuptiis, aguntur postridie, ita dictas, quod pridiana potatio repetatur et instauretur. *k*) Subaudi, dies. *l*) Veste alba indutus, qui color laetitiae convenit: quare in sacrificiis, spectaculis, et conviviis, adhibebatur. *m*) Gallonium, an Avidienum. *n*) Proverbium hoc in eos cadit, qui suspenso sunt animo, duplici periculo urgentur, quo se vertant incerti: et lupi voracitas. Gallonio guloso, sordes canis Avidieno, nomenque ipsum belle convenit. *o*) Censeo ut sapiens mundo, et medio quodam, inter sordidum sumptuosumque, utatur victu, ita ut in neutram partem cultus, id est, vitae rationis et victus sit miser, id est, immodicus, iniquus, in neutro extremorum peccet. *p*) Sapiens. *q*) Dividit. Dum servis munera, officia, quid agere quisque debeat, distribuit, non erit saevus in exigendis illi munus. Aiunt Albucium fuisse hominem, anxie et insane accuratum in accipiendis convivis et hospitibus; qui, si quid in lautitiis eiusmodi mensarum, atque apparatu, a servulis peccaretur, graviter in eos saeviret. *r*) Negligens, supinus et ignavus, sordidus: qui aquam, aut miscendam vino, aut affundendam manibus, bene puram et limpidam, ut fit, sed unctam, et pinguem praebebat.

Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc victus tenuis quae quantaque secum
Afferat. In primis valeas *a*) bene: nam, variae *b*) res
Ut noceant homini, credas, memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit. At simul assis *c*)
Miscueris elixa *d*), simul conchylia *e*) turdis:
Dulcia se in bilem *f*) vertent: stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Coena *g*) desurgat dubia *h*)? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis *i*) animum quoque praegravat una,
Atque affigit humo divinae particulam aurae *k*)
Alter *l*), ubi dicto *m*) citius curata *n*) sopori *o*)
Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.

a) Hoc affert commodum, ut bene valeas. *b*) Facile fiet, ut credas varios cibos homini nocere, si memineris quam tibi aliquando facile sederit, id est, in stomacho bene concocta et composita fuerit una quaedam esca, eaque simplex, et unius modi. *c*) Tostis carnibus. *d*) Coctas carnes. *e*) Ostrea. pisces. *f*) Bilis est humor siccus et calidus: pituita, humor frigidus et humidus, unde inter se pugnant, et tumultum, id est, bellum intestinum stomacho afferunt. *g*) Surgat de coena. *h*) Ubi convivae dubitant, quas gustent ac sumant potissimum dapes; ita multae, et variae sunt. *i*) Crapula pridiana. *k*) Id est, partem divini spiritus, et ipsius Numinis portionem, ut putabant. *l*) Qui parcus et frugalis est. *m*) Exiguo tempore, obiter, et quasi aliud agendo. *n*) Cibo refecta. *o*) Somno recreavit. Ubi se, post brevem et modicum cibum, lectulo dedit; ex illo vegetus et alacer ad praescriptas sibi ab officio,

Hic tamen ad melius *p*) poterit transcurrere quondam :
Sive diem festum rediens advexerit annus ;
Seu recreare volet tenuatum *q*) corpus ; ubique *r*)
Accedent anni , et tractari mollius aetas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam ,
Quam puer et validus praesumis *s*) mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit , seu tarda senectus ?
Rancidum *t*) aprum antiqui laudabant *u*): non quia nasus
Illis nullus erat ; sed , credo , hac mente *x*) quod hospes
Tardius adveniens, vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus *a*) me prima tulisset !
Das aliquid famae *b*) , quae carmine gratior aurem
Occupat humanam ? Grandes rhombi , patinaeque ,
Grande ferunt una cum damno dedecus. Adde

et negotiis suis , functiones surgit. *p*) Ad lautiorem victum. Erit ubi vescatur benignius. *q*) Labore defatigatum. *r*) Et ubi, et quando senex erit. *s*) Ante opportunum et idoneum tempus sumis. *t*) Commendat frugalitatem , ab exemplo maiorum. *u*) Ut indicium frugalitatis : quia id erat signi, aprum saepius mensae appositum fuisse , et frustatim, diuque comesum. *x*) Rati esse honestius illum , quamvis putentem et semesum , ab hospite consumi , quam integrum et recentem ab Domino.

a) Pro antiqua aetate ponitur. *b*) Quod si te famae tuae cura tangit, quae omni cantilena , et armonia gratior , ad homi-

Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum *c*),
Et frustra mortis cupidum, cum deerit egenti
Aes, laquei pretium *d*). Iure, inquis, Thrasius *e*) isti
Iurgatur *f*) verbis. Ego vectigalia magna,
Divitiasque habeo tribus amplas Regibus. Ergo
Quod superat *g*), non est melius quo insumere possis?
Cur eget *h*) indignus *i*) quisquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deum? cur improbe carae
Non aliquid patriae tanto emetiis *k*) acervo?
Uni nimirum recte tibi semper erunt res?
O magnus post hac *l*) inimicis risus? Uterne *m*)
Ad casus dubios fidet *n*) sibi certius? Hic, qui *o*)
Pluribus assuerit mentem, corpusque superbum;
An qui contentus parvo, metuensque futuri;
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis *p*) his credas: puer hunc ego parvus Ofellum

num aures accidit. *c*) Displicentem, et odiosum. *d*) Quo emas laqueum, ut te, consumptis opibus desperantem, et aerumnosum suspendas. *e*) Aliquis lautus et luxu deditus, idemque pauper. *f*) A te obiurgatur: his verbis reprehenditur, non ego. *g*) Quod tibi superfluum est, illud melius non potes insumere? *h*) Est pauper. *i*) Qui meretur non egere; qui divitiis est dignus. *k*) Ex acervo metiris, decutis, seponis. *l*) Cum tibi res evenient adversae: tunc risum praebebis magnum inimicis. *m*) Uter tandem? legitur etiam *uternam*. *n*) Perfugium in rebus afflictis et miseris certius et paratius habebit; confidet se fortunae casibus dubiis non evertendum. *o*) Is qui laute semper se tractaverit, an qui parce et duriter, prospiciens egestatem venturam; et in eam opes reservans, ut dux belli peritus in pace providet iis rebus, quibus opus est in bello? *p*) Videtur

Integris opibus novi non latius *q*) lusum,
Quam nunc accisis *a*). Videas *b*) metato *c*) in agello
Cum pecore, et gnatis, fortem mercedem colonum.
Non ego, narrantem, temere *d*) edi luce profesta
Quidquam, praeter olus fumosae cum pede pernae.
Ac mihi cum longum post tempus venerat hospes,
Sive operum *e*) vacuo gratus conviva per imbres
Vicinus, bene erat *f*) non piscibus urbe petitis,
Sed pullo, atque hoedo: tum pensilis uva *g*) secundas
Et nux ornabat mensas *h*), cum duplice ficu *i*).
Post hoc *k*) ludus erat culpa potare magistra:

hactenus locutus fuisse Ofellus: iam Horatius illi adstipulatur, eiusque axiomata confirmat. *q*) Largius: non vixisse sumptuosius, cum erat florente fortuna et in ampla re, quam nunc in accisa, tenui, et perdita.

a) Imminutis. Eius agri Umbreno, veterano militi, post civile bellum, et pugnam Philippensem, attributi fuerant: eosque non iam ut dominus proprios, sed ut colonus et conductor, mercede tanquam alienos colebat: fortis tamen, et in mala fortuna vir bonus, ac sibi constans. *b*) Quilibet videre et audire potest ita dicentem et narrantem: non ego temere, etc. *c*) Dimenso in certa iugera, ut militibus assignaretur. *d*) Facile, passim, sine certa et gravi causa. *e*) Vacanti ab labore, et opere rustico. *f*) Genio videbar indulgere. Abunde mihi erat ad convivium pullus, etc. *g*) Uva passa, et siccata. *h*) In quibus bellaria et fructus apponebantur. Vide Oden 4. lib. 4. *i*) Magna, sic Virgil. 3. Geor. *Duplex agitur per lumbos spina*, id est, lata, ingens. Vel duplex ficus est duorum generum praecox et serotina; vel alba, et nigra. *k*) Post illas epulas agrestes, et inemptas, non alius nobis ludus magis arridebat, quam petita re, ea lege, ut, quid inter ludendum peccaret, is vini cyathum haurire cogeretur et suam in ludendo culpam quasi magistram vini, qua bibere iuberetur, haberet. Solebant Romani, cum potarent, aliquem bibendi ar-

Ac venerata *l*) Ceres, ut culmo surgeret alto,
Explicuit *m*) vino contractae seria frontis.
Saeviat, atque novos moveat fortuna tumultus;
Quantum hinc *a*) imminuet? Quanto *b*) aut ego parcius, aut vos,
O pueri nituisti *c*), ut huc novus incola venit?
Nam propriae *d*) telluris herum natura, neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit. Nos expulit ille:
Illum aut nequities *e*), aut vafri inscitia iuris;
Postremo expellet certe vivacior *f*) haeres.
Nunc ager *g*) Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius: sed cedet in usum

bitrum et magistrum convivii, seu Regem, ut vocabant, constituere, qui praescriberet quot quisque cyathos, quo tempore, et pacto biberet. Ita in hoc ludo Ofelli culpa cuiusque erat veluti magistra vini, quae quoties biberetur, ediceret. Legunt alii *cuppa magistra*; est autem cuppa vas vinarium; critque haec sententia: nullum alium potandi magistrum et arbitrum, quam ipsam cuppam, adhibere, id est, bibere quantum cuique videretur, quantum ipse cyathus ferret, hic nobis ludus erat. *l*) Culta et rogata: ut culmos grandiores tolleret, messem opimam largiretur. *m*) Sensus est, pleni spe bona messis uberioris, quam nobis, venerata Ceres facere videbatur, largius nos invitabamus; et curas ac negotia seria, quae frontem contrahunt, discutiebamus vino; animos exhilarabamus.

a) Ex his angustis opibus, ex hac recula, quid mihi poterit auferre, qui parvo contentus sum? *b*) Sententia est, et ordo; ut, id est, postquam in hunc agrum miles venit (Umbrenium intelligit) quanto parcius, an ideo malignius, o servi, o liberi mei, fuistis nutriti, et vestiti? Neutiquam, certe. *c*) Pingues et nitidi, lauti fuisti. *d*) Recte Cato: *commorandi nobis diversorium, non habitandi locum natura dedit.* Propriam igitur tellurem vocat, cuius sit dominus quispiam, quae sua sit. *e*) Luxuria, profusi sumptus. *f*) Diutius vivens. *g*) Ille

Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes.
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

SATYRA III. *Inducitur Damasippus quidam, philosophus Stoicus, Horatium inertiae accusans: ac data occasione, paradoxum illud Stoicorum explicatur*, Omnes prope homines insanire.

SIC caro scribis *h*), ut toto non quater anno
Membranam *i*) poscas, scriptorum quaeque retexens *k*),
Iratus tibi *l*), quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet *a*)? ab ipsis
Saturnalibus *b*) huc *c*) fugisti *d*). Sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis: incipe. Nil est *e*):

ager, qui non ita pridem ager Ofelli dicebatur, qui nunc sub Umbreni nomine dicitur etc. *h*) Ita in componendis versibus negligens es, inquit Horatio Damasippus, qui eum fingitur convenisse in villulam, quo se per Saturnalia Horatius receperat. *i*) Chartam, papyrum. Proprie tamen fiebat Papyrus ex intimo et tenuissimo cortice Papyri, fruticis Aegyptiaci; membrana vero e pelle detracta membris animantium. In ea porro membrana describebant Romani quod servatum vellent, aut editum in vulgus: at si quid parum accurate, scriptitarent, utebantur palympsestis, id est, tabulis ligneis, cera obductis, in quibus deleri, quod scriptum erat, facile posset, complanata cera. *k*) Delens, commutans. *l*) Aegrae te ipsum ferens, quod cum urbe degeres ubi vino et somno largius indulgebas, nihil scribere dignum quod in publicam lucem ederetur.

a) Quorsum evadet ista tua socordia? *b*) Saturnalia, Saturni festa. Decembri mense celebrabantur: in iis genium curabant. *c*) Rus. *d*) Ut in otio et sobrius scriberes, te ab urbe (in qua omnia personabant Graecantium clamoribus) proripuisti. *e*) Subaudi, excusationis tibi: potest etiam haec esse Horatii responsio: nihil est mihi quod scribam, nihil in mentem venit: frustra, meos calamos accuso, et immeritum tundo

Culpantur *f)* frustra calami, immeritusque laborat

Iratus *g)* natus paries Dis, atque Poetis.

Atqui *h)* vultus erat multa et praeclara minantis,

Si vacuum *i)* tepido cepisset villula tecto.

Quorsum pertinuit stipare *k)* Platona Menandro?

Eupolin *l)* Archilochum *m)* comites educere tantos

Invidiam *n)* placare paras, virtute relicta?

Contemnere, miser. Vitanda est improba Siren *o)*?

Desidia, aut quidquid *p)* vita meliore parasti

Ponendum aequo animo. Dî te, Damasippe, Deaeque

parietem; nihil extundo. *f)* Frustra calamos accusas, et feris parietem. Solebant Poetae noctu in tenebris elucubrare carmina ob eam rem habebant, ad spondam lecti, tabulam, vel parietem cera obductum, in quo versus, si qui tum fierent, exarabant. *g)* Infelix paries, et quasi adverso fato extructus. Si nihil extunderet Poetae meditando; ab iis iratis vapulabat, et pugnis feriebatur paries, pluteus etc. Unde Persius, de Poeta negligentius scriptitante, *nec pluteum caedit etc.* *h)* Tamen mira quaedam te scripturum promittebas. *Minari* interdum est promittere. *i)* Otiosum. *k)* Congerere libros Platonis, et Menandri. Plato fuit Atheniensis Philosophus, ob sapientiam et eloquentiam, divinus appellatus. Menander Poeta comicus Graecus, vixit anno U. C. 461. Huius plerasque fabulas Terentius vertit in latinum sermonem. *l)* Qui fuerit, vide Satyram 2. lib. 1. *m)* De illo vide Oden 6. lib. 5. *n)* An paras superare invidiam, eos qui tibi invident mitigare, nihil scribendo, laborem et litteras relinquendo? Aberras tota via: contemnent illi te, qui prius invidebant etc. *o)* Sirenes, marina monstra, Virgines alatae, non ut vulgo pinguntur, partim foeminae, partim pisces, in Mari Tyrrheno, praetereuntes nautas in scopulos pertrahebant cantus suavitate. *p)* Fama, quam

Verum *q*) ob consilium donent tonsore *r*). Sed unde
Tam bene me nosti ? Postquam *a*) omnis res mea Ianum *b*)
Ad medium fracta est *c*) , aliena negotia curo.
Excussus propriis. Olim *d*) nam quaerere amabam
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus *e*) aere *f*)
Quid sculptum infabre *g*) quid fusum durius *h*) esset.
Callidus huic signo *i*) ponebam *k*) millia centum :
Hortos , egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram : unde *l*) frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita. Novi ,

bonis artibus et studiis collegisti. *q*) Sapiens, aequum. *r*) Qui longam istam, et philosophicam barbam radat. Scilicet barbatus erat iste Damasippus , ut philosophi tum fere omnes ; et praeter barbam nihil philosophi habebat : homo tamen Romanus , ac Senator ; sed male curiosius , et emax ; de quo Cicero epist. 23. lib. 7. et alias.

a) Respondet Damasippus : ex quo fortunarum omnium iacturam feci : cum negotia propria iam habeam nulla , curo aliena. *b*) Iani templo adiuncta via , Ianus vocabatur : ibi foeneratores , argentarii , lautioresque mercatores degebant. Eius vici pars prima dicebatur primus Ianus, media, medius Ianus. *c*) Ducitur a naufragio metaphora. *d*) Cum floreret mea res familiaris, veteres statuas, et antiqua pocula, curiose quaerebam etc. *e*) Aeoli filius, Corinthi Rex , homo mire astutus, *f*) Vase aereo. *g*) Inscite, impolite. *h*) Conflatum ineleganter, et aspere. Contra , *spirantia mollius aera* , laudantur a Virgilio 6. Aeneid. *i*) Statuae alicui : certam pecuniae summam pro incerta et qualibet nominat. *k*) Illa aestimabam centum millibus sestertium : quae summa conficit decem millia librarum. *l*) Ideo compita frequentia ; id est , mercatores , qui solent in compita frequenter convenire, mihi cognomen Mercurialis, id est, a Mercurio dilecti imposuerunt. Praeest Mer-

Et morbi *m*) miror purgatum te illius. Atqui *n*)
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor *o*)
Traiecto lateris miseri, capitisque dolore:
Ut lethargicus hic cum fit pugil, et medicum urget.
Dum ne quid *a*) simile huic, esto, ut lubet. O bone *b*) ne te
Frustrere *c*): insanis et tu, stultique prope omnes *d*),
Si quid Stertinius *e*) veri crepat *f*): unde *g*) ego mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
Solatus iussit sapientem pascere *h*) barbam,
Atque a Fabricio *i*) non tristem ponte reverti.

curius lucro et mercaturae. *m*) Graeca locutio: morbo te isto purgatum. *n*) Loquitur Damasippus: veteri morbo expulso novus successit: olim res meas, nunc alienas curo. *o*) Sic aliquando morbus lateris, et capitis, solet in stomachum traiici et traduci: sic aliquis, lethargo laborans, mutato morbo, fit interdum phreneticus, et pugilis instar urget medicum, id est, vexat, pugnis contundit. Lethargus est morbus, qui veternum et somnum pene inexpugnabilem afferre solet. Oritur ex pituita frigidiore, abundante in cerebro: phrenesis vero, ex calidiore bile.

a) Respondet Horatius. Esto ut libet, labora quo libuerit morbo, quacumque libuerit tibi phrenesi et insania; modo ne quid tibi accidat simile huic phrenetico; et pugnos a nobis tuos abstineas. *b*) Amice, inquit Damasippus, rides, et phrenesiam insaniamque mihi obiicis, etc. *c*) Decipias. *d*) Subaudi, sunt, vel, insaniunt: aiebant, enim Stoici, stultos omnes id est, aliqua vitiosa cupiditate implicatos, insanire. *e*) Stoicus philosophus. *f*) Edicit, loquitur. *g*) Ex quo Stertinio. *h*) Suasit mihi philosophus ut essem. *i*) Unde me praecipitare volebam. Pons ille a Fabricio structus fuit, et insulam Tiberinam iungit, ab ea parte, quae meridiem, et montem Tarpeium respicit: ab altera vero parte, quae Ianiculum spectat et campum Martium, est Pons Coestius. Pontem Fabricium vocant nunc Itali, *Quatuor Capitum*: Coestium vero,

Nam male re gesta *k*) cum vellem mittere operto *l*)
Me capite in flumen, dexter *m*) stetit: et cave faxis
Te quidquam indignum: pudor *n*), inquit, te malus urget,
Insanos qui inter vereare insanus haberi,
Primum nam inquiram quid sit furere: hoc si erit in te
Solo, nil verbi *o*) pereas quin fortiter addam.
Quem mala stultitia, et quaecumque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi *p*) porticus, et grex,
Autumat. Haec populos, haec magnos formula *q*) Reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes, aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut sylvis, ubi passim
Palantes *a*) error certo *b*) de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus *c*) utrique

Pontem S. Bartholomaei. *k*) Amissis fortunis; mercatura non succedente. *l*) Involuto. In luctu caput velabant, maxime si moriendi consilium cepissent, quasi vitam et lucem perosi. *m*) Auspicatus, felix. *n*) Vitiosus pudor ob rem male gestam te angit. *o*) Non te pluribus verbis deterrebo, ne fortiter mortem oppetas. Ea omnia quae sequuntur usque ad versum *Quone malo*, Stertinius cum Damasippo locutus olim fingitur. *p*) Stoici omnes, quorum dux Chrysippus. Quia isti Philosophi disputare initio solebant ingenti portico, ab Graeca voce, quae porticum significat, dicti sunt Stoici. *q*) Hoc axioma Stoicae scholae, et quasi Praetorium edictum; nempe *omnes improbos insanire*, populum, Regesque ipsos comprehendit. Formula proprie significat concepta quaedam verba iuris, ex quibus lites, et actiones instituuntur.

a) Vagantes. *b*) Recto. *c*) Errant ambo, licet diversis

Error, sed variis illudit partibus. Hoc te
Crede modo insanum, nihilo *d*) ut sapientior ille,
Qui te deridet caudam trahat. Est genus *e*) unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis: ut ignes
Ut rupes, fluviosque in campo obstare queratur.
Alterum et huic varium et nihilo sapientius, ignes
Per medios, fluviosque ruentis. Clamet amica
Mater, honesta soror, cum cognatis, pater, uxor,
Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva *f*):
Non magis, audierit, quam Fusius *g*) ebrius olim,
Cum Ilionam *h*) edormit Catienis mille ducentis.

partibus, et itineribus. *d*) Adeo ut nihilo te sit sapientior qui te ridet, similique ac tu ratione caudam trahat, id est, insaniat, ridendus sit. Pueri cum aliquem ridere volunt, eius tergo aliquid apponunt, instar caudae, quo veluti pecus habeatur. *e*) Est, inquit, unum genus stultitiae, eorum, qui timent ea quae non metuenda sunt. qui videre sibi ubique ignes videntur, et rupes. Alterum huic varium, id est, ab illo diversum, eorum est, qui non timent ea, quae iure sunt metuenda, qui nitro in ignes praecipitant se se etc. *f*) Cave, serva te. *g*) Actor quidam, qui cum Ilionae personam ageret, eamque imitaretur, dormientem, ita ut, ad vocem Polydori ipsam inclamantis, deberet expergisci, adeo praeclare, et vere dormivit, quod esset ebrius, ut excitari e somno nunquam potuerit, quamvis Catienus, qui Polydorum agebat, istas voces, *Mater te appello*, tanta voce diceret, quanta mille ducenti homines simul clamantes dicere potuissent. *h*) Erat Iliona, maxima filiarum Priami, uxor Polymnestoris, Thraciae Regis, cui Priamus Polydorum filium alendum clam, ut amico Regi et affini tradiderat, initio belli Troiani, Martis communis aleam veritus. At hunc Polymnestor, auri quod a Priamo acceperat, ut Polydorum educaret, ac celaret, amore captus, obtruncavit. Tragoediam, Ilionae nomine inscriptam ediderat Attius, aut Pacuvius; et in ea Polydori umbram faciebat existentem ab Inferis et per quietem Ilionae sorori suae se sistentem, monentemque de illata sibi nece, ac rogantem, ut suum cadaver sepeliret. Matrem autem illam vocat, tum quod esset aetate multo provectior, tum quod apud ipsam non secus atque ipsius filius educaretur.

Mater te appello, clamantibus. Huic ego *a*) vulgum
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
Integer *b*) est mentis Damasippi creditor? Esto *c*):
Accipe quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam
Tunc insanus eris, si acceperis? an magis excors;
Reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
Scribe *d*) decem a Nerio: non est satis *e*), adde Cicutae
Nodosi tabulas centum; mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.

a) Ego docebo, et demonstrabo vulgum omnem insanire, et errare errorem, huic errori similem, id est, errore simili laborare: sic dicimus, *dolore dolorem alterius, gaudium gaudere*. *b*) An sanus est is, qui tibi ementi credit, idest, qui suam mercem, statuam veterem illam, dat tibi pecuniam promittenti, quam tu nunquam daturus sis? Ostendit creditores insanire, qui debitoribus perfidis temere credebant. *c*) Finge hoc a me tibi dici; accipe quod nunquam mihi reddas; certe non eris tu insanus, illud si accipias; esses autem profecto si id recusares, et lucrum reiiceres, quod tibi propitius offert Mercurius: ego potius insanirem, qui sic darem tibi. Idem faciunt omnes fere creditores: dant debitoribus quod nunquam ab iis reddatur: unde multo sunt illis insaniores. *d*) Ostendit debitores non reddere pecuniam ipsis datam, atque adeo insanire creditores, a quibus eam accipiunt. Da sestertia decem alicui, sumpta a Nerio argentario, cuius in tabulis nomen tuum, et nomen debitoris scribas. *e*) Non sufficiat scribere nomen tuum, et debitoris in argentarii tabulis: adde ut res tibi sit tutior, tabulae Cicutae, alterius argentarii, seu foeneratoris peritissimi, qui mille modis, et nodis solet debitores constringere ne elabantur: fac ut debitor tuus scribat in illius Cicutae libris, et tabulis hoc idem debitum, et nomen: ade vincula omnium legum, et formulas iuris: tamen idem ille debitor, instar

Cum rapies in ius malis *f*) ridentem alienis ;
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et cum volet, arbor.
Si male *a*) rem genere insani est ; contra, bene sani :
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
Dictantis, quod tu nunquam rescribere *b*) possis.
Audire *c*), atque togam *d*) iubeo componere, Quisquis

Protei cuinsdam effugiet tibi, debitum non reddet. *f*) Malis, sive maxillis alienis ridere, est intempestive, et nequiter ridere. *Alienus*, saepe pro intempestivo, et absurdo ponitur. Sic dicitur, *oculis alienis aspicere*, pro, iniquis, et invidis. Mendose legitur in quibusdam codicibus *cum rapies in iura:* non enim Latine dicitur, *rapere aliquem in iura*, sed, *in ius.* Ius enim in hac Latina locutione, est locus, ubi ius redditur : iura sunt ipse leges, etc. Sic male diceretur *ambulare in iura*, pro, *ambulare in ius.* Hanc vocem, *alienis*, eodem sensu Valerius Flaccus usurpavit in hoc versus : *Errantesque genae atque alieno gaudia vultu*, idest, gaudia in tristi vultu, et invito : eodem Homerus, lib. 20. Odys. ubi procos ridere ait malis alienis, cum eorum oculi essent pleni lachrymarum, et animus luctu. Plato in Symp. ait, quod cuique bonum est, proprium appellari, et suum : alienum vero, quod malum.

a) Pergit ostendere creditores, stultiores esse debitoribus. Nam inquit, si stultus est, qui rem domesticam male administrat, qui sua inscitia, et negligentia rem perdit ; contra vero, si sapit ille qui rem facit ; certe multo insanior est Perillus, creditor tuus, qui vendit tibi statuas, hortos, etc. et qui iubet te scribere, dictat tibi ut scribas, in argentarii tabulis, te accepisse summam, quam tu numquam possis expungere, et solvere, rescribendo, in iisdem tabulis, debitum a te fuisse persolutum ; est, inquam ille, multo insanior quam tu, qui mercem eius accipis, et pecuniam promittis. *b*) Est delere quod scriptum erat. Scripserat debitor in argentarii tabulis, se debere creditori v. g. decem sestertia; ubi ea solvebat, delebat id quod a se fuerat scriptum, in iisdem argentarii tabulis. *c*) Stertinius hoc, quasi pro concione diceret, pronunciat. *d*) Scilicet defluens toga, et soluta non decet modestos, et at-

Ambitione mala, aut argenti pallet amore;
Quisquis luxuria, tristive superstitione *e*),
Aut alio mentis morbo calet; huc proprius *f*) me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est *g*) ellebori multo pars maxima avaris.
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Haeredes *h*) Staberi summam incidere sepulchro;
Ni sic *a*) fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria *b*) atque epulum, arbitrio Arri *c*),
Frumenti quantum *d*) metit Africa. Sive ego *e*) prave,
Seu recte, hoc volui, ne sis patruus mihi *f*).
Credo

ten tos auditores. *e*) Cultus est falsus, et supervacaneus Numinis: pro falsa religione saepe usurpantur. *f*) Adite me propius ut quosque appellabo. *g*) Avaros primo insanire docet. Elleborum est herba, qua insania purgatur: nascebatur in insula Graeciae Anticyra optimum. Sententia est, nescio an quidquid usquam in Anticyra nascitur ellebori, merito dandum sit avaris, an illorum curandae stultitiae sufficiat. Probat hoc exemplo Staberii. *h*) Staberius quidam avarus insignis, idemque ditissimus, iussit ab suis haeredibus notari, et scribi in marmore, quo eius tumulus tegebatur, quam eorum quisque summam in haereditate cernenda cepisset: quo testatum esset posteris, quam dives obiisset.

a) Cavit testamento suo, ut, nisi summam illam suo sepulchro scriberent, damnarentur dare centum paria gladiatorum etc. *b*) Par gladiatorum, duo gladiatores inter se compositi. *c*) Alicuius prodigi, et sumptuosi hominis; qui proinde sumptum esset prolixe facturus. *d*) Idest, maximam vim frumenti, subaudi, largiri populo. *e*) Inducitur Staberius loquens, et testamentum condens. *f*) Noli me reprehendere: aequi boni consule. Patrui fere sunt asperiores, et severiores in nepotes suos: unde patruus pro censore gravi, et obiurga-

Hoc Staberi prudentem animum voluisse *g*).
Quid ergo *h*)
Sensit, cum summam patrimoni inculpere saxo
Haeredes voluit ? Quoad vixit *i*), credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acrius: ut si
Forte minus locuples uno quadrante *k*) periret,
Ipse videretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam, et Rex,
Et quidquid volet. Hoc *l*), veluti virtute *m*) paratum.
Speravit magnae laudi fore. Quid simile *n*) isti
Graecus Aristippus *o*), qui servos proiicere aurum
In media iussit Lybia, quia tardius irent
Propter onus segnes ? Uter *p*) est insanior horum ?

tore ponitur hic, ut saepe alias. *g*) Id eo consilio fecisse. Nempe quod postea subiicit, timuisse ne peior videretur, si pauper moriretur: speravit magnae sibi laudi opes fore, ut virtute paratas, et industria. *h*) Damasippus haec dicit, Stertinium interpellans. *i*) Respondet Stertinius. *k*) Quadrans est quarta pars assis, unciae tres. *l*) Divitem esse. *m*) Frugalitate; parsimonia, sapientia. *n*) Subaudi, fecit. Aliud stultitiae proponit exemplum, in opum contemptu parum moderato. *o*) Socratis auditor, Cyrene in Lybia natus. Cyrenem porro Graeci olim condiderant. Erat igitur Aristippus Afer patria, Graecus origine. *p*) Staberius, an Aristippus? Certe Staberius, videtur insanior, avarus prodigo: aut uterque aeque desipit. At enim non tibi satisfacit hoc exemplum; quia dubitari quoque de Aristippi sapientia in ea re potest; et litem, nodum, difficultatem, non solvis, imo auges, dum

Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharae, nec Musae deditus ulli;
Si scalpra, *a*) et formas *b*), non sutor; nautica vela
Aversus mercaturis; delirus, et amens
Undique dicatur merito. Quid discrepat istis,
Qui nummos, aurumque recondit, nescius uti
Compositis *c*), metuensque contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens *d*) dominus contingere granum
Ac potius foliis *e*) parcus vescatur amaris:
Si positis intus *f*) Chii, veterisque Falerni
Mille cadis, (nihil est *g*); tercentum millibus) acre
Potet acetum *h*); age si et stramentis *i*) incubet undo *k*)
Octoginta annos natus, cui stragula *l*) vestis,
Blactarum *m*) ac tinearum epulae, putrescat, in arca:
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod

vis refellere, et coarguere insaniam Staberii, exemplo Aristippi, qui sua et ipse insania, et forte graviori, laboravit. Bene est, inquit, Stertinius: argumentis aliis utar et clarioribus. Age, quem censere esse illum, qui musicae imperitus, emeret citharas etc.

a) Gladioli sunt sutorii, quibus corium scinditur. *b*) Ligneas formas, quas sutores in calceos conficiendos inducunt, et immittunt. *c*) Collectis. *d*) Quamvis sit acervi dominus. *e*) Leguminibus. *f*) In cella vinaria. *g*) Parum est. *h*) Vappam, vinum corruptum. *i*) Palea. *k*) Septuaginta novem quasi uno dempto de octoginta. *l*) Quae lecto insternitur. *m*) Blat-

Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius, aut etiam haec *n*) libertus ut obibat
haeres,
Dis inimice senex, custodis, ne tibi desit?
Quantulum enim summae curtabit quisque
dierum,
Ungere si caules oleo meliore, caputque *o*)
Coeperis impexa foedum porrigine *p*)? Quare,
Si quidvis *a*) satis est, periuras, surripis, aufers
Undique? Tun' sanus? Populum si caedere saxis
Incipias, servosque tuos, quos aere pararis *b*);
Insanum te omnes pueri, clamentque puellae.
Cum laqueo uxorem *c*) interimis, matremque
veneno,
Incolumi capite es? Quid enim *d*)? neque tu
hoc facis Argis,

tae, ac tineae vermiculi sunt, vestem arrodentes. *n*) Tot cades. Est autem ordo: o senex Diis inimice, an custodis haec, ut a prodigo tuo filio, aut liberto consumantur? Eaque id mente facis, quasi metuas ne quid tibi desit? Ne aliquando egeas? Sed quantulum de summa tot nummorum, de tot rerum copia imminuet unusquisque dies? Quantulo eris pauperior, si oleo meliore ungas caules. *o*) Curabant caput oleo odorato, sive unguentis. *p*) Est morbus quidam capitis, cum inter pilos enascuntur squammulae quaedam; quod impexis fere accidit: furfures appellant istas squammulas.

a) Si tibi exiguum quidpiam sufficit ad victum. *b*) Pecunia emeris. *c*) Ut eius dotem possideas: matrem, ut fruaris haereditate. *d*) At enim te excusabis dicesque te haec non facere Argis, in Graecia; non uti ferro, ut Orestes etc. Quasi hoc vero ad rem pertineat? Insanivit etiam Orestes antequam ferro uteretur, nempe ultionis cupiditate actus in insaniam: insanis tu quoque, cum veneno, non ferro uteris; imo es dementior: quam fuerit Orestes, eo tempore, quo palam habiturus est insanus. Tunc enim ille nihil profecto fecit reprehendendum, Pyladem amicum ferro non laesit, aut sororem; intra verborum contumelias furor ille constitit: at tu, nec coniugi, nec

Nec ferro, ut demens genitricem occidit Orestes.
An tu reris cum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo est habitus male tutae mentis Orestes;
Nil sane fecit, quod tu reprehendere possis:
Non Pyladem ferro violare, ausus ve sororem
Electram: tantum maledicit utrique, vocando
Hanc Furiam, hunc aliud *e*), iussit quod splendida bilis *f*)
Pauper *g*) Opimius argenti positi intus, et auri,
Qui Veientanum *h*) festis potare diebus
Campana solitus trulla *i*), vappamque *k*) profestis;
Quondam lethargo *l*) grandi est oppressus, ut haeres
Iam circum loculos *m*), et claves, laetus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer, atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam *a*) poni iubet, atque

matri paries. *e*) Alio nomine, alio convicio, quod ira suggessit. *f*) Flavabilis, quae furorem excitat; cum atra, melancholiam moveat. *g*) Qui quamvis aurum argentumque intus, id est, domi, in arca positum et reconditum haberet, eius tamen erat pauper, quia illo non utebatur. *h*) Vinum vile, in agro Etruriae Veientano natum. *i*) Vase fictili, facto in Campania; vili patera. *k*) Vinum acidum et fugiens. *l*) Morbus est, quo qui laborant, somno gravi et perpetuo obruuntur. *m*) Arcas, sacculos, ubi erant Opimii nummi.

a) Abacum afferi, aut pluteum, in quo numeraret num-

Effundi saccos nummorum ; accedere plures
Ad numerandum. Hominem sic erigit. *b*) Addit et illud
Ni tua custodis , avidus iam haec auferet haeres ,
Men vivo *c*) ? Ut vivas igitur , vigila *d*) : hoc age *e*). Quid vis *f*) ?
Deficient *g*) inopem *h*) venae *i*) te , ni cibus, atque
Ingens accedat stomacho fultura *k*) ruenti.
Tu cessas ? Agedum , sume hoc ptisanarium *l*) oryxe.
Quanti *m*) emptae ? Parvo *n*). Quanti ergo ? Octo assibus. Eheu *o*) !
Quid refert morbo , an furtis , pereamne rapinis ?
Quisnam *p*) igitur sanus ? Qui non stultus. Quid avarus ?

mos. *b*) E somno lethargico existat nummorum tinnitu. *c*) Verba sunt Opimii : Mene adhuc vivente et superstite , meos mihi nummos haeres auferet ? *d*) Somnum excute. *e*) In hoc unum incumbe : attende quid dicam : audi. *f*) Voces Opimii. *g*) Loquitur medicus. *h*) Languentem et ieiunum. *i*) In quibus sanguis , et vires. *k*) Praesidium, robur. *l*) Ptisanam, seu pultem, confectam ex oryza. *m*) Petit hoc Opimius. *n*) Respondet medicus. *o*) Quid refert , inquit Opimius, an peream furtis et rapinis meorum haeredum, an morbo , qui curandus sit tot sumptibus, ita ut asses octo in unam ptisanam abeant ! *p*) Loquitur Damasippus cum Stertinio : quis igitur sanus est ? Is , inquit Stertinius , qui non est stultus, et aliqua cupiditate mala irretitus : quid porro avarus , ait Damasippus ? Qualis est ? Stultus vero ille est , respondet Stertinius, et insanus, quod stulto gravius est. Quid ? Si quis non sit avarus , estne , inquit Damasippus , statim sanus et sapiens? Minime vero , inquit Stertinius. Cur , o Stertini ? Dicam. Finge tibi medicum insignem , qualis est Craterus , dicere de aliquo aegrotante : Non est cardiacus , id est , non laborat cordis , seu stomachi dolore, et aliquem continuo su-

Stultus, et insanus. Quid? Si quis non sit avarus,
Continuo sanus?. Minime. Cur Stoice? Dicam.
Non est cardiacus (Craterum dixisse putato)
Hic aeger: recte est igitur, surgetque? Negabit:
Quod latus, aut renes morbo tententur acuto.
Non est periurus, neque sordidus *q*): immolet *r*) aequis
Hic porcum Laribus. Verum ambitiosus, et audax *a*):
Naviget *b*) Anticyram: quid enim differt barathrone *c*)
Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusi *d*) duo praedia, dives

biicere, bene habet, valet, surget e lectulo: Craterus negabit valere hominem, et posse surgere; quia lateris, aut renum dolore idem laborat. *q*) Avarus. *r*) Gratias agat Diis laribus, quos propitios expertus est; et ipsis porcum immolet. Putabantur homines ab insania liberari Deorum Larium beneficio, et eorum matris, Deae Maniae: vox enim, *Mania*, apud Graecos insaniam sonat. Haec Dea, quam alio nomine Laram dicebant, vel Larundam, communi cum Laribus cultu colebatur. Cur ipsis porcus immolaretur, diximus lib. 3. Odar. in notis ad Oden, *Aeli*, *vetusto*, *etc.*

a) Temerarius: fortitudinis famam aucupans. *b*) Id est, illum insanum esse pronuncio, qui elleboro curandus sit, quod in Anticyra nascitur. *c*) In largitiones et alios eiusmodi sumptus profundas. Isti enim ambitiosi, et Thrasones, magnos facere sumptus solent, et a parasitis spoliari. Unde legit Heinsius pro, *Barathrone*, Balathroni: qui Balathro, famosus ea tempestate, et saepe dictus ab Horatio, parasitus erat. Porro autem barathrum pro gurgite ac voragine sumitur, eratque locus quidam, sive carcer Athenis, in quem damnati demittebantur, summam in altitudinem depressus. *d*) In Ur-

Antiquo censu *e*), gnatis divisse *f*) duobus
Fertur, et hoc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: Posquam te talos *g*), Aule, nucesque
Ferre sine laxo *h*), donare *i*), et ludere vidi;
Te, Tiberi *k*), numerare *l*), cavis abscondere tristem,
Extimui, ne vos ageret vesania discors *m*):
Tu Nomentanum *n*), tu ne sequerere Cicutam *o*).
Quare per Divos oratus uterque Penates,
Tu cave ne minuas, tu ne maius facias id,
Quod satis esse putat pater, et natura coercet *p*)
Praeterea *q*) ne vos titillet gloria, iure
Iurando obstringam ambo: uter Aedilis *r*) fuerit, vel
Vestrum Praetor, is intestabilis *a*) et sacer *b*) esto.
In cicere *c*), atque faba *d*), bona tu perdasque lupinis,

be Canusina: oppidum est Apuliae. *e*) Avitis opibus pollens. *f*) Divisisse. *g*) Vide Ode 4. lib. 1. et 5. 11. *h*) Id dicimus laxo sinu ferre, cuius nullam curam gerimus. *i*) Liberalem, et prodigum esse. *k*) Tiberius erat alter filiorum Servii Oppidii. *l*) Numerare nuces, ossicula, et locis occultis abscondere. *m*) Dissimilis. *n*) Helluonem, et prodigum. *o*) Avarum foeneratorem. *p*) Moderatur, certis finibus definit, et cominet; *q*) Praeterea ego vos id mihi volo ut iurati promittatis, fore ut nunquam patiamini vos ambitione, et gloriae cupiditate duci. Itaque uter vestrum insignem aliquando Magistratum geret, is volo sit infamis ac detestabilis. *r*) Romanus erat Magistratus, cui aedium privatarum et publicarum, ludorum etc. cura mandata.

a) Sic appellatur ille, qui ius non habet condendi testamenti: vel quem nemo adhibere testem potest, ob improbitatem insaniam etc. *b*) Execrandus, detestabilis. Sumptum a victimis, quae, cum adhiberentur ad piacularia sacrificia, populi veluti criminibus onerabantur. *c*) Haec ita explica. Tunc (fi-

Latus ut in Circo *e)* spatiere, aut aeneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem?
Ne quis *f)* humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur *g)*
Rex sum. Nil ultra quaero plebeius. Et aequam
Rem imperito: ac, si cui videor non iustus, inulto *h)*
Dicere quae sentit, permitto. Maxime Regum,
Dî tibi dent capta classem deducere Troia.
Ergo consulere *i)*, et mox respondere licebit

liorum alterutrum alloquitur, cui interminatus est ne Aedilis, aut Praetor esset) bona tua perdas in dividendis cicere, faba, aut lupinis, plebi? Ut, nempe, insignem aliquam dignitatem consecutus, spatiere, id est, ambules in circo latus, hoc est, summoto late circum populo, vel, cum ingenti et lata toga? Aut ut stes aeneus, id est, ut statua tibi aerea ponatur; dum interim largitionibus istis agros et nummos tibi a me patre relictos amittes. Tunc tibi, non secus atque Agrippae viro nobilissimo, Augusti genero, plausum a populo dari velis? Ut vulpes Aesopica: quae imitata vocem leonis, feras territare coeperat, mox agnita ludibrio fuit? *d)* Cicer, lupinos, fabas, et alia legumina id genus, populo distribuebant Aediles in ludis. maxime Floralibus: idem faciebant vulgo candidati, ut populi suffragia captarent. Cicer est pisi genus: Lupinus legumen quoddam. *e)* Supra lib. 1. sat. 6. *f)* Docet exemplo Agamemnonis, cupidos gloriae maxime bellicea, esse insanos. Fingit Graecum quemdam plebeium, vel ipsum Stertinium, conqueri cum Agamemnone, quod Aiacem insepultum iacere patiatur. Hanc esse causam respondet Agamemnon, quod Aiax fuerit insanus. Respondet Plebeius, veniam praefatus. Regem non minus insanisse, qui filiam suam Iphygeniam mactare voluerit. *g)* Loquitur Plebeius: Cur, o Agamemnon, fili Atrei, vetas, etc. *h)* Impune. *i)* Interrogaret. Leniori verbo utitur, quia Regem alloquitur.

Consule. Cur Aiax, heros ab Achille secundus,
Putrescit, toties servatis clarus Achivis?
Gaudent *a*) ut populus Priami, Priamusque inhumato,
Per quem *b*) tot iuvenes patrio caruere sepulchro.
Mille ovium *c*) insanus morti dedit, inclytum Ulyssem,
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide *d*) gnatam
Ante aras, spargisque mola *e*) caput, improbe, salsa,
Rectum *f*) animi servas? Quorsum *g*)? insanus *h*) quid enim Aiax
Fecit, cum stravit ferro pecus? abstinuit vim
Uxore, et gnato, mala multa precatus Atridis;

a) Cur pateris eo insepulto laetari nostros hostes? *b*) Qui tot Troianos interfecit, et insepultos putrescere coegit. *c*) Verba sunt Agamemnonis. Res ista gesta est. Aiax, non imperatis armis Achillis, quae contra Ulyssem petebat, repulsam adeo aegre tulit, ut in amentiam et furorem sit versus: tunc oves multas neci dedit iratus, et clamans se Agamemnonem, Menelaum eius fratrem, et Ulyssem, occidere. *d*) Graeciae portus fuit, ad quem cum Graecorum classis, ad bellum Troianum profectura, consisteret, silentibus ventis, ac iratis Diis, responsum est eos, nisi mactata Iphygenia placari non posse. *e*) Far, sive hordeum erat, tostum, et mixtum sale; quo cultros, et victimae caput spargebant. *f*) Subaudi, statum: an sanus es? *g*) Quorsum haec, inquit Agamemnon. *h*) Verba sunt Plebeii: Quid fecit gravioris sceleris Aiax insaniens? Occidit gregem; at ab uxore, et filio manus violentas abstinuit, id est, in eos non saeviit, non in Teucrum etc. Teucer Dux fuit Graecorum, clarus in primis et fortis, Aiacis frater, de quo vide-

Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Ulyssem.
Verum ego *i*), ut haerentes adverso *k*) littore naves
Eriperem, prudens *l*) placavi sanguine Divos.
Nempe tuo, furiose. Meo, sed non furiosus.
Qui species *m*) alias veri, scelerisque tumultu
Permistas capiet, commotus habebitur: atque
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Aiax immeritos dum occidit, desipit, agnos?
Cum prudens scelus ob titulos *n*) admittis *o*) inanes,
Stas animo? et purum est, vitio tibi cum tumidum *a*) est cor?
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam:
Huic vestem ut gnatae paret *b*), ancillam paret, aurum *c*),
Pupam, *d*) aut pusillam appellet, fortique marito
Destinet uxorem: interdicto *e*) huic omne adimat ius
Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.

Od. 6. l. 1. *i*) Respondet Agamemnon. *k*) Inimico et infesto; unde solvere naves nequibant. *l*) Certo, et pio consilio. *m*) Ille habebitur, ille habendus est, commotus, id est, commotae, perturbatae, insanae mentis, qui capiet species; sive ideas et opiniones rerum alias, idest, diversas, remotas a veris, et cum scelere coniunctas: ac parum intererit, an isto errore stulto peccet, ut tu, o Agamemnon; an furore et ira ut Aiax: Haec dicit Plebeius. *n*) Ut tibi concilies gloriam patriae servatae; ut ambitioni servias. *o*) Iugulas filiam.

a) Ambitiosum. *b*) Emat, adhibeat. *c*) Aurea ornamenta. *d*) Nomina blandientia, id est, puellam, filiolam. *e*) Certe causa iusta erit, cur Praetor insano illi eripiat ius, omne sua nimirum bona administrandi, et civilia obeundi munera; et eius tutelam demandet ipsius propinquis. Est autem interdi-

Quid ? si quis gnatam pro muta devovet *f*) agna ,
Integer est animi ? ne dixeris *g*). Ergo ubi prava *h*)
Stultitia , hic summa est insania : qui sceleratus
Et furiosus erit ; quem cepit vitrea *i*) fama ,
Hunc *k*) circumtonuit gaudens *l*) Bellona cruentis.
Nunc age luxuriam , et Nomentanum arripe *m*) mecum ;
Vincit *n*) enim stultos ratio insanire nepotes *o*)
Hic *p*) simul accepit patrimoni mille *q*) talenta ,
Edicit *r*) , piscator uti , pomarius *s*) , anceps ,
Unguentarius , ac Tusci *t*) turba impia vici ,
Cum scurris *u*) fartor *x*) , cum Velabro *y*) omne macellum *z*)
Mane domum veniat. Quid tum ? Venere frequentes :

ctum Praetoris quodlibet, quo iubet aliquid , vel prohibet. *f*) Arae destinat. *g*) Certe id non dices. *h*) Error , cupiditas , scelus quodlibet. Qui erit sceleratus , erit idem furiosus. *i*) Fragilis, splendida, instar vitri. *k*) Qui ambitione, et bellicae laudis gloria captus est, illum Bellona reddit attonitum, idest, insanum; qui enim fulmine aut tonitru sunt perculsi , stupefiunt , et de statu mentis deiiciuntur , ut plurimum. Ita Plebeius vel Stertinius, concludit Agamemnonem , et bellatores alios insanire. *l*) Quae cruorem amat et caedem. Bellona Dea est belli, Martis soror. *m*) Expende, excute. *n*) Plane ostendit. *o*) Dissolutos , prodigos. *p*) Nomentanus. *q*) Talentum Atticum respondebat libris 2400. *r*) Palam denunciat et moneri iubet, ut adsint postridie mane apud se piscatores , etc. *s*) Qui poma, qui unguenta vendit etc. *t*) Cupedinarii, perditi homines qui vicum Tuscum , ita dictum ab Etruscis ibi olim degentibus, habitabant. *u*) Scurrae , sunt homines dicaces et festivi , qui risum aliis movent , saepe illiberaliter et putide. *x*) Qui farcimina conficit. *y*) Velabrum locus Romae celebris , ubi erant unguentarii : lege si plura cupis Alexandrum Donatum, de Urbe Roma. *z*) Locus, ubi vendebantur opsonia.

Verba facit leno. Quidquid mihi, quidquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum, et vel nunc pete, vel cras.
Accipe quid contra iuvenis responderit aequus *a)*:
In nive Lucana *b)* dormis *c)* ocreatus, ut aprum
Coenem ego: tu *d)* pisces hyberno ex aequore verris.
Segnis ego *e)*, indignus qui tantum possideam, aufer *f)*;
Sume tibi decies *g)* tibi *h)* tantumdem; *i)* tibi triplex *k)*,
Filius *l)* Aesopi detractam ex aure Metellae,
(Scilicet ut decies *m)* solidum exorberet) aceto
Diluit *n)* insignem baccam *o)*; qui *p)* sanior, ac si
Illud *q)* idem in rapidum flumen, iaceretve cloacam?
Quincti *r)* progenies Arri, par nobile fratrum,

a) Clemens, largus, et prodigus. *b)* Est Lucania regio Italiae extremae, prope Calabriam, ad mare inferum. *c)* Tu o venator. *d)* O piscator. *e)* Et ego interim segnis sum, et otiosus, te mea causa laborante; Nae indignus sum qui sim dives, nisi largior tibi. *f)* Accipe. *g)* Subaudi, centena sestertium millia, id est libras 100000. *h)* O piscator. *i)* Alium quempiam, v. g. Unguentarium appellat. *k)* Triplum, tertium tantum sumes. *l)* Actoris nobilissimi. *m)* Ut uno haustu exorberet decies centena millia solida, id est integra, plena, sestertiorum, porro ista adverbia decies centies, etc. ponuntur instar nominis neutrius. *n)* Dissolvit, liquavit. *o)* Unionem. *p)* Quomodo. *q)* Eandem hanc pecuniae summam. *r)* Ordo est: Q. Arrii progenies, filii, nobile par fratrum, id est, fratres duo famosi; gemellum, hoc est, similes, ob nequitiam, puerilia studia, et amorem rerum pravarum, qui erant soliti prandere luscinias magno pretio emptas; cur abeant, id est existimentur. Praetereantur hic

Nequitia, et nugis pravorum et amore, gemellum
Lusciniassoliti impenso *s*) prandere coemptas,
Quorsum abeant sani? Creta *t*), an carbone notandi?
Aedificare *u*) casas, plostello *x*) adiungere mures *y*),
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verset *a*).
Si puerilius *b*) his ratio esse evincet, amare,
Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores: quaero, faciasne, quod olim
Mutatus Polemon *c*), ponas insignia morbi,
Fasciolas *d*), cubitale *e*), focalia *f*): potus *g*) ut ille

tanquam sani? Certe insanis adscribendi quoque sunt, et carbone ac turpi nota inurendi. *s*) Subaudi, pretio. *Impenso*, autem est, magno: *Impense* enim significat, *vehementer*, *sedulo*. *t*) Albo lapillo notamus bona, mala nigro, et carbone, l. 1. Od. 30. *u*) Ordo est: si quis homo barbatus et provectior aetate delectetur iungendis plaustro muribus etc. Illum certe amentia exagitet. *x*) Exiguo plaustro. *y*) Equorum instar.

a) Illum agiter stultitia; insanus habeatur profecto. *b*) Si ratio evincat esse amorem aliquid magis puerile, quam has puerorum occupationes, nempe casas aedificare etc. nec differre quidquam, utrum ludum aliquem, qualem prius memoravi, ludas trimus, id est, tres annos natus, an plores captus turpi amore; id inquam, si ratio tibi ostendat; quaero num idem sis facturus, quod olim Polemon, postquam insanum eiusmodi amorem deposuit: an relicturus sis, itidem ut ille, morbi, id est amoris insignia, nempe taenias, focalia etc. Certe vereor ut facias. *c*) Discipulus Xenocratis; cui cum lasciviam, et insanos amores aliquando magister exprobrasset, sic erubuit, sic mutatus est, ut ipsi postea Xenocrati successerit, et Philosophiam Athenis docuerit, tertius a Platone. *d*) Fascias aliquando appellabantur involucra crurum et femorum: quem iam tibialia et femoralia dicuntur. *e*) Cubitorum, seu brachiorum ornamentum sericum, aureum etc. *f*) Colli ornamenta, et faucium, etc. *g*) Quemadmodum. *h*) Polemon flo-

Dicitur ex collo furtim *h*) carpsisse coronas,
Postquam est impransi *i*) correptus voce magistri.
Porrigis *k*) irato puero cum poma, recusat:
Sume Catelle *l*) negat; si non des, optat; Amator
Exclusus *m*) qui distat *n*)? Agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
Invisis foribus? Nec nunc *a*) cum me vocet ultro,
Accedam? An potius mediter finire dolores *b*)
Exclusit: revocat: redeam *c*); Non, si *d*) obsecret. Ecce
Servus *e*) non paulo sapientior: O here, quae res
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore haec sunt mala: bellum;
Pax rursum. Haec si quis tempestatis prope ritu

ribus coronatus, et ebrius in Xenocratis scholam ingressus est, qui tum forte de temperantia disserebat: huius oratione paulatim victus adolescens, coepit sibi coronas furtim detrahere etc. *i*) Sobrii. *k*) Docet insanire amatores, puerorum in morem. *l*) Canicule: vox blandientis. *m*) Foribus meretricis. *n*) An non isti puero similis est? Cum agit secum, id est deliberat, an eat ad illam, an non eat, quo, id est, cuius in domum profecto rediturus fuisset, si non fuisset accersitus; at quia accersitus est, haeret in ipso limine, dubius an ingrediatur. Hic locus est expressus ex Eunucho Terentianae Comoediae, quam vide in Terentio expurgato, quem nuper in lucem edidimus.

a) Egone (inquit Phaedria Terentianus Eunuchi Act. 1. Sc. 1.) non accedam ad Thaidem? Me nunc quidem cum me ultro accersit! *b*) Quos ex eius contumeliis patior. *c*) An redibo. *d*) Et si. *e*) Phaedriam alloquitur Parmeno, servus hero sa-

Mobilia, et caeca *f*) fluitantia forte, laboret
Reddere certa sibi; nihilo *g*) plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione, modoque.
Quid *h*) cum Picenis *i*) excerpens semina pomis
Gaudes, si cameram percusti *k*) forte, penes te es *l*)?
Quid? cum balba *m*) feris annoso verba palato
Aedificante casas qui sanior? Adde cruorem *n*)
Stultitiae *o*) atque ignem gladio *p*) scrutare. Modo *q*) inquam,
Hellade *r*) percussa, Marius cum praecipitat se,
Cerritus *s*) fuit? An commotae *t*) crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat *a*), qui circum compita siccus

nior. *f*) Incerto casu contingentia *g*) Non plus proficiet, quam si cum ratione stultus esse velit. *h*) Loquitur Stertinius. *i*) Pomorum semina e pomis educta eiaculantes primoribus digitis, si triclinii cameram, id est fornicem, seu lacunar attigissent, bene de suis amoribus augurabantur; sin contra, male. Picenus ager est in Italia ad oram maris Adriatici, pomis bonis abundans. *k*) Percussisti. *l*) Esne mentis compos? *m*) Cum tu senex, ut mulieris gratiam captes instar pueri balbutiente voce blauditias loqueris, et verbis tremulis palatum tuum verberas: quo pacto sanior es puero casulas aedificante? *n*) Crudelitatem. *o*) Insano amori. *p*) Malum malo cumula. Proverbium Graecum est: *Ignem gladio ne fodito*, seu verberato: id est, malum malo ne adde: hominem iam furentem ne stimula. *q*) Nuper. *r*) Marius, Hellade (a qua spernebatur) interfecta, cum se praecipitem e saxo dedit, nonne insanus fuit? *s*) Pro, *Cerrerius*, id est, percussus a Cerere, quae hominibus insaniam immittere credebatur. *t*) An negabis eum insanum esse, et sceleratum tamen vocabis ex more hominum, qui rebus duris et gravioribus molliora imponunt nomina? Tamen sceleris nomen est cognatum, id est, *simile*, nomini, insaniae idemque significat; qui enim sceleratus est apud Stoicos, idem est insanus.

a) Quidam libertinus senex, mane siccus, id est, ieiunus, obibat compita, (in quibus Deos Penates constitui et coli iusserat Augustus) lautis seu ablutis aqua manibus, ut eas puras ad

Lautis mane senex manibus currebat, et unum
(Quid tam magnum? addens) unum me
surpite morti,
Dis etenim facile est, orabat: sanus utrisque
Auribus atque oculis; mentem nisi litigiosus *b)*,
Excideret dominus, cum venderet. Hos *c)*
quoque vulgus
Chrysippi *d)* ponit foecunda in gente Meneni *e)*
Iupiter, ingentes qui das, adimisque dolores *f)*,
Mater ait pueri menses iam quinque cubantis *g)*
Frigida si puerum quartana *h)* reliquerit, illo
Mane die, quo tu *i)* indicis ieiunia, nudus *k)*
In Tyberi stabit. Casus, medicusve *l)* levarit
Aegrum ex precipiti: mater delira necabit

Deos tenderet, et orabat hoc: o Dii unum me ex omnibus civibus morti surripite, addens; quid tam magnum, quid est in ea te tam operosum vobis, o Superi? tantillam rem mihi non negabitis. Ille sanus erat auribus et oculis; mente non item; ac si servum iterum e libertino factus fuisset, venditusque, debuisset dominus excipere caput, id est, emptorem admonere, illum caetero corpore sanum esse, praeterquam capite, et mente. Superstitiosos, irridet Stertinis isto exemplo. *b)* Nisi dominus lites amaret litem intendi sibi vellet. Venditor enim debebat vitia omnia rei venditae, praesertim mancipiorum emptoribus aperire; ni fecisset, mulctabatur, et in eum erat actio. *c)* Superstitiosos. *d)* Stoici. *e)* Meneniorum gens, seu familia, fuit apud Romanos foecunda et numerosa: in ea quidem olim laboraverant insania; et ipsa vox Menenii, similis est atque affinis voci Graecae, quae insanum significat. *f)* Morbos. *g)* Lecto affixi, et aegrotantis. *h)* Febri, quarto quoque die recurrens. *i)* Quo Magistratus, vel Sacerdotes, ieiunium imperabunt aliquod tuo nomine. Ieiuniis publice indictis et denunciatis placare Deos moris erat; ac festos dies celebrare. *k)* A me in Tiberim mergetur leviter: vel, in ripa nudos constituetur. *l)* Si puerum e lubrico et difficili morbo recreaverit,

In gelida fixum ripa : febrimque reducet :
Quone *m*) malo mentem concussa ? Timore
Deorum *n*)
Haec mihi *a*) Stertinius, sapientum octavus
b), amico
Alma *c*) dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanus qui me, totidem *d*) audiet,
atque
Respicere ignoto discet pendentia *e*) tergo.
Stoice *f*), post damnum *g*) sic vendas omnia
pluris :
Qua me stultitia (quonam non est genus unum)
Insanire putas ? Ego nam videor mihi sanus.
Quid *h*) ? caput abscissum demens cum portat Agave *i*)
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur ?
Stultum me fateor (liceat concedere *k*) veris)
Atque etiam insanum : tantum hoc edissere,
quo me

m) Nam quo. *n*) Superstitione ; quae oritur e nimio metu Numinis.

a) Damasippo. *b*) Septem vulgo numerantur Graeciae Sapientes. *c*) Argumenta, quibus ulcisceret, si quis me stultum compellaret. *d*) Eadem verba ex me audiet. *e*) Discet respicere manticae partem, pendentem sibi a tergo quam ignorat, quam non intuetur. Fingebat Aesopus homini cuique impositam humeris pendere manticam, in cuius anteriori parte essent aliena vitia, in posteriori sua et propria ; quo fiebat, ut aliena nobis vitia semper ob oculos essent, nostra vero ignoraremus. *f*) O Damasippe, inquit Horatius. *g*) Si quidem iacturam fortunarum tuarum et naufragium fecisti, hoc a Superis bene tibi precor, ut iam in vendendo sis fortunatior, et pluris quam omnes alii merces tuas vendas, lucri plus facias. Vide versum huius Sat. 20. *h*) Sententia est, ideone sanus es, quod tibi sanus videris? Sibi videbatur Agave sana, cum maxime fureret. *i*) Penthei mater, Cadmi filia, immisso sibi furor a Baccho quem Pentheus laeserat, filii caput amputavit, rata se aprum

Aegrotare putes animi vitio. Accipe : Primum
Aedificas , hoc est , longos *l*) imitaris , ab
imo *m*)
Ad summum totus moduli bipedalis : et idem *n*)
Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritum , et incessum : qui riduculus minus
illo ?
An quodcumque facit Maecenas , te quoque
verum est *o*) ,
Tanto dissimilem , et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis ,
Unus ubi effugit , matri denarrat , ut ingens
Bellua cognatos *a*) eliserit. Illa rogare ,
Quantane *b*) ? num tandem , se inflans , sic
magna fuisset ?
Maior dimidio *c*) Num tanto *d*) ? Cum magis,
atque
Se magis inflaret : non si te ruperis *e*) inquit.
Par eris : haec a te non multum abludit *f*)
imago.
Adde poemata nunc : hoc est oleum *g*) adde
camino ,
Quae si quis sanus fecit , sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem *h*). Iam desine
i). Cultum *k*)

vel taurum discerpere. Ovid. 3. Met. *k*) Quod verum est fateri, loquitur Horatius. *l*) Proceros, id est, nobiles, divites, magnos, tu exiguus etc. *m*) A capite ad calcem. *n*) Tu idem tamen rides spiritum, id est, audaciam et vanitatem atque incessum Turbonis armati, maiorem corpore : rides Turbonem gladiatorem ingentes animos angusto in corpore versantem. *o*) Aequum est, par est, subaudi, facere, te qui tanto es illi dissimilis et tanto inferior, et impar ad certandum cum eo.

a) Pullos alios una secum natos, ex eadem ortos matre. *b*) Istud ne abundanti. Rogare coepit rana mater, quanta fuisset illa bellua. *c*) Respondet pullus. *d*) Tanto maior. *e*) Inflando te disrumpas. *f*) Abhorret, discrepat. *g*) Maiorem insaniam minoribus aliis. *h*) Iracundiam furore similem. *i*) Horatius Da-

Maiorem censu *l*) : Teneas *m*) Damasippe tuis te :
O maior *n*) tandem parcas insane minori.

SATYRA IV. *A Catio quodam Epicureo Philosopho accipit Horatius lepida praecepta de ferculis, et re culinaria. In quo Epicureos iam ridet, ut priori Satyra Stoicos.*

UNde *o*), et quo Catius? Non est *p*) mihi tempus aventi
Ponere signa novis praeceptis: qualia vincunt
Pythagoram *q*), Anytique reum *r*), doctumque Platona *s*).
Peccatum *t*) fateor, cum te sic tempore laevo *u*)
Interpellarim. Sed des veniam bonus, oro.
Quod *a*) si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox :

masippum alloquitur. *k*) Victum, vestitum ornatum corporis. *l*) Divitiis, te. *m*) In tuis te vitiis contine, mea ne attinge. *n*) O Damasippe, qui me stultiores, ignosce mihi minus stulto. *o*) Subaudi, venit. Horatius fingit se illi occurrere de improviso. *p*) Non vacat mihi respondere nunc tibi: aveo enim, id est, cupio, et in eo totus sum ut certis notis et signis adhibitis, sive literis in charta, sive imaginibus et ideis in animo, mandem memoriae praecepta nova, id est, recens ab magistro mihi tradita, quae tam insignia sunt, ut Pythagorae praecepta facile superent etc. *q*) Fuit Pythagoras ex insula Samo: in Italiam venit imperante Numa, Philosophus praestantissimus, de quo haec Ovid. 15. Met. *Mente Deos adiit, et quae natura negavit visibus, humanis oculis ea pectoris hausit.* Agit Horatius de eodem l. 1. Od. ode 23. *r*) Socratem, qui reus factus est, id est, accusatus ab Anyto Atheniensi divite. *s*) Philosophorum longe sapientissimum, cuius extant scripta egregia. *t*) Peccavi, inquit Horatius. *u*) Non opportuno.

a) Quod si quid ex his praeceptis quae iam animo cupis consignare tibi excidat, elabaturque, illud postea in mentem tibi revocabis seu quod tibi est natura facilis et docilis ad recordandum, sive hoc tibi ars dedit: in quo utroque, id est, ingenio, et

Siveest naturae hoc sive artis, mirus utroque
Quin *b*) id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
Utpote res tenues *c*), tenui sermone peractas *d*)
Ede *e*) hominis *f*) nomen; simul an Romanus, an hospes *g*).
Ipsa memor praecepta canam: celabitur auctor.
Longa quibus facies *h*) ovis erit, illa memento,
Ut succi melioris, et ut magis alba rotundis *i*)
Ponere *k*). Namque *l*) marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano *m*) qui siccis crevit in agris,
Dulcior: irriguo *n*) nihil est elutius *o*) horto.
Si vespertinus subito te oppresserit *p*) hospes:
Ne gallina malum *q*) responset *r*) dura palato;
Ductus eris *s*) vivam misto mersare Falerno:
Hoc teneram faciet. Pretensibus optima *t*) fungis

arte, mirus es, et egregie peritus. *b*) Atqui hoc ipsum agebam, in eo eram cum mihi occurristi, mecum id agitabam, quomodo retinere memoria possem omnia illa praecepta. *c*) Subtiles. *d*) Disputatas. *e*) Narra. *f*) Tui illius Magistri, a quo haec praeclara praecepta didicisti. *g*) Externus, non Romanus. *h*) Forma, figura: ab ovis incipis a quibus Romani coenam ordiebantur. *i*) Quam ova rotundae formae. *k*) Mensae opponere. *l*) Ova, inquit, oblonga sunt magis callosa; id est, habent albumen spissius et densius; tum vitellum marem continent, id est semen pulli masculi. *m*) Qui crevit in paludis et hortis prope urbem positis. *n*) Nil est magis insipidum et saporis languidioris, quam olus quod nascitur in horto, in quo plantae non nisi crebra irrigatione crescunt. *o*) Flaccidius, insulsius. Metaphora ducitur a coloribus qui vividi sunt, cum probe sunt saturi et pleni; languent, cum leviter tincti et diluti. *p*) Tibi imparato supervenerit. *q*) Adverbium est, pro male, incommode. *r*) Resistat, ob duritiem aegre dentibus conficiatur. *s*) Doceo te iam, et memineris hanc mergere vino aqua temperato. *t*) Sa-

Natura est : aliis male creditur Ille salubres
Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem *u*) quae legerit arbore solem.
Aufidus forti *a*) miscebat mella Falerno,
Mendose *b*) : quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet. Leni praecordia mulso *c*)
Prolueris melius. Si dura morabitur *d*) alvus,
Mitulus *e*), et viles pellent obstantia *f*) conchae,
Et lapathi *g*) brevis herba, sed albo non sine Coo *h*)
Lubrica *i*) nascente implent conchylia Lunae;
Sed non omne mare est generosae *k*) fertile testae.
Murice *l*) Baiano melior Lucrina peloris :

lubris et innoxia, aliis vesci periculosum est. *u*) Meridianum, mane decerptis ex arbore.

a) Austero, asperioris saporis : eius austeritatem melle temperabant, idque promulsidem vocabant, sive mulsum : eo ita temperato utebatur principio mensae Anfidius, quod Catius idcirco damnat, quia Falernum austerius est, etiam admixto melle ; itaque vino molliore utendum esse praecipit, ad mulsum faciendum, quia vacuo stomacho nihil nisi lene committendum. *b*) Prave, perperam. *c*) Vino leni cum melle mixto. Mulsum est vinum melli admixtum. *d*) Tardius, aegrius te exonerabit. *e*) Pisciculus e concharum, seu ostreorum genere. *f*) Faeces male constipatas ; excrementa duriora. *g*) Vocatur etiam rumex, brevibus et acutis foliis. *h*) Vino Graeco, ex insula Coo, ad Cariam Asiae minoris provinciam posita, Apellis et Hippocratis patria. *i*) Conchylia, id est, pisces inclusi conchis, implentur et augentur crescente luna. Lubrica vocat, quia cient alvum et laxant. *k*) Concharum insignium, quarum putamina imitantur testae duritiem. *l*) Pisciculi ex ostreorum genere. Baianus sinus est prope Baias in Campania.

Ostrea Circaeis *m*), Miseno *n*) oriuntur Echini *o*):
Pectinibus *p*) patulis iactat se molle Tarentum *q*),
Nec sibi *r*) coenarum quivis temere arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione saporum.
Nec satis est cara pisces avertere *a*) mensa,
Ignarum quibus est ius aptius *b*), et quibus *c*) assis,
Languidus in cubitum *d*) iam se conviva reponet.
Umber *e*), et iligna nutritus glande, rotundas

Lucrinus vero prope Puteolos in eadem Campania. *m*) Circaei, sive Circeii, urbs Volscorum fuit ubi est fere *Civita vecchia*. Prope hanc urbem est Promontorium Circeium, nunc dictum *Monte Circello*. *n*) Misenus est Promontorium Campaniae in Italia non procul a Cumis, nomen habens a Miseno Aeneae tubicine illic sepulto, Virg. 6. Aen. *o*) Pisces, Vide Od. 5. Epod. *p*) Pectines pisces testis sive conchis duabus includuntur striatis et spissis, quae superiori parte strictiores, inde in orbem dilatantur, unde magno hiatu aperiuntur et patuli appellantur. *q*) Urbs est Italiae in ea Calabriae parte, quae olim Messapia dicebatur. *r*) Nemo sibi arrogare potest artem et scientiam coenae recte struendae, nisi prius expenderit saporum omnem rationem, quae valde subtilis est ac difficilis ad percipiendum.

a) Mensam intellige, in qua pisces in macello venales proponuntur caro pretio emendi. Non sufficit emere pisces exquisitos et e macello auferre, si quis ignarus sit quinam elixi, quinam assi melius apponantur, suaviores sint. *b*) Elixos significat, qui ferme aliquo iure condiuntur: assi, sine ullo condimento et iure apponebantur, et ut ait Nonius, sine pigmento saporis alieni. *c*) Et quinam sint pisces, qui si assi apponantur convivis, illi se in cubitum denuo erigent et ad edendum insurgent licet iam languidi et saturi. *d*) Convivae in lectulis strati ad mensam accumbebant, corpore leviter in sinistrum cubitum inclinato, dextera cibum captantes. Vide Ode 22. lib. 1. *e*) Censeo ut aper natus in Umbria et quercea glande nutritus impleat lances eius hominis qui vitat, id est, non amat carnem mollem, pinguem, et inertem. Qui carnem amant non nimis saginatam,

Curvet *f)* aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens *g)* malus est, ulvis *h)*, et arundine pinguis,
Vinea summittit *i)* capreas non semper edules *k)*,
Foecundi leporis sapiens *l)* sectabitur *m)* armos *n)*.
Piscibus, atque avibus, quae natura *o)* et foret aetas,
Ante *p)* meum nulli patuit quaesita palatum.
Sunt *q)*, quorum ingenium nova tantum crustula promit,
Nequaquam satis in re una *r)* consumere curam:
Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret;
Quali perfundat pisces securus *s)* olivo.
Massica si coelo supponas vina sereno:
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur *t)* aura,
Et decedet odor nervis inimicus *u)*: at illa
Integrum perdunt lino vitiata *a)* saporem.

et adipatam, illi vescantur apris Umbris etc. *f)* Totos apros apponebant, ita ut mirum non sit si patinae curvari, et rumpi tanto pondere viderentur. *g)* Aper nutritus in agro Laurenti, qui ager est in Latio prope Ostiam. *h)* Ulva est herba palustris. *i)* Suppeditat. *k)* Aptas ad edendum. *l)* Cui palatum sapit. *m)* Amabit. *n)* Humeros, tergum, lumbos. *o)* Nempe ad gustum, et saporem idonea. *p)* Nulli ante me fuit cognita. *q)* Sunt aliqui soliti suum ingenium in eo tantum ostendere si novam aliquam placentam, aut cibi genus inveniant: ego naturam, aetatem, sapores avium etc. piscium exploravi, etc. *r)* In una coenae, et opsionorum parte. *s)* Negligens. *t)* Defaecabitur, expurgabitur. *u)* Amittent odorem graviorem qui nervos offendit.

a) Si quis ea per colum sive saccum lineum liquare, tentet, ac transmittere; sic enim vim suam amittunt, vitiantur et cor-

Surrentina *b*) vafer qui miscet faece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo:
Quatenus ima petit, volvens aliena Vitellus *c*)
Tostis marcentem *d*) squillis *e*) recreabis, et Afra
Potorem cochlea *f*), nam lactuca *g*) innatat acri
Post vinum stomacho perna magis, ac magis hillis *h*),
Flagitat *i*) in morsus *k*) refici: quin omnia malit *l*)
Quaecumque *m*) immundis fervent allata popinis.
Est operae pretium duplicis pernoscere iuris *n*)
Naturam: simplex *o*) e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit,
Non alia *p*) quam quae Byzantia putruit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit *q*) herbis,

rumpuntur. *b*) Qui callide miscet cum faece vini Falerni vina Surrentina, ea recte purgabit, et limum secernet, immisso in cadum ovo columbino, quia vitellus ovi decidens in imum dolium, secum trahit aliena, idest, faeces. Est Surrentum urbs Italiae in sinu Puteolano: cuius vina ut odorem Falerni vini contraherent, in dolium fundebantur in quo fuisset recens Falernum, et ubi tota faex eius adhuc esset. *c*) Pars ovi flava, et rotunda. *d*) Saturum, et nauseantem. *e*) Squilla, piscis e cancrorum gener. *f*) Ostreo quodam e limacum genere. *g*) Non est utendum lactucis cum plenus est vino stomachus, quia tunc illae in vino acido incoctae, et indigestae natant; magis utendum perna etc. *h*) Lucanicis, bottellis, aliis id genus fartis, et gulae irritamentis. Hilla, hillae, sive Hilla, hillorum, intestinum est porcinum concisa carne fartum. *i*) Stomachus, vel conviva. *k*) Ad novos morsus novam orexim concipit. *l*) Quam exquisitos cibos. *m*) Puta farcimina, condituras, tuceta. *n*) Condimentis, embammatis. *o*) Non mistum ius, et unum, ex olivo constat tantum: sin merum aut muriam oleo admisceas fiet compositum ius, multo vero magis si addideris herbas, etc. *p*) Non quavis muria, sed ea tantum in qua orca ad Byzantinum capta (est ingens piscis) putruit, diu macerata est. *q*) Igni

Corycioque *r*) croco sparsum stetit *s*), insuper addes
Pressa Venafranae quod *t*) bacca remisit olivae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia *u*) succo:
Nam facie *a*) praestant. Venucula *b*) convenit ollis *c*)
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego faecem primus, et halec,
Primus et inveni piper album, cum sale nigro
Incretum, puris circum posuisse catillis.
Immane *d*) est vitium, dare millia *e*) terna macello,
Angustoque vagos *f*) pisces urgere catino.
Magna movent *g*) stomacho fastidia; seu puer unctis

impositae ebulliit. *r*) Croco advecto e Coryco monte Ciliciae. *s*) Quievit, bullire ac fervere desiit, vel concrevit. *t*) Oleum venafranum. *u*) In agro Tiburtino nata.

a) Forma et pulchritudine. *b*) Venucula est uvae quoddam genus; in olas abditur melius et servatur: albana rectius duratur ad fumum: hunc ego extiti primus qui pomis iunctam in mundis patinulis circa lances alias, in mensa posuerim: nec non faecem, e vino Coo scilicet (quod postea innuit) cum halece est halec muriae quoddam genus, vel liquamen confectum e pisciculorum intestinis; item piper album cum nigro sale incretum id est permixtum cum sale, et purgatum incerniculo. *c*) Vitreis in ollis racemi saepe servantur, et florem suum coloremque diu retinet. Potest ita etiam exponi; venucula convenit faciendis condimentis, quibus ollae, et cibi in ollis patinisque condiuntur. *d*) Commendat artem et ordinem in coena. *e*) Tribus millibus sestertium; hoc est, libris 300. emere pisces e macello, et eos urgere, id est, stipare, et alios aliis aggere in angusto catino. *f*) Vel est epithetum commune piscium, vel significat temere disiectos, ac sine lege, et ordine in patina positos. *g*) Haec magnum movent fastidium; si quis servus pinguibus digitis calicem attectavit, dum opsonia, et condimenta furtim degustat ac lambit: si limus non est detersus e veteri cratera. Dicitur cratera craterae, et crater

Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit:
Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.
Vilibus *h*) in scopis, in mappis *i*), in scobe *k*) quantus
Consistit sumptus? Neglectis, flagitium ingens.
Ten *l*) lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias *a*) dare circum illota toralia vestes:
Oblitum *b*) quanto curam, sumptumque minorem
Haec habeant, tanto reprendi iustius illis,
Quae nisi divitibus nequeunt contingere mensis?
Docte Cati *c*), per amicitiam, divosque rogatus;
Dicere me auditum *d*), perges quocumque memento

crateris. *h*) Quam exiguo parari sumptu possunt scopae, mappae, scobis, etc. quae tamen sine flagitio negligi non possunt? *i*) Mappae proprie lintea erant quibus tergebantur manus: mantilia vero, lintea quibus mensa insternebatur. *k*) Scobis significat ramenta seu partes exiguas ligni, quae serra vel lima eraduntur: iis pavimenta e marmore, et variis lapidibus strata operiebantur ante coenam, ut vinum, aut aquam a convivis, aut ministris, ut fit, humi iactum combiberent. *l*) Non te pudet pavimentum e varii coloris marmore stratum lutulentae palmae ramo verrere? Palmae ramos prae scopis adhibebant ad verrendum.

a) Et toralia illota circumdare vestibus Tyriis, In lectulis, quibus ad mensam accumbebant, erant toralia, et vestes. Toralia vocabantur illi pani viliores, quibus quotidie pani elegantiores quibus in solemnibus conviviis iidem sternebantur lecti, quaeque toralibus imponebantur, et circumdabantur. Jubet autem ipsa toralia, seu culcitras esse mundas, et lotas. *b*) Minime istud cogitantem, quando haec minori sumptu fieri possunt, tanto iustius reprehendi, quam illa, idest quam si non adhibeas illa, quae in divitum mensis adhiberi magno sumptu solent; quaeque nemo a te desiderat. *c*) Loquitur iam Horatius. *d*) Audiendos illos tuos magistros.

Nam quamvis referas memori mihi pectore cuncta,
Non tamen *e*) interpres tantundem iuveris. Adde *f*)
Vultum, habitumque *g*) hominis: quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit *h*). At mihi cura
Non mediocris inest, fontes *i*) ut adire remotos,
Atque haurire queam vitae praecepta beatae.

SATYRA V. *Testamentorum captores insectatur. Fingit Tiresiam, hanc unam artem brevi ditescendi praecipere Ulyssi ad inferos olim dum adhuc viveret, ingresso, ut Homerus fuse narrat lib. Od.* 11.

HOC *k*) quoque Tiresia, praeter narrata, potenti
Responde: quibus amissas separare queam res
Artibus, atque modis. Quid *a*)? Iamne doloso *b*)

Supinum est. *e*) Non perinde mihi prodesse poteris explicando mihi illa memoriter interpretis more, ac si ego his auribus ab ipso audiam. *f*) Tuo isti beneficio, et sermoni adde aliud beneficium maius, ut frui possim hominis vultu, etc. *g*) Oris, et corporis totius conformationem. *h*) Felici fato evenit tibi ut eum videres, et audires. *i*) Illum ipsum invisere, a quo, tanquam ex fonte, haec manarunt praecepta. *k*) Ponitur iam Tiresias vates Thebanus campis Elysiis post mortem degens, multa Ulyssi praedixisse; praeter illa igitur, quae hactenus mihi dixisti, hoc quoque responde, o Tiresia, quibus artibus fortunarum mearum iacturam sarcire potero. Ithacam enim Ulysses venerat amissa navium, et sociorum parte optima, et rerum omnium egenus.

a) Responde: Tiresias: iocaris Ulysse. *b*) Legitur etiam do-

Non satis est Ithacam *c*) revehi, patriosque Penates
Aspicere? O nulli quidquam mentite, vides, ut
Nudus inopsque domum redeam te vate *d*), neque illic
Aut apotheca *e*) procis *f*) intacta est, aut pecus. Atqui
Et genus *g*) et virtus, nisi cum re *h*), vilior alga *i*) est.
Quando *k*) pauperiem missis ambagibus horres;
Accipe qua ratione queas ditescere. Turdus,
Sive aliud privum *l*) dabitur tibi, devolet *m*) illuc,
Res ubi magna nitet domino sene: dulcia poma,
Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores *n*),
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.
Qui quamvis periurus erit, sine gente *o*), cruentus

lose, invocandi casu; Ulyssis epithetum solemne est, ex eo sensu forte dictum a Tiresia, quasi frustra cum Ulysses interrogaret, qui utpote dolosus, et vafer satis multa ditiscendi artes per sese inventurus esset. *c*) Insulam in Mari Ionio, Ulyssis patriam. *d*) Ut mihi praedixeras. Bis enim Tiresiam consulerat Ulysses, et inferos adierat; semel quidem hortante Circe, in eius insula: iterum postquam Ithacam est reversus. *e*) Horreum, loculus, cella. *f*) Qui, cum nuptias Penelopes ambirent, eius domum exhauriebant. *g*) Nobilitas. *h*) Cum opibus. *i*) Herba marittima quae in littus eiicitur. Pro re nullius pretii vulgo usurpatur. *k*) Omitto ambages, desine perplexe, et obscure loqui; video quid velis: horres paupertatem, etc. *l*) Privatae, et propriae dapis. *m*) A te deferatur in domum locupletem alicuius senis, illi detur dono. *n*) Flores, fructus. *o*) Antequam eos Diis tuis laribus, sive domesticis offeras. Primitias frugum Diis consecrare, et apponere moris

Sanguine fraterno, fugitivus *p*), ne tamen illi
Tu comes *q*) exterior, si postulet, ire recuses.
Utne *r*) tegam spurco Damae latus? Haud ita Troiae
Me gessi, certans semper melioribus *s*). Ergo *t*)
Pauper eris. Fortem *a*) hoc animum *b*) tolerare iubebo:
Et quondam maiora tuli. Tu protinus *c*), unde
Divitias, aerisque ruam, dic augur, acervos.
Dixi equidem, et dico. Captes *d*) astutus ubique
Testamenta senum, neu, si vafer unus, et alter
Insidiatorem praeroso *e*) fugerit hamo.
Aut spem deponas, aut artem illusus *f*) omittas.
Magna *g*) minorve foro si res certabitur olim,

erat. *p*) Sine maioribus, ignobilis. Gens pro familia sumitur saepe. *q*) Olim servus fugitivus fuerit. *r*) Loco minus honorato, in ima viae parte, ac declivi. Interioris dicebantur qui inter aedes, aut aliud quidpiam eius latus, unum protegeretur, et comitem, ambulabat; ipse vero comes, exterior appellabatur, sive dextrum latus occuparet, sive sinistrum. Si plura cupis, lege eruditum Sirmondum ad calcem Apollinaris Sidonii. *s*) Egone, inquit, Ulysses alicui Damae, homini impuro, et foedo, tegam latus? illi sim comes? Qui aliquem honoris causa comitabantur, dicebantur illi latus tegere, vel claudere. Comites enim eam partem eundo tegebant, quae magis erat exposita iniuriae v. g. prope vici rivum. Dama nomen erat commune servis apud Romanos: hic servum significat libertate donatum, qui locuplex factus fuerit, etc. Quo tempore ad nomen Damae addebant praenomen, v. g. Marcus Dama, Vide Persium Sat. 3. *t*) Nobilioribus.

a) Loquitur Tiresias. *b*) Loquitur Ulysses. Patiar, pauper ero. Meum. *c*) Tu praeterea tamen dic mihi aliquem, aliam artem, qua eruam, et extundam acervos pecuniae. Redit ad propositum metu paupertatis, quam videbatur velle perpeti. *d*) Captat testamentum qui aliqui blanditur, et muneribus, obsequiis insidiatur, ut ab eo haeres scribatur in testamento. Illi homines apud Romanos vocabantur Haeredidetae, ac senes divites, et filiis orbos maxime sectabantur. *e*) Ut Piscis, qui arrosa esca elabitur Piscatori. *f*) Semel deceptus. *g*) Ordo et sententia est. Si res, id est, lis aliqua, seu magni, seu levis momenti, disceptabitur in foro aliquando, esto

Vivet uter locuples sine gnatis, improbus ultro
Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
Defensor: fama civem, causaque priorem
Sperne, domi si gnatus erit, foecundave coniux.
Quincte, puta, aut Publi (gaudent *h*) praenomine molles
Auriculae) tibi me virtus tua fecit amicum:
Ius anceps: *a*) novi causas defendere possum:
Eripiet quivis oculos citius mihi quam te
Contemptum cassa *b*) nuce pauperet. Haec mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis iocus *c*). Ire domum *d*), atque
Pelliculam *e*) curare iube. Sis cognitor *f*) ipse:
Persta, atque obdura, seu rubra g) canicula findet *h*)
Infantes *i*) statuas, seu k) pingui tentus *l*) omaso

illius defensor, qui e duobus locupletibus vivet sine filiis, quamvis sit improbus, licet ultro, et nulla iniuria lacessitus adversarium meliorem, id est, aequiori causa, et iure utentem, in ius vocet, sperne illum cui filius est etc. Alteri blandire verbis lenibus, dic illi: O Quincte, v. g. aut Publi (nam praenomina gratius audiuntur quam ipsa nomina) ego non ut utilitatis meae causa tibi sum amicus, sed tuae virtutis studio, et admiratione etc. *h*) Romani Civibus erant vulgo tria nomina: Praenomen, ut *Marcus*, *Quinctus*, etc. Quod singulos a singulis distinguebat; nomen, ut *Tullius*, quod familias alias ab aliis secernebat; cognomen quod certos quosdam ex eadem familia notabat, ut *Cicero*.

a) Controversum, ac varium. *b*) Quam tibi vel minimam rem eripiat, te fraudet vitiosa nuce. Cassa nux, est inanis eripiat, vacua, a verbo careo. *c*) Ne sis ludibrio tuis adversariis. *d*) Verba Tiresiae. *e*) Corpus, valetudinem. Roga illum ut otiosus sit domi se contineat, tua fide ac diligentia fretus. *f*) Actor et procurator: litem eius expende, instrue. *g*) Ardens, ignea. *h*) Dicuntur aera et lapides calore nimio, aut frigore findi et dissilire. *i*) Mutas. Sive hyems sit, cum Furius Poeta suo abdomine celebris, conspuit cana nive alpes, idest, describit alpes nive conspersas. Carpit obiter hic Horatius illam Furii locutionem, et stylum ampullatum. *k*) Distentus. *l*) Adipe,

Furius hybernas cana nive conspuet Alpes.
Nonne vides *m*); aliquis cubito stantem *n*) prope tangens
Inquiet, ut patiens, ut amicis aptus, ut acer *o*)?
Plures *p*) annabunt tynni *q*), et cetaria crescent.
Si cui praeterea validus *r*) male filius in te *s*)
Praeclara sublatus *t*) aletur, ne *u*) manifestum
Caelibis obsequium nudet *x*) te; leniter in spem *y*)
Accede officiosus, ut et scribare secundus
Haeres: et si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias. Perraro haec alea *z*) fallit.
Qui testamentum tradet tibicumque legendum
Abnuere, et tabulas *a*) a te removere memento:
Sic tamen, ut limis *b*) rapias, quid *c*) prima secundo
Cera *d*) velit versu *e*): solum, multisne cohaeres,

idest, homo obesus. Omasum est pingue intestinum. *m*) Verba sunt alicuius alloquentis senem orbum, et illi captatorem Ulyssem commendantis. *n*) Orbum senem. *o*) Quam sit Ulyssis strenuus, diligens. *p*) Ita plures senes allicies, et illi ut pisces ad piscatorem accedent, capientur. et a te in cetaria (loca sunt piscibus serbandis apta) coniicientur. *q*) Pisces grandiores, et nobiliores. *r*) Aeger et parum firmus. *s*) In domo locuplete: in multis opibus. *t*) Educatus. *u*) Ne tuae insidiae deprehendantur, si nullos alios, quam caelibes, id est, uxore carentes, captares. *x*) Prodat, detegat. *y*) Tacito quasi pede et caute illum demereri stude, ea spe scilicet, ut aut secundus ab eius filio haeres scribaris in eius testamento, illi substituaris, aut si quo casu fuerit extinctus puer, tu in vacuam haereditatem primus iam, et solus haeres succedas, *z*) Ludus, captatio, fraus.

a) Testamenti. *b*) Oculis obliquis inspicias quid in prima tabula testamenti scriptum sit, an tu in secunda linea sit haeres scriptus, et filio cohaeres additus. *c*) Quid praeferat, quid contineat. *d*) Initium tabulae cera obductae, in eiusmodi enim tabulis scribant. Sic primus vicus dicitur pro initio et capite

Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus *f)*
Scriba *g)* ex quinque viro *h)* corvum deludet hiantem ,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.
Nam furis *i)*? An prudens *k)* ludis me , obscura canendo ?
O Laertiade , quidquid dicam , aut erit *l)* ; aut non :
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Quid tamen ista velit sibi fabula , si licet , ede.
Tempore quo iuvenis *m)* Parthis horrendus , ab alto
Demissum genus Aenea , tellure , marique
Magnus erit : forti *n)* nubet procera Corano

viae : vel prima tabula et pagina. *e)* Linea. *f)* Locus obscurior ; sic explana. Accidit enim aliquando ut scriba recoctus , id est veterator, et calidus, ex Quinque viro , id est , qui olim Quinque vir fuerit, deludat ac frustretur suum captatorem , ut vulpes Aesopica delusit corvum, qui caseum frustra hianti, surripuit : ita Nasica deludetur a Corano sene, quem captabat , illique iocos dabit. *g)* Qui acta publica . Magistratum edicta, senatusconsulta, scribit. *h)* Erant Quinqueviri certi homines publice delecti ad aliquod munus publicum levioris momenti administrandum, maxime in municipiis. *i)* Furore divino afflatus et numine loqueris : verba sunt Ulyssis. *k)* Sciens ac volens. *l)* Si quid ajo, erit : si quid nego non erit. Nonnulli haec ioco dicta esse volunt. *m)* Augustus Parthis metuendus. Augusti fama perculsi Parthi signa militaria , quae Crasso eripuerant, Romam remisere, anno Romae conditae 734. Vid. Indicem Chronologicum Odis praefixum. *n)* Narrat quo pacto Nasicam captatorem Coranus decepturus sit. Nasica haereditatis locupletis obtinendae spe filiam suam Corano nuptui dabit , metuens, id est, nolens reddere solidum, id est solidum , seu aes alienum quod debebat, sponte ipsi Corano , cui filiam suam nuptui dederat, sperans aut condonandum, et remittendum sibi aes alienum aut magnas certe opes e testamento , et haereditate Corani se venturas. Coranus moriturus hoc faciet ; vocabit Nasicam, tabulas testamenti sui legendas illi dabit. Nasica se haeredem scriptum esse non dubitans, recusabit legere, leget tandem : invenit alium haeredem institutum fuisse a Corano nullam sui factam esse mentionem. Hoc Horatii tempore contigit. Tiresias quasi divinans, illud ipsum praenunciare fingitur.

Filia Nasicae, metuentis reddere soldum *a*)
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque
Ut legar, orabit: multum Nasica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget, invenietque
Nil sibi legatum, praeter plorare *b*), suisque.
Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa,
Libertusve senem delirum temperet *c*), illis
Accedas socius: laudes, lauderis ut absens
Me sene quod dicam factum est: anus improba Thebis *d*)
Ex testamento *e*) sic est elata: cadaver
Unctus oleo largo nudis humeris tulit haeres:
Scilicet *f*) elabi si posset mortua, credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito:
Neu desis operae, neve immoderatus abundes.
Difficilem et morosum offendet garrulus. Ultro *g*)
Non etiam sileas. Davus *h*) sic comicus, atque
Stes capite obstipo *i*), multum similis metuenti.

a) Integrum aes alienum: ita Cicero pro Rab. solidum suum inquit, cuique solvatur. *b*) Graeca locutio; qua plorare iubentur, qui miseri, qui decepti sunt. *c*) Regat, gubernet. *d*) In urbe Boeotiae. *e*) Testamento caverat ut sic ad rogum efferretur. *f*) Opinor illam anum, ideo iussisse ut haeres suus molestus captator suum cadaver unctum oleo ferret ad rogum: quo indicaret hominem sibi vivae molestissimum fuisse, ac velle saltem se mortuam illi elabi quae viva eius artes et insidias effugere non potuerat. Athletae corpus ungebant oleo, ut ab adversariis non tam facile capi possent, ut iis elaberentur. Tu esto cautior, fac ne tua diligentia desideretur, at vide etiam ne nimio studio pecces. *g*) Non silere iussus; sine gravi causa. *h*) Davum illum imitare, qui dum suas in comoedia artes agit, timide, ac reverenter cum haero loquitur. Davus est nomen vulgare servi comici. *i*) In alterum humerum inflexo; vel in ter-

Obsequio grassare *k*) : mone , si increbuit aura *l*) ,
Cautus uti velet carum caput : extrahe turba
Oppositis humeris , aurem substringe *m*) loquaci.
Importunus *a*) amat laudari ? Donec ohe *b*) iam
Ad coelum manibus *c*) sublatis dixerit , urge; et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem *d*).
Cum te servitio longo , curaque levarit *e*).
Et certum *f*) vigilans , quartae sit partis Ulysses ,
Audieris haeres : ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est ? Unde *g*) mihi tam fortem , tamque fidelem ?
Sparge *h*) subinde , et si paulum potes , illachrymare : est *i*)
Gaudia prodentem vultum celare : sepulchrum
Commissum arbitrio *k*) sine sordibus *l*) extrue.
Funus

ram prono. *k*) In animum , et benevolentiam irrepe. *l*) Ventus vehementior ingruit. *m*) Sustolle et manu supposita quasi collige ; sic vestis substringi dicitur, quae attollitur , et accingitur : sic auris apposita manu munitur , ne sonus effluat. Cum loquetur aures arrige, accinge te ad audiendum.

a) Intempestive , contra ius fasque : vel, amat laudari usque ad importunitatem. *b*) Satis laudum est. *c*) Prae gaudio. *d*) Hominem vanum, et ludibus fictis inflari docilem. *e*) Morte sua ; tunc enim liberatus eris servilibus illis obsequiis quibus vivum captabas. *f*) Cum tu non per somnium sed certo vigilans, audieris clare haec verba in testamento senis scripta : Ulysses haeres sit quartae partis meorum bonorum : tunc erumpes in hos fletus : Ergo periit Dama, etc. *g*) Mihi parabo , ubi talem inveniam. *h*) Haec verba identidem repete , et quasi sparge : vel flore in tumulum sparge. *i*) Licet, interest iuvat, celare, et tegere vultum qui properet, aperire posset gaudia de senis morte suscepta. *k*) Tuae curae , et arbitrio commissum. *l*) Avari-

Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte cohaeredum senior male tussiet *m*) ; huic tu *n*)
Dic , e parte tua , seu fundi , sive domus sit
Emptor , gaudentem nummo *o*) te addicere. Sed me
Imperiosa trahit *p*) Proserpina. Vive, valeque.

SATYRA VI. *Otii laudes , et vita rustica.*

HOC erat *a*) in votis : modus agri non ita magnus ,
Hortus ubi , et tecto vicinus iugis *b*) aquae fons ,
Et paulum sylvae super his foret. Auctius, atque
Dî *c*) melius facere : bene est. Nihil amplius oro ,
Maia nate *d*) , nisi ut propria *e*) haec mihi munera faxis ,
Si neque maiorem feci ratione mala rem *f*) ,
Nec sum facturus vitio culpave minorem :

tia. *m*) Ita ut brevi moriturus esse iudicetur. *n*) Dic illi cohaeredi tuo, sive sit emptor fundi, id est, sive praedium aliquod velit emere, sive domum quae reperiatur in ea parte haereditatis, quae tibi obtigit, te gaudente , te libenter hanc domum , hunc fundum illi addicere, est vendere nummum, id est , vili pretio : nempe ut hac liberalitate tua delinitus haeredem te suum scribat, etc. quod illi dederis ad te cum foenore redeat. *o*) Sestertio, qui respondet duobus assibus monetae gallicae : et quartae parti Iulii Romani : pro vili quolibet pretio hic ponitur. *p*) Alio me abripit, me a te divellit Proserpina umbrarum domina ; *imperiosa* : quae imperium in mortuos obtineat.

a) Id unum optaveram, ut agellum exiguum haberem ubi foret hortus, fons, et praeterea sylvula. *b*) Perennis. *c*) Plura his et meliora mihi quam optabam, Superi dederunt *d*) Mercurî : Est enim Mercurius vatum Deus praeses , idemque divitiis et lucro praeest. *e*) Perpetua et stabilia. *f*) Opes.

Si veneror *g*) stultus nihil horum *h*). O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.
O si urnam argenti sors *i*) qua *k*) mihi monstret: ut illi *l*)
Thesauro invento; qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule *m*)! Si quod *n*) adest, gratum iuvat; hac prece te oro:
Pingue pecus domino *o*) facias, et cetera praeter
Ingenium *p*): utque soles; custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me in montes, et in arcem *q*) ex urbe removi,
Quid *r*) prius illustrem Satyris, Musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus *a*) Auster,

g) Venerabundus a Diis peto. *h*) Quae dicturus est, quae avari et cupidi optare solent; nempe o utinam angulum hunc et particulam fundi vicini possiderem, quae agellum meum inaequalem reddit; quae impedit ne omnino et ad normam quadratus sit. *i*) Fortuna felix. *k*) Alicubi, aliqua in parte. *l*) Ordo est: Ut illi mercenario fortuna monstravit, qui postquam thesaurum invenisset in agro, ubi opus faciebat cum esset mercenarius; illum ipsum agrum emit, et ad se iam pertinentem aravit, totoque thesauro positus est. *m*) Favere credebatur Hercules eiusmodi lucris insperatis. *n*) Si me iuvat, id est, delectat si eo contentus sum, quod adest, quod possideo. *o*) Mihi. *p*) Nam ingenium pingue, hebes, et tardum significat. *q*) Rus meum in edito loco positum, ubi velut in arce ab urbanis curis tutus sum. *r*) Quid potius agere me par est, quam scribere satyras, et elaborare in iis versibus illustrandis, id est, poliendis, et accurate componendis, qui pedestri et solutae orationi similes sunt?

a) Qui gravis corpora, tardos homines efficit: insalubris gra-

Autumnusque gravis, Libitinae *b*) quaestus acerbae.
Matutine pater *c*), seu Iane libentius audis;
Unde *d*) homines operum primos, vitaeque labores
Instituunt, (sic Dis placitum) tu carminis *e*) esto
Principium. Romae *f*) sponsorem me rapis, eia,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge *g*):
Sive Aquilo radit terras *h*), seu bruma nivalem

vis. *b*) Quae tempore plurimum faciunt quaestum ii qui curant funera, qui a Libitina Dea funerum libitinarii dicebantur: adde, quod in Libitine templo mortuorum nomina referebantur in librum, et pro singulis nummus pendebatur. *c*) O Iane, seu mavis appellari Matutinus, seu Ianus. Cum Deos invocabant id cavebant in primis, ut eos variis appellarent ac pluribus, si quae haberent, nominibus incerti quodnam ipsis esset gratius. Ianus autem vocabatur matutinus a Matuta Dea, quae aurora est: vocabatur etiam Ianus ab eundo, ut ait Tullius l. 2. de nat. Deor. Ianus enim nihil aliud erat quam sol, vel tempus: at nihil est celerius, et mobilius tempore, et pars praecipua temporis, seu diei est matutina. Eum utroque nomine appellat Horatius. Cur autem eum invocat? Quis vitae civilis, et urbanae actiones omnes a prima luce ad vesperam describere incipit: Ianus autem diei dominus et quasi praeses colebatur, a cuius invocatione diem auspicari solebant, imo et caeteras preces ordiri, quasi qui aperiret, clauderetque universa praeterita, et praesentia moderaretur, ac videret. *d*) A quo. *e*) Descriptionis urbanarum occupationum, et molestiarum. *f*) Cum Romae sum, o Iane, vocas me, et exire domo cogis, ut pro aliquo cive sim sponsor, id est, prima diei actio, cui tu praesides, o Iane, haec est: rapior ab aliquo, et evocor ut pro ipso spondeam, et fideiubeam, id est, promittam me eius nomine, et meo, si desit, periculo ac damno, soluturum certam pecuniae, quam debet, summam. Fortasse etiam se a Iano rapi dicit, quia in foro, ubi erant foeneratores, et argentarii apud quos sponsores fideiubebant, visebatur statua Iani. Vide Sat. 1. *g*) O Horati (Ianus loqui fingitur) urge et festina, ne quis te prior officio isto amicitiae et urbanitatis fungatur: cave ne quis te sit officiosior. Legunt aliqui, urges. Urges me, o Iane,

Interiore diem gyro *i*) trahit, ire *k*) necesse est.
Postmodo *a*), quod mi obsit, clare, certumque loquuto,
Luctandum in turba. Facienda iniuria tardis.
Quid vis insane, et quas res agis? Improbus urget
Iratis precibus. Tu pulses omne, quod obstat,
Ad Moecenatem memori si mente recurras.
Hoc iuvat, et melli est, non mentiar. At simul atras *b*)
Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus. Ante *c*) secundam

et stimulas ne etc. *h*) Vellicat, spoliat: est enim ventus, frigidus, et noxius. *i*) Circulo breviore. Dies enim in bruma sunt brevissimi; et sol qui circa terram ut centrum, et metam volvitur, propior est, ut apparet, utque astronomi quidam censent, terris hyeme, quam aestate: circuli vero quo sunt interiores, hoc est, quo magis ad centrum accedunt, eo sunt breviores et minores. *k*) Ad spondendum pro amico.

a) Postquam ante Praetorem spopondi pro amico et clare ac liquido sum loquutus, nempe fidem meam interponendo et promittendo me eius loco, si desit, soluturum (quod mihi obsit), id est, quain re magnum est mihi periculum, ne revera pro illo solvam, ne ista mihi sponsio damnum afferat: redeo domum, at aegre; nam luctandum in turba, tardiores impellendi non sine convicio et iniuria: aliquis improbus, id est, importunus, morae impatiens ac iniuriae, me urget ac prosequitur iratis imprecationibus: quo tantum properas, o insane Horati, quid tibi vis? Tunc tam proterve pulses atque impellas quidquid obstat, modo ad tuum illum Moecenatem redeas propere, quem unum cogitas, unum membri mente versas? Sane istae preces iucundae mihi sunt, ac merum mel. Ironia. *b*) Ob ignes bustorum quae ibi erant plurima; in Esquiliis Moecenas habitabat. *c*) Ordo est. O Quincte Horati, inquit aliquis, memineris te oratum a Roscio fuisse, ut sibi hodie adesses ad Puteal ante horam ab sole orto secundam, Scribae, inquit alter aliquis, oraverunt te, ut redires ab Esquiliis acturus cum ipsis de re communi, hoc est, spectante ad Scribarum collegium, equorum numero erat etiam Horatius; alius,

Roscius orabat sibi adesses *d*) ad Puteal
cras *e*).
De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses. Quincte reverti.
Imprimat his, cura, Moecenas signa tabellis.
Dixeris, experiar: si vis, potes, addit,
et instat.
Septimus octavo propior iam fugerit *a*) annus,
Ex quo Moecenas me coepit habere suorum
In numero: dumtaxat ad hoc, quem tolle-
re *b*) rheda
Vellet, iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus *c*): hora quota est? Trax *d*) est
Gallina Syro par?
Matutina parum cautos iam frigora mordent,
Et, quae rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus, subiectior *e*) in di-
em, et horam
Invidiae. Noster *f*) ludos spectaverat una,

da operam ut istas tabellas et libellum supplicem obsignet Moecenas; si dixero, conabor: adiicit ille, potes si vis, et me urget. *d*) Advocatus ad litem eius, et caussam tua praesentia cohonestandam, aut testimonio confirmandam. *e*) Ea vox significat putei operculum: erat locus sic dictus Romae prope curiam, in quo defossa olim fuerat Atii Naevii Auguris eos ac novacula, et impositum tegmen cum arula coronata, quam quia Scribonius Libo vel ornaverat vel instauraverat, Puteal Libonis appellatur alibi ab Horatio. Prope eum locum erant argentariorum mensae, nec non Praetoris tribunal, qui de caussis ad eos spectantibus cognoscebat.

a) Pene est elapsus. *b*) In rhedam suam admittere, ad iter colloquio levandum. *c*) Eiusmodi: v. g. ut peteret a me, quota est hora? *d*) An gladiator ille qui Gallina dicitur (nomen est proprium) quiqud Thracem, seu Retiarum agit, par est Syro, alteri gladiatori, qui est Mirmillo etc. Retiarii appellabantur Thraces, quia parmas, et recurvos gladios gestabant more Thracum: Mirmillones vero Galli, quia Gallicis armis erant induti. Vide Juvenal. Sat. 8. *e*) Magis in dies expositus fui invidiae. *f*) Sententia est. Omnes inter se de

Luserat in campo. Fortunae filius omnes.
Frigidus *g*) a Rostris manet per compita rumor.
Quicumque obvius est, me consulit. O bone *h*) (nam te
Scire, Deos *i*) quoniam propius contingis, oportet)
Num quid de Dacis *a*) audisti? Nil equidem ut tu *b*)
Semper eris derisor? At omnes. Di exagitent me,
Per quidquam *c*). Quid *d*)? Militibus promissa, Triquetra *e*)
Sicedia Caesar, an est Itala tellure daturus.

me immurmurant: noster iste Horatius, homo nostri loci et ordinis, et nostri simillimus, nunc fortunae filius et beatulus, olim nobiscum una spectabat ludos omnes, plebi permixtus, et omnes ludos ludebat in campo Martio: subaudi, nunc nobilium est amicus, et plebem suam nosque negligit. Vel: iste Horatius una cum Moecenate ludos spectavit, una cum eo in campo lusit hoc, illo die: nae beatus est qui summis viris utatur adeo familiariter. Ita invidi omnes. *g*) Si quis rumor frigidus, id est, parum auspicatus, a rostris et curia primum ortus, in compita et populum spargitur. Rostra erant exhedrae quaedam et suggestus, unde populum alloqui magistratus et alii solebant: eius aliqua pars lignea ad sex vel octo pedes extans, atque eminens, confecta erat rostris navium Antiatium. Vide Livium l. 6. *h*) O amice, o mi Horati. *i*) Augustum, Moecenatem.

a) Daci, iidem qui Getae, populi Scythiae, illi bellum meditari dicebantur eo tempore. *b*) Semperne finges te nihil scire, nosque illudes. *c*) Subaudi, scio, audivi. *d*) Ordo est: quid (alius interrogat) an Caesar in Sicilia, an vero in Italia divisurus est, praedia, id est, agros militibus promissos? Post Philippense bellum victis Bruto, et Cassio, dedit agros militibus emeritis Augustus: multis eodem quo proelium istud contigit, aut sequenti anno; nonnullis, qui nondum legitimum tempus stipendiorum confecerant, isto quo haec Satyra fuit scripta, nempe U. C. 720. octo admodum annis postquam Horatius a Moecenate in familiares adscriptus fuit. *e*) Triquetrum idem est ac triangulare: dicta est Sicilia Trique-

Iurantem me scire nihil miratur, ut unum.
Scilicet egregis mortalem, altique silenti.
Perditur haec inter *f)* misero lux, non sine votis *g)*:
O rus, quando ego te aspiciam? Quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis,
Ducere *h)* sollicitae iucunda oblivia vitae?
O quando faba *i)* Pythagorae *k)* cognata, simulque:
Uncta satis pingui ponentur *l)* oluscula lardo?
O noctes, coeneque Deum *m)*: quibus ipse, meique *n)*,
Ante larem *o)* proprium vescor, vernasque *p)* procaces.
Pasco libatis *q)* dapibus. Prout cuique libido est,
Siccat *r)* inaequales *s)* calices conviva, solutus
Legibus *t)* insanis: seu quis capit acria *u)* fortis
Pocula, seu modicis humescit *x)* laetius. Ergo
Sermo oritur, non de villis domibusque alienis,

tra sicut et Trinacria, ob tria eius promontoria, Pachynum, Pelorum; Lilybaeum, quae sunt in tribus eius angulis. *f)* In his nugis et molestis occupationibus. *g)* Rusticae vitae desideriis. *h)* Oblivisci. *i)* Quia in fabis putabat animas hominum suae similes et cognatas reperiri, et in eas transmigrare. *k)* Od. 23. lib. 1. *l)* Apponentur in mensa. *m)* Id est, tranquillae, suaves, divinae. *n)* Servi. *o)* Deos domesticos. *p)* Servos domi natos. *q)* A me degustatis: meorum ciborum reliquiis, vel quarum primitias Diis libavi, id est, consecravi, et dedicavi, obtuli. *r)* Haurit. *s)* Alius maiores, alius minores. *t)* Erat in conviviis Rom. magister quidam et rex convivii, qui quoties et quantum quisque biberet, praecipiebat. *u)* Magna. *x)* Irrigatur, madescit.

Nec male necne Lepos *a*) saltet: sed quod magis ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus. Utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus *b*), rectumve *c*) trahat nos;
Et quae sit natura boni, summumque *d*) quid eius.
Cervius haec inter vicinus garrit aniles
Ex re *e*) fabellas. Nam si quis laudat Arelli *f*)
Sollicitas ignarus opes; sic incipit: Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum:
Asper *g*); et attentus quaesitis, ut tamen arctum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? Neque illi
Sepositi *h*) ciceris *i*), nec longae invidit avenae:
Aridum et ore ferens acinum, et *k*) semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens *l*) varia fastidia coena
Vincere, tangentis male singula dente superbo:

a) Saltator ea tempestate celebris. *b*) Utilitas. *c*) Virtus, officium. *d*) Quae sit boni summa, summum bonum. *e*) Pro re nata: in loco. *f*) Avari cuiusdam. *g*) Erat ille quidem mus rusticus minime delicatus, imo avarus, et attente custodiens quaesitas res: ita se tamen gessit, ut animum parcum et avarum laxaret, ad hospitem benigne accipiendum. *h*) Servati in aliquo reconditiori cavo. *i*) Graeca locutio: pro, non illi invidit cicer et avenam; illi haec large ac liberaliter apposuit. *k*) Granum racemi. *l*) Cupiens ferculorum varietate

Cum pater ipse domus, palea porrectus in horna
Esset ador *m*), loliumque, dapis meliora relinquens?
Tandem urbanus ad hunc. Quid te iuvat, inquit, amice.
Praerupti nemoris patientem vivere dorso *n*)?
Vis tu homines urbemque feris *o*) praeponere sylvis,
Carpe viam mihi crede, comes, terrestria quando *p*)
Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est,
Aut magno, aut parvo lethi fuga. Quo bone *q*) circa,
Dum licet, in rebus iucundis vive beatus.
Vive memor, quam sis aevi brevis. Haec ubi *a*) dicta
Agrestem pepulere: domo levis exilit. Inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Moenia nocturni subrepere: iamque tenebat
Nox medium caeli spatium, cum ponit uterque

vincere nauseam muris urbani, qui ea leviter gustabat primoribus dentibus et contemptim. Cum ipse interim rusticus mus, herus et pater familias, stratus in palea eodem anno collecta et recenti, esset; id est comederet, non laridum, non cicer, sed ador, id est, triticum, et lolium, idest, avenam deteriorem, relinquens dapes meliores hospiti suo epulandas. *m*) Comederet frumenti grana, etc. *n*) Clivo, cavo. *o*) Agrestibus. *p*) Quandoquidem animalia terrestria morti sunt obnoxia, nec eam summis infimisve licet effugere. *q*) Quo circa quare, o bone, o mi hospes.

a) Postquam haec oratio, hae voces pepulere, id est, ex-

In locuplete domo vestigia: rubro ubi cocco *b*)
Tincta super lectos canderet *c*) vestis *d*) eburnos,
Multaque de magna superessent fercula coena,
Quae procul exstructis *e*) inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum *f*) in veste locavit
Agrestem; veluti succinctus *g*) cursitat hospes *h*)
Continuatque *i*) dapes, necnon vernaliter *k*) ipsis
Fungitur officiis, praelambens *l*) omne, quod offert.
Ille cubans gaudet mutata sorte; bonisque *m*)
Rebus agit laetum convivam: cum subito ingens
Valvarum strepitus lectis *n*) excussit utrumque
Currere *o*) per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare: simul *p*) domus alta Molossis *q*)
Personuit canibus. Tum rusticus. Haud mihi vita

pugnavere agrestem murem. *b*) Purpura, ostro. *c*) Niteret. *d*) Stragula, qua lecti sternuntur. *e*) In altum congestis, ordine dispositis. Canistra sunt corbes, in quibus panes et fercula ponuntur. *f*) Stratum toto corpore. *g*) Instar servi ad ministrandum expeditus et accinctus. *h*) Mus urbanus. Hospes dicitur tum de eo qui aliquem accipit, tum de eo qui accipitur. *i*) Facit ut aliae aliis succedant. *k*) Ut vernae solent. *l*) Praegustans. *m*) Et fortuna felici ruens, praebet se hilarem. *n*) In quibus ad mensam accumbebant, coegit exilire. *o*) Subaudi coeperunt. *p*) Statim atque. *q*) Canibus

Est opus hac, ait; et valeas *r*): Me sylva, cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo *s*).

SATYRA VII. *Inducitur Horatii servus, ipsum, post acceptam dicendi facultatem, graphice ac facete obiurgans.*

IAmdudum ausculto *t*), et cupiens tibi dicere servus
Pauca, reformide *u*). Davusne *x*)? Ita, Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi, sit satis: hoc est,
Ut vitale putes: age, libertate Decembri *a*)
(Quando ita maiores voluerunt) utere, narra *b*).
Pars hominum vitiis *c*) gaudet constanter, et urget
Propositum: pars multa natat *d*), modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Saepe notatus *e*)

natis in Molossia, Epiri parte. *r*) Abeuntis, et repudiantis aliquid, ea vox est. *s*) Genus est leguminis. *t*) Iampridem te audio, o here, nempe Horatius fingitur servum vel castigare verbis, vel docere. *u*) Impedior metu, et reverentia, ne te vicissim alloquar, ne malam in partem accipias, quae sum dicturus. *x*) Tu ne loqueris o Dave? Ego ipse tuus servus tibi amicus et gratus, fidelis et frugi, quod satis est, ut me vitalem, id est, vita dignum, et servandum tibi, putes. Vel, qui tantum habeo probitatis quantum est satis ad hoc, ut sim superstes diu, neque immatura morte tibi praecipiat: viros enim insigniter probos vitales esse, seu diu superstites, non credebant: itaque se non nimis probum esse significat, sed intra modum.

a) Hoc mense agebantur Saturnalia: tunc servis licebat loqui et vivere liberius, et quoddam quasi imperium in Dominos exercebant. *b*) Loquere. *c*) Constans est in scelere. *d*) Huc illuc fluctuat, nunc vitio, nunc virtute gaudens. *e*) Visus,

Cum tribus *f*) annellis, modo laeva Priscus inani *g*)
Vixit inaequalis *h*) clavum *i*) ut mutaret in horas;
Ædibus ex magnis subito se conderet, unde *k*)
Mundior exiret vix libertinus honeste.
Iam moechus *l*) Romae iam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis *m*), quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi iusta *n*) chiragra
Contudit articulos; qui pro se tolleret *o*), atque
Mitteret in pygrum *p*) talos, mercede *q*) diurna
Conductum pavit. Quanto constantior idem
In vitiis, tanto *a*) levius miser: ac prior ille,
Qui iam contento, iam laxo fune laborat.

deprehensus est. *f*) Annulos plures gestasse luxui, et arrogantiae datum. *g*) Sine annulis. *h*) Inconstans. *i*) Vestis erat Senatorum et magistratum quorumdam propria. Vide Sat. 6. lib. 2. Equester ordo a plebe per annulos distinguebatur: Senatorius ab Equestri per tunicam, seu clavum quem senatores latum, equites angustum gerebant. Mutabat autem clavum Priscus, ut alias subinde vestes indueret, v. g. lacernam, penulam, etc. *k*) In exiguam casam ex qua etc. *l*) Adulter. *m*) Id est, homo inconstantissimus. Vertumnus Deus erat mutandis vertendisque rebus praepositus, et commercii praeses: unus erat ille quidem, sed qui ob varias formas quibus pingebatur, multiplex dici posset: iniquus autem dicitur fuisse Vertumnus Prisco, qui prava inconstantia laboraret. *n*) Quam ob flagitia promeruerat; quia iuste mulctabatur. o) Ex alveo lusorio. *p*) Fritillum, turriculam. Legunt aliqui, *Phimum*, quae vox idem sonat ac pyrgus. *q*) Certo pretio in dies persoluto conduxit aliquem et nutrivit.

a) Tanto minus miser quam ille prior, nempe Priscus; qui vitiis modo laxabat ingentes habenas, modo contrahebat. *b*) Ver-

Non dices *b*) hodie quorsum haec tam puti-
da tendat,
Furcifer? Ad te *c*), inquam. Quo pacto pes-
sime? Laudas.
Fortunam, et mores antiquae plebis *d*): et
idem,
Si quis ad illa *e*) Deus subito te agat, usque
recuses:
Aut quia non sentis *f*), quod clamas, rectius
esse:
Aut quia non firmus rectum defendis, et
haeres *g*),
Nequicquam coeno cupiens evellere plantam.
Romae rus optas: absentem rusticus urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vo-
catus
Ad coenam, laudas securum olus; ac, ve-
lut usquam *h*):
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amasque
Quod nusquam tibi sit potandum: iusserit *i*)
ad se
Moecenas serum sub lumina prima *k*) venire
Convivam; Nemon oleum *l*) feret ocyus?
ecquis *m*)
Audit? Cum magno blateras *n*) clamore, fu-
gisque *o*):

ba Horatii. O Dave, quid tibi vis? Quo pertinet ista insectatio? Quem istis obiurgas? *c*) Subandi tendunt, spectant. *d*) Homines antiqui erant fere frugales, parci. *e*) Ad mores antiquos, et victum parciorem te adigat. *f*) Non habes persuasum penitus, et certum. *g*) Nempe in vitiorum coeno, frustra cupiens emergere. *h*) Quasi eo quo vocaris, invitus, et ligatus pergas: quasi foris coenare non amares. Si iusserit. *k*) Paullo ante vesperam, cum astra primum lucere occipiunt, et faces domi accenduntur. *l*) Unguentum ex oleo odorato confectum: eo delibuti coenabant. *m*) Servorum. *n*) Clamitas. *o*) Domo te proripis. *p*) Aliquis pa-

Milvius *p*), et scurre tibi non referenda precati
Discedunt *q*). Etenim fateor me dixerit ille *r*)
Duci *s*) ventre levem; nasum nidore supinor *t*),
Imbecillius, iners, si quid vis *u*) adde popino *x*)
Tu, cum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
Insectere *y*), velut melior? Verbisque decoris
Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso
Quingentis empto drachmis *a*) deprehenderis: aufer *b*)
Me vultu terrere: manum, stomachumque teneto,
Dum, quae Crispini docuit me ianitor, edo,
Non sum moechus, ais. Neque ego hercule fur, ubi vasa
Praetereo *c*) sapiens *d*) argentea. Tolle periculum *e*),
Iam vaga *f*) prosiliet fraenis natura remotis.
Tunc mihi dominus, rerum imperiis, hominumque

rasitus apud Horatium cum scurris coenaturus. *q*) Te domi non coenante, tristes, et imprecati multa mala, quae tibi narrare dispudet, exeunt. *r*) Unus aliquis, quilibet. *s*) Me duci et capiti lautis ferculis. *t*) Attollo nasum, id est, nasum subrigo ad nidorem, seu fumum, et odorem obsoniorum. *u*) Si quid praeterea velis in me dicere, si aliud aliquid vis objicere. *x*) Qui popinis gaudet, ganeo, helluo. *y*) Quorsum me insectaberis? Quo iure?

a) Drachma, monetae genus Graecis usitatae respondet assibus paullo amplius septem, sive uni Iulio Romano. *b*) Parce, abstine. *c*) Non surripio. *d*) Cautus. *e*) Poenae periculum, metum supplicii. *f*) Fraeni indocilis: furabor, indoli obsequar. *g*) Me deterior et inferior, quia tot res tibi,

Tot, tantisque minor g)? Quem ter vindicta h), quaterque
Imposita haud umquam misera formidine privet?
Adde supra dictis, quod non i) levius valeat. Nam
Sive vicarius est k), qui servo paret, uti l) nos
Vester ait, seu conservus: tibi quid sum m) ego? Nempe
Tu mihi qui imperitas, aliis servis n) miser, atque
Duceris, ut nervis o) alienis mobile lignum;
Quisnam igitur liber? Sapiens, sibique imperiosus:
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Responsare p) cupidinibus, contemnere q) honores
Fortis, et in se ipso totus teres r) atque rotundus,

hominesque imperant. h) Qui numquam eris liber a metu et perturbatione, quam tibi tuae libidines incutiunt, etsi ter, quaterque tangaris vindicta. Erat illa virgula seu festuca, qua lictor servi libertate coram Praetore domandi, caput feriebat. Vide Persium nostrum. i) Unum nihilo ceteris levius, ad tuam servitutem demonstrandam. k) Est servi servus: alteri servo obedire iussus. l) Ut loqui soletis, eum, qui a nobis conservus appellatur, vicarium honestiori vocabulo nuncupantes. m) Nempe conservus tuus sum, tu tantum vicarius es, et paullo honestior servus. n) Obedis, pares. o) Ut statuae quaedam, et opera lignea, quae nervis, id est, funiculis intus latentibus ita moventur, ut sua moveri sponte videantur. p) Resistere. q) Qui satis habet fortitudinis ad contemnendos honores. r) Instar globi, ex omni parte in sese collectus et politus, nulla ex parte veluti prominens, qua eum tenere et morari vis externa fortunae possit; nihil ut sit laevi superficie ac polita, ubi adhaerescere illa et unguens figere valeat, eumque currentem retardare.

Externi ne quid valeat per laeve morari :
In quem manca *a*) ruit semper fortuna : Potesne
Ex his, ut proprium quid noscere? Quinque talenta *b*)
Poscit te mulier, vexat, foribusque repulsum
Perfundit gelida. Rursus vocat. Eripe turpi
Colla iugo. Liber, liber sum, dic, age. Non quis *c*);
Urget enim dominus *d*) mentem non lenis; et acres
Subiectat lasso stimulos, versatque negantem *e*).
Vel cum Pausiaca *f*) torpes *g*) insane tabella,
Qui peccas minus, atque ego, cum Fulvi *h*) Rutubaeque.
Aut Placideiani contento poplite *i*) miror
Proelia rubrica picta, aut carbone: velut si
Revera pugnet, feriant, vitentque moventes
Arma viri. Nequam, et cessator Davus: at ipse
Subtilis veterum iudex, et callidus audis.
Nil ego *k*), si ducor *l*) libo fumante. Tibi ingens

a) Debilis, inermis. *b*) Talentum Aegyptium libris Turonensibus 2688. respondet; atticum 2400.; hoc sexcentis scutatis Romanis; illud sexcentis septuaginta duobus. *c*) Non potes. *d*) Amor improbus. *e*) Nolentem servire, et sequi. *f*) Pausias, pictor nobilis Graecus, Apellis aequalis. *g*) Stupes admirans. *h*) Trium gladiatorum. *i*) Extento. Gestus est gladiatorum, qui cum certant, alterum pedem proiiciunt, extenduntque, alterum retrahunt et inflectunt. Tunc audio, id est, dicor servus nequam et cessator, id est, piger, qui tempus in iis spectandis teram: tu vocaris subtilis veterum operum, artificumque index. *k*) Nihil sum, nihili sum, nullius pretii. *l*) Trahor, capior. *m*) Tu contemnere potes,

Virtus, atque animus coenis responsat *m*) opimis.
Obsequium *n*) ventris mihi perniciosius est. Cur?
Tergo plector enim: qui tu impunitior, illa,
Quae parvo sumi nequeunt, cum opsonia captas?
Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem *a*) qui puer *b*) uvam
Furtiva mutat *c*) strigili? Qui proedia vendit,
Nil *d*) servire gulae parens habet? Adde, quod idem
Non horam tecum esse *e*) potes: non otia recte *f*)
Ponere, teque ipsum vitas fugitivus, et erro *g*)
Iam vino quaerens, iam somno fallere *h*) curam.
Frustra; nam comes *i*) atra premit, sequiturque fugacem.

coenas lautas, atque adeo es quanti vis pretii. Ironia: nam significat Horatium duci quoque opiparis coenis. *n*) Cum indigeo gulae, damnum fero, nam plector toris: at tu an cares poena magis quam ego, cum lauta et cara captas fercula? Nequaquam; plecteris enim nausea, cum in stomacho epulae sine modo appetitae fiunt acidae, indigestae, amarae; et pedes illusi, id est, dubii ac vacillantes, aegrum corpus ac debile ferre nequeunt.

a) Ne furtum agnoscatur. *b*) Servus. *c*) Qui strigilem furtu ablatam donat pro uva. Est strigilis instrumentum, e ferro, ebore, argento, quo sudorem e corpore detergebant, cum balneis utebantur; item quo distringuntur equi. *d*) Ordo est. Qui vendit proedia parens, id est, obsequens gulae, ut pretium e praediis redactum epulis det, nihil habet servile, nonne facit serviliter? *e*) Tibi constare, vel solus esse. *f*) Utilibus occupationibus, et honestis impendere. *g*) Planus, errabundus. *h*) Leuire. *i*) Illa ipsa cura quam fugis. *k*)

Unde mihi lapidem *k*) Quorsum est opus? Unde sagittas?
Aut insanit homo, aut versus facit. Ocyus hinc te
Ni rapis, eccedes opera *l*) agro nona Sabino.

SATYRA VIII. *Nasidieni coenam, cui Fundanius amicus suus interfuerat, lepide describit.*

Ut Nasidieni iuvit *m*) te coena beati *n*)?
Nam mihi quaerenti *o*) convivam dictus heri illic
De medio potare die *p*). Sic ut *q*) mihi numquam
In vita fuerit melius. Da *r*), si grave non est.
Quae prima iratum ventre placaverit esca.
In primis Lucanus aper, leni fuit Austro *s*)
Captus; ut aiebat coenae pater *a*). Acria circum
Rapula, lactucae, radices; qualia lassum

Subaudi, Sumam, Horatius loquitur, servi libertatem non ferens? Cur lapidem poscis? inquit servus. *l*) Accedes, mitteris nonus ad servos octo, qui faciunt opus in villa mea Sabina. Illi servi rustici erant deterioris, et durioris conditionis quam urbani, et catenis constricti tenebantur in ergastulis, id est, loci ubi arabant, egerebant humum etc. *m*) Delectavit. Quomodo apud eum, quam belle coenavisti? *n*) Divitis, lauti. *o*) Cum quaererem hominem, qui mecum coenaret, quem vocarem ad coenam; dictus es heri illic, id est, in domo Nasidieni, etc. *p*) A meridie: vulgo sub vesperam coenabant: convivia lautiora solito maturius inchoabant. *q*) Respondet Fundanius. Sic mihi illa coena bene fuit ut, etc. *r*) Narra. *s*) Nam gravi, et vehementius flante carnes putrescunt.

a) Magister, et Rex convivii Nasidienus. *b*) Provocant in edendum, et stimulant nova fame. *c*) Genus leguminis. *d*) Vide Sat. 2. erat faex muriae cuiusdam. *e*) Faex delicatior

Pervellunt, *b*) stomachum; siser *c*), alec *d*),
faecula Coa *e*);
His ubi sublatis *f*), puer alte cinctus *g*), acernam *h*)
Gausape *i*) purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit *k*) quodcumque iaceret inutile, quodque
Posset coenantes offendere: ut Attica virgo *l*)
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspus *m*)
Hoecuba vina ferens, Alcon Chium *n*) maris expers.
Hic *o*) herus: Albanum, Moecenas, sive Falernum
Te magis appositis *p*) delectat, habemus utrumque.
Divitias *q*) miseras! Sed queis coenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.
Summus ego *r*), et prope me Viscus Turinus et infra

vini Graeci ex Insula Coo: seu condimentum ex ea factum. *f*) E mensa, ut novis ferculis locus esset. *g*) Servus vestem habens altius praecinctam, ut esset expeditior. *h*) Ex acere arbore factam. Acernis mensis primam, post Citreas, gloriam fuisse testatur Plinius. *i*) Panno villoso. *k*) Collegit, abstulit. *l*) Solebant in sacris Cereris virgines canistra ferre vultu, et gressu ad insignem modestiam composito. *m*) Servus, item Alcon. *n*) Id est, vinum quod Nasidienus, ut Chium apponebat, licet numquam e Graecia fuisset mari advectum, sed in Italia natum: vel mari expers, id est, aqua marina non conditum, et temperatum; ait enim Plinius vina Graeca, sine aqua vix fuisse. Nasidienus ergo Chium parum ut rem magnam apponebat. *o*) Tum ita loqui Nasidienus coepit. *p*) Quam Coccubum et Chium, quae tibi modo iussi apponi. *q*) Hoc dicit Horatius: at cur miseras? Quia vina ista vulgaria erant, neque magnum erat iis abundare. *r*) In

Si memini, Varius: cum Servilio Balathrone
Vibidius, quos Moecenas adduxerat umbras *s*).
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus *a*) totas simul absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc *b*), qui si quid *c*) forte lateret,
Indice monstraret digito: Nam cetera turba,
Nos *d*) inquam, coenamus aves, conchilia: pisces
Longe dissimilem noto celantia succum;
Ut vel continuo patuit, cum passeris, atque
Ingustata mihi porrexerit ilia rhombi.
Post hoc me docuit melimela *e*) rubere *f*), minorem *g*),
Ad Lunam delecta. Quid hoc *h*) intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius *i*) Balathroni:

primo lecto, ego eram in summa parte, in media Viscus Turinus, in infima parte, Varius. In tertio lecto Nomentanus, Nasidienus, et Porcius. In secundo qui, medius trium erat ac honoratior; in summa parte Balathro, in ima Vibidius, in media, quae omnium honoratissima, Moecenas. *s*) Umbrae in convivio vocabantur illi, qui non suo nomine privatim erant invitati, sed amicum, aut virum nobilem comitabantur honoris caussa, ut umbra corpus assectatur.

a) In eo ridiculus, et facetus, quod absorberet uno veluti haustu integras placentas. *b*) Subauditur vocatus, appositus a Nasidieno. *c*) Si quod ferculum exquisitus convivas fugeret. *d*) Minus periti ad istas ciborum delicias cognoscendas, coenabamus quod occurrebat, pisces, aves etc., quae tamen fercula erant omnia saporis exquisiti, et longe a vulgari et noto disiuncti, ut affirmabat Nomentanus, et ego tum facile agnovi, cum idem ille mihi porrexit illa passeris (est piscis quidam) et rhombi qualia numquam ante gustaveram: vel, quae nemo nostrum attigerat: quia istius ferculi bonitatem ignorabamus. *e*) Poma quaedam mellei saporis. *f*) Ruborem induere. *g*) Non plenam, decrescentem. *h*) Nempe quod colligantur cum minor est luna. Quid hoc ad ruborem illi conciliandum conferat; hoc tibi melius quam ego explicabit. *i*) Subaudi dixit. *k*) Cum damno Nasidieni; large. *l*) I-

Nos, nisi damnose *k*) bibimus, moriemur *l*) inulti:
Et calices poscunt maiores. Vertere pallor
Tum Parochi *m*) faciem, nil sic metuentis, ut acres
Potores: vel quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod subtile exsurdant *n*) vina palatum.
Invertunt *o*) Aliphanis vinaria tota.
Vibidius, Balathroque, sequutis omnibus imis *a*):
Convivae lecti *b*) nihilum nocuere lagenis.
Affertur squillas inter muraena natantes *c*)
In patina porrecta. Sub hoc herus; haec gravida, inquit,
Capta est, deterior post partum carne futura.
His *d*) mistum ius est oleo, quod prima Venafri

multum mori, est usitata locutio Latinis, significans aliud nihil quam, miserrimum esse: quia putabat eos esse miseros, qui inulti morerentur. Pessime nobiscum hic agetur, nihil sapimus, inquit Vibidius, nisi affatim bibimus. *m*) Nasidienus pallere coepit. Proprie Parochi dicebantur, qui hominibus aliquo publice missis, ligna, salem etc. praebebant. Vide Sat. 5. l. 1. *n*) Surdum faciunt, id est, hebetant, obtunduntque, ne ciborum saporem sentiat, per translationem ab aurium sensu ad gustum. *o*) Exhauriunt vinaria poculis Aliphanis, fictilibus cyathis, in oppido Samnii Alipha, quod est inter Venafrum, et Beneventum. Vinarium est vas maius; oenophorum appellant. Porro Amphorae cum erant vacuae invertebantur, id est, ore in terram verso statuebantur.

a) Convivis in imo lecto accumbentibus, Nomentano, Porcio. *b*) Honoratiores, Moecenas, Varius, Viscus. *c*) In iuscolo. Squillae sunt pisciculi e cancrorum genere. *d*) Ius illud in quo videtis natantes squillas, his rebus mixtum et confectum est: primo ex oleo quod cella, seu apotheca Venafri optima pressum seu expressum ex olivis condidit deinde garo confecto ex intestinis et succo piscium Hispanicorum

Pressit cella; garo *e*) de succis piscis Iberi.
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur; cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud, pipere albo, non sine aceto.
Quod Methymnaeam vitio mutaverat uvam.
Erucas virides *f*) inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere *g*); illutos *h*) Curtillus echinos *i*),
Ut melius muria, quam testa *k*) marina remittit.
Interea suspensa graves aulaea *l*) ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis *m*) excitat agris.
Non maius *a*) veriti, postquam nihil esse pericli

(nempe scombrorum qui frequentes capiuntur ad novam Carthaginem) tum vino nato citra mare, in Italia videlicet, quod iuri inditum est dum coqueretur, nam postquam est remotum ab igne et coctum, illi affundendum est Chium, quo nullum tunc aliud est convenientius: postremo pipere albo et aceto, quod ex vino Lesbio vitiato, et corrupto seu acido, natum est. Methymna est urbs primaria Lesbi insulae maris Aegaei. *e*) Garum erat condimenti seu Mariae genus quoddam confectum ex intestinis pisciculorum, maxime Scobrorum, Herorum sale maceratis, et putrefactis. *f*) Herbae sunt. *g*) In iure illo coquere. *h*) Non lotos: Curtillus, (aliquis helluo) monstravit in eodem iure coquere Echinos adhuc, in sua muria, et liquore, quem testa marina qua includuntur, remittit, quem continet natantes, ut melius, id est, tamquam hoc sit melius, sapidiusque. Illutos, id est, non exemptos muria, non detersa salsugine, non ablutos aqua fluviatili. *i*) Pisces Echinis terrestribus similes, Epodon Od. 5. *k*) Vel ipsa pisciculorum concha, vel olla in qua macerantur. *l*) Vela, quae supra mensam erat suspensa. *m*) Campania, Italiae pars, ubi Roma.

a) Ne lacunar ipsum rueret. *b*) Nasidieni est cognomen.

Sensimus, erigimur. Rufus b) posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere c). Quis esset
Finis d), ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret e)? Heu fortuna, qui est crudelior in nos
Te, Deus? Ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balathro supendens f) omnia naso,
Haec g) est conditio vivendi, aiebat: eoque h)
Responsura tuo numquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine distrectum? Ne panis adustus,
Ne male conditum ius apponatur, ut omnes
Praecincti recte pueri, comptique ministrent?
Adde hos praeterea casus: aulaea ruant si
Ut modo si patinam pede lapsus frangat agaso i).
Sed convivatoris k); ut ducis; ingenium l), res
Adversae nudare solent, celare secundae,
Nasidienus ad haec: tibi Dî, quaecumque preceris,
Commoda dent: ita vir bonus es, convivaque comis,

c) Subaudi, coepit. d) An ille finem flendi fecisset? Flere profecto pergeret, nisi etc. e) Erigeret, solatus esset. f) Omnia in risum vertens, risum ex omnibus captans, l. 1. Satyr. 6. g) Sic vivitur, ea lege, ut nimirum adversa multa incidant. h) Ideoque numquam pro merito laudaberis, laudem tuo labore ac merito semper minorum feres. i) Servus hebes ac stupidus instar agasonis, mulionis. k) Eius qui convivas accipit. l) Industriam; ea nudatur, id est, promitur in

Et soleas *m*) poscit. Tum in lecto quoque *n*) videres
Stridere secreta divisos aure susurros.
Nullos his mallem ludos, spectasse: sed illa
Redde age, quae deinceps resisti. Vibidius dum
Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagenas
Quod sibi poscenti non dentur pocula: dumque
Ridetur fictis rerum *o*) Balathrone secundo *p*):
Nasidiene redis mutatae frontis *q*), ut arte
Emendaturus fortunam *r*). Deinde sequuti
Mazonomo *a*) pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farre.
Pinguibus et ficis pastum *b*) iecur anseris albi,
Et leporum avulsos, ut multu suavius, armos,
Quam si cum lumbis qui edit. Tum pectore adusto,
Vidimus et merulas poni, et sine clune palumbes;
Suaves res, si non causas narraret earum, et
Naturas Dominus; quem nos sic fugimus ulti.
Ut nihil omnino gustaremus: velut *c*) illis
Canidia afflasset, peior serpentibus Afris.

adversis, latet in secundis rebus. *m*) Crepidas, ut e lecto descenderet. *n*) Singulis lectis. *o*) Rebus fictis, fabellis, et iocis. *p*) Urgente, adiuvante, ut in tragoediis, actoribus primarum partium subserviunt actores, qui secundas ferunt. *q*) Fronte mutata, hilarior, *r*) Fortuitam aulaei ruinam.

a) Patina sic dicta. *b*) Saginatum. *c*) Quasi si Canidia ve-

Q. HORATII FLACCI EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS

EPISTOLA PRIMA AD MOECENATEM.

Se omissis versibus lyricis, totum esse in Philosophia perdiscenda, quae fraenare cupiditates, et omnia virtuti post habere docet.

PRima *d)* dicte mihi, summa *e)* dicende Camoena,
Spectatum *f)* satis, et donatum *g)* iam rude quaeris *h)*,
Moecenas, iterum antiquo *i)* me includere ludo.
Non eadem est aetas, non mens. Veianius *a)*, armis

nefica illis cibis afflasset, id est, flatu suo, et ore venenum praesentissimum addidisset. *d)* Primis meis versibus, in principio Lyricorum Carminum. Prima enim Ode libri primi Moecenati inscribitur, itemque aliae nonnullae. *e)* In ultimis meis scriptis, et his epistolis. *f)* Probatum, et cognitum, notae eruditionis, et famae. *g)* Emeritum. Rudis erat virga, seu bacillum ligneum impolitum: iis gladiatoribus dabatur, qui vacationem, et quasi missionem obtinebant ab arte gladiatoria, post annos certos in ea consumptos, sic ut ad certandum in arena cogi non possent. Saepe tamen in arenam revocabantur, populo postulante. *h)* Contendis, cupis. *i)* Me ad pristinam artem ad scribendos versus Lyricos revocare. Ludus (ut hic sumitur) erat locus in quo se gladiatores exercebant, et arma tractare docebantur. Metaphorice significatur Poesis lyrica, palestra Poetica.

a) Gladiator celebris. Eius exemplo probat sibi iam a Poesi abstinendum esse. Ille, iam senior, et multis periculis per-

Herculis *b)* ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret *c*) arena *d*)
Est mihi *e*) purgatam *f*) crebro qui personet aurem *g*).
Solve *h*) senescentem mature sanus *i*) equum, ne
Precet *k*) ad extremum ridendos, et ilia ducat *l*).
Nunc itaque et versus, et cetera ludicra pono:
Quid verum, atque decens, curo, et rogo, et omnis *m)* in hoc sum;
Condo *n*), et compono, quae mox depromere possim.

functus, recte artem deposuit, et in otium villae rusticae se abdit: cur mihi non idem concedatur? *b*) Ad templi Herculei valvas. Qui deponebant artem, ejus instrumenta Diis suspendebant, iis maxime quis ejusdem essent praesides. Colebant autem Gladiatores Herculem: sua olim fortitudine, et robore inclitum. *c*) Ne si arma jam senior et effoetus capiat, supplex populo vitam deprecetur in extrema parte arenae, in quam retrocedere coactus sit, ab aemulo suo victus, et jam enecandus. Vel si Horatium comparare cum ignavo gladiatore pudet; ne victor saepius missionem a populo petere cogatur: gladiatoribus enim in arenam semel ingressis licet emeritis, non licebat, nisi annuente populo, discedere. *d*) Arena solum erat, quò gladiatores dimicabant, ita dictum, quia constratum erat arena, ut sarculis versari et renovari facile posset imbutum sanguine gladiatorum: in extremam ejus partem secedebant missionem perituri. *e*) Audire mihi videor aliquem, qui me non invitum sic admoneat: O Horati, equus senescens mature solvendus est a curru. Sententia est: quemadmodum equus vetulus currum in circo non belle trahit; sic ego, jam senior, versiculos minus commode, ac decenter facio. *f*) Docilem, attentam. *g*) Per aurem sonet. *h*) A curru sejunge, remove. *i*) Si sapis. *k*) Corruat, tardius eat. *l*) Aegre anhelitum ducat; ut equi senes, et fatigati solent. *m*) Id unum studeo, et cogito. *n*) In animo recondo, et mecum meditor ea, quibus utar in loco, ad vitam recte instituendam, ad meos mores componendos. Vox condendi

Ac ne forte roges, quo me duce *o*): quo
lare tuter:
Nullius *a*) addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor
hospes.
Nunc agilis *b*) fio, et mersor civilibus undis,
Virtutis *c*) verae custos, rigidusque satelles;
Nunc in Aristippi *d*) furtim praecepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, subjungere
conor.
Ut nox longa quibus *somnum aufert cura*,
diesque

proprie ad fructus pertinet, qui extremo autumno colliguntur, et servantur. *o*) Quem philosophiae auctorem, quam philosophorum sectam et quasi familiam amplectar. Lar autem est Deus domesticus, quo nomine appellat eum, quum in philosophia ducem sequeretur, v. g. Epicurum, Aristippum, vel, domum et familiam philosophorum, in quam se adscribi vellet: Lar enim pro ipsa domo saepe sumitur.

a) Nulli certo philosopho, vel philosophiae deditus, et obstrictus, deferor, ad eos accedo, non tamquam civis, aut domesticus, sed tamquam hospes, et externus, ad quoscumque me aut ratio temporum, aut impetus animi tamquam tempestas, rapit. Proprie milites in verba ducis, seu imperatoris, jurare dicuntur, cum sacramento se obligant. Porro, *addictus jurare*, Graeco more dicitur, pro *Addictus ad jurandum*. Addicti proprie dicebantur debitores, qui cum damnati judicatum solvere non possens, creditoribus in servitutem dedebantur. *b*) Nunc immisceo me rebus gerendis, et in civium negotia me interpono. Inter philosophos veteres nonnulli, ut Stoici, et Peripatetici, putabant sapientem posse Remp. administrare, et in *undis civilibus*, hoc Reip. veluti mari, navigare, ubi seditiones crebro, tamquam procellae, oriuntur etc. Alii negabant; otium ac vitae tranquillitatem sectabantur, cetera, praeter seipsos, negligentes, et ita sibi, ut ajebant, res subjicere, non se rebus tradere et subjungere, ab iis non pendere, sed eas infra se quasi positas, habere conabantur: ut Aristippus, Epicurus, etc. *c*) Stoici summum bonum in virtute, et honestate ponebant, voluptates repudiabant, etc. Unde satellites rigidi virtutis, ut reginae cujusdam, hic vocantur. *d*) De eo vide Sat. 3,

Longa videtur opus *e*) debentibus, ut piger
annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum,
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quae spem
Consiliumque morantur iacendi ignaviter id *f*), quod
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris, senibusque nocebit.
Restat g), ut his ego me ipse regam, solerque elementis.
Non possis oculo quantum contendere Lynceus *a*),
Non tam idcirco contemnes lippus inungi:
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa *b*) corpus nolis prohibere chiragra;
Est quodam *c*) prodire tenus; si non datur ultra,

lib. 2. Epistol. 17. hujus libri. Sensim abripior mea sponte ad Aristippi effata, otium sector: negotiorum dominus esse conor, non servus. *e*) Mercenariis, qui ad certum opus faciendum conducti sunt. *f*) Studium sapientiae intelligit. *g*) Confecto jam ac decurso propemodum vitae spatio, id unum faciendum mihi restat, ut elementis philosophiae, et rudibus saltem, ac obviis praeceptis regam vitam meam, mores componam. Etsi enim non possim attingere perfectam philosophiae cognitionem, tamen non est inutile ejus praeceptis animum imbuere, et excolere. Sic, etsi non possit aliquis tantum niti et contendere oculorum acie, quantum Lynceus, tamen non idcirco contemnat, et nolit ungi aliquo collyrio, si lippus sit: nec nolit, id est, et libenter velit chiragram a manibus pellere, quamvis desperet se habiturum membra tam robusta, quam habuit Glyco, gladiator ille robustissimus.

a) Unus Argonautarum, qui dicitur oculos habuisse perspicacissimos; ita ut etiam ea, quae apud Inferos gererentur, conspiceret. *b*) Quia in digitorum articulis intumescens humor, quosdam quasi nodos efficit, quibus eos constringit. *c*) Est, licet ad aliquam doctrinae, virtutisque perfectionem

Fervet avaritia, miseroque cupidine pectus?
Sunt verba, et voces *d*), quibus hunc lenire dolorem
Possis, et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? Sunt certa piacula *e*), quae te
Ter pure *f*) lecto poterunt recreare *g*) libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est *h*), ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem:
Virtus est *i*) vitium fugere, et sapientia prima,
Stultitia *a*) caruisse. Vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum *b*) turpemque repulsam *c*),
Quanto devites animi: capitisque labore?
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes *d*),

prodire et provehi: si, id est, etsi non liceat ulterius, nempe, ad summam ejus absolutionem, et quasi apicem pervenire. *d*) Intelligi recte possunt voces magicae, et cautiones, quibus morbos putabant sanari. Illis philosophiae praecepta comparat. *e*) Erat apud Romanos, ea omnia, quibus expiabant, id est, purgabant et pium ex impio reddebant hominem, vel locum aliquem, ut preces, sacrificia etc. Philosophia stultos, et impios vitiis, et erroribus liberat. *f*) Quasi sacrum esset Philosophiae studium: at sacra omnia non nisi a puris et integris, caste ac revereuter tractanda. *g*) Sanare. *h*) Agrestis, ferox: sumitur ea vox et translatio a feris et belluis, quae mitescunt et circurantur disciplina quadam et cultura. *i*) Prima pars virtutis est, primus quasi ad eam gradus est, fugere vitia initium sapientiae est, stultitiam exuere.

a) In eo positam praecipuae docet, si pluris inania bona faciamus quam virtutem, si putemus ea mala esse, quae non sunt. *b*) Opes. *c*) Cum is, qui honores petit, repellitur. *d*) Aestuosas plagas, vel metaphorice, per

Ne cures ea *e*), quae stulte miraris, et optas,
Discere, et audire; et meliori credere non
vis?
Quis *f*) circum pagos, et circum compita
pugnas,
Magna coronari contemnat Olympia *g*)? cui
spes,
Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmae?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum,
O cives *h*), cives, quaerenda pecunia primum
est,
Virtus *i*) post nummos; haec Janus *k*)
summus ab imo
Perdocet, haec recinunt *l*) iuvenes dictata
m) senesque,
Laevo *n*) suspensi loculos tabulamque lacerto,

media pericula. *e*) Ordo est, non vis discere, et audire praecepta philosophiae, quibus docearis ea non curare, ca negligere, quae optas: fugis, et arces omni conatu inopiam, repulsam etc. ignorantiam vero stultitiam etc. non fugis, non emendas studio philosophiae. *f*) Quis est, qui cum saepe pugnaverit iu pagis et in compitis, ibique coronatus fuerit, nolit coronari in ludis Olympicis, totius Graeciae celeberrimo conventu celebrari solitis, si sperat ea se conditione dimicaturum, ut dulcem palmam victoriamque, sine pulvere, id est, sine labore consequatur? Hujus loci sententia est: tu leve lucrum, opes, honores, ut vilem coronam, magno periculo quaeris, et virtutem, quae illis omnibus potior est, et instar coronae Olympicae non quaeris, quamvis eam facile obtinere possis. Cur vitia et cupiditates malas non fugis? Quod sine pulvere, id est, facile fieri potest, excolendo mentem philosophiae praeceptis. *g*) Graeca locutio, id est, per Olympia, inter Olympica certamina; quaenam haec essent, Vide 1. Odem, lib. 1., et alias passim. *h*) Vulgi vox: ita loquentem populum Horatius inducit. *i*) Subaudi, quaerenda est. *k*) Qui sunt in Jani vico. Vide Satyr. 3. lib. 2. *l*) Saepe canunt. *m*) Praecepta naenias, effata. *n*) Habentes loculos, id est, sacculum in quo sunt calculi ad numerandum, et tabulam, seu alveum, plagulam

Si quadringentis *a*)sex, septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, et lingua, fidesque:
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, ajunt.
Si recte facies. Hic murus *b*) aeneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia *c*), dic, sodes, melior lex, an puerorum
Naenia, quae regnum recte facientibus offert,
Et maribus *d*) Curiis *e*) et decantata Camillis *f*)
Isne tibi melius suadet, qui ut rem facias *g*), rem

ligneam in qua numerent, vel in qua scripserint nomina debitorum, foeneratitiam pecuniam etc. suspensam brachio sinistro. Sat. 6. lib. 1.

a) Si sex aut septem millia sestertium desunt tibi, quominus habeas quadringenta millia sestertium (qui census Equitum erat, seu Pecunia proventus annui, illis necessaria, qui Romanos inter Equites numerari vellent, ab Othone quodam Roscio Tribuno plebis definita: quae summa est librarum Gallicarum 40000., respondetque decem millibus scutatorum Romanorum); et si animo, idest, fortitudine, et morum probitate, eloquentia, fide non careas, tamen in plebe semper jacebis, et in ordine civium infimo. Quod quam sit inique comparatum, vel ipsi pueri docent, qui, cum ludunt, ita suos socios alloquuntur: Rex eris, id est, omnium primus, si omnium optime luseris. *b*) Omissa pecuniae congerendae cura, unam virtutem sectare: in hac una re totius vitae tuae praesidium pone, ut nullius flagitii tibi sit conscius; haec tua sit arx, hoc propugnaculum contra omnes fortunae impetus, ut nullam sceleris ullius conscientiam suscipias, nihil admittas, quo merito erubescas, et palleas. *c*) Amabo te: an lex Roscia, quae aditum in Equestrem ordinem illi aperit, cui sint quadrigenta, melior est quam illa puerorum ludentium naenia, id est, formula, et cantilena, quae Reges eos fore clamitat, qui recte fecerint, olim a Curiis illis et Camillis usurpata, qui dignitates, et imperia optimis deferebant. *d*) Generosis. *e*) Vide lib. 1. Od 11. *f*) Vid. Od. 11. lib. 1 *g*) Opes colligas.

Si possis recte *h)*, si non, quocumque modo rem;
Ut propius *i)* spectes lacrimosa *k)* poemata Puppi:
An qui *l)* fortunae te responsare *m)* superbae
Liberum, et erectum *n)* praesens *o)* hortatur, et aptat?
Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut *a)* porticibus, sic iudiciis fruar iisdem,
Nec sequar aut fugiam, quae diligit ipse, vel odit;
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent,
Omnia *b)* te adversum spectantia, nulla retrorsum.
Bellua *c)* multorum es capitum: nam quid sequar *d)*: aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica *e)*, sunt qui

h) Honestis artibus. *i)* Ut, cum ditior factus fueris, in primis subselliis locum habeas. Senatores, et Equites, in primis Theatri ordinibus sedebant. *k)* Tragoedias, a Puppo compositas Tragoediae ad ciendam fere commiserationem et lacrimas comparatae sunt. *l)* An ille tibi rectius suadet, qui te hortatur fortunae casus erecto animo tolerare? etc. *m)* Resistere. *n)* Fortem, generosum. *o)* Dexter, opportunus.

a) Cur non aliis in locis, quam ille, spatier et ambulem: at alio, quam ille, modo judicem de rebus: cur iisdem utar porticibus, non iisdem judiciis? *b)* Ferarum quae tuam speluncam veniunt, video vestigia, et pedum notas, ita inaratas terrae, ut illas quidem ad te iisse, nullas rediisse appareat; quia sunt a te devoratae. Id iniit Horatius, nullum sibi fore a vitiis, quibus laborat populus, regressum et reditum; si semel tritam illam et corruptam vivendi cum populo sentiendique viam ingressus fuerit: hanc esse causam, ait, cura populo dissentiat. *c)* Tu es instar belluae multis capitibus praeditae: tot sententiae, opiniones ac studia sunt, quot homines. *d)* Probem, amplectar. *e)* Opera publica,

Crustis *f*), et pomis viduas venentur *g*) avaras
Excipiantque *h*) senes, quos in vivaria mittant
Multis occulto crescit res *i*) foenore. Verum *k*)
Esto aliis alios rebus studiisque teneri:
Iidem eadem possunt horam durare probantes?
Nullus in orbe sinus Baiis praelucet *l*) amoenis,
Si dixit dives: locus, et mare sentit *m*) amorem
Festinantis heri: cui *a*) si vitiosa lubido
Fecerit auspicium, cras feramenta Theanum
Tolletis fabri: lectus *b*) genialis in aula est?

v. g. pontes faciendos, colligenda vectigalia, certo pretio constituto, in se recipere. *f*) Vilibus munusculis. Legitur etiam, *frustis*. Crustula porro sunt dulciaria quaelibet, cupediae, etc. *g*) Earum haereditatem aucupentur. *h*) Verbum est insidiis accomodatum. Sententia est: qui senes orbos callide sic deliniant, ut eos compositis obsequiis capiant, ac eorum haereditatem certis artibus consequantur; quemadmodum pisces hamo capiuntur, et in vivaria (loca servandis piscibus captis idonea) mittuntur, ita ut effugere nequeant. *i*) Pecunia. *k*) Sed esto sane, aliud aliis placeat; non id miror in tanta hominum multitudine, tanta varietate studiorum ac voluntatum. Sed quis credat eumdem hominem in horas mutari, et modo illud probare? *l*) Praeferendus est: nempe ad aedificandam domum. Bajae, urbs est Campaniae, ad sinum Puteolanum: prope hanc est lacus Lucrinus. *m*) Exilit, et gaudet spe magnifice domus in littore extruendae.

a) Atsi haerus ille, vitiosam libidinem, et inconstantiam suam consulens, ex ea sumat auspicium, ut ex avium cantu, et volatu duci solet, eaque illi suadeat alibi domum aedificare, cras, inquiet, o fabri, o architecti etc. transportate Baiis fabrilia instrumenta Theanum, (Urbs est Campaniae, a littore remotior) De auspiciis alias diximus. *b*) Uxorem duxit? Lectus genialis, lectus erat nuptialis, qui in aula, id est, domo, vel in ea domus parte, quae atrium dicebatur, sterni et poni Genio consueverat; quia Genius nativitati ho-

Nil ait esse prius, melius nil caelibe *c*) vita:
Si non est, jurat bene *d*) solis esse maritis.
Quo teneam, vultus mutantem Protea *e*) nodo?
Quid *f*) pauper? Ride *g*) mutat coenaeula *h*), lectos,
Balnea, tonsores; conducto navigo aeque
Nauseat *i*) ac locuples, quem ducit priva *k*) triremis.
Si curtatus *l*) inaequali tonsore capillos
Occurri, rides; si forte subucula *m*) pexae *n*)
Trita subest tunicae *o*), vel si toga dissidet *p*) impar,
Rides. Quid, mea cum pugnat sententia secum?—
Quod petiit, spernit, repetit quod nuper omisit,
Aestuat *q*), et vitae disconvenit *r*) ordine toto,
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis,
Insanire putas solemnia *s*) me, neque rides,

minum praesidebat. *c*) Sine uxore. *d*) Solos matrimonio junctos, beatos esse. *e*) Proteus Deus marinus fuit, et Neptuni Pastor, omnes formas induere, et in ignem, aquam, rupem, verti pro arbitrio solitus. Vide Virgil. 4. Georg. *f*) Quid agunt pauperes? An sunt constantiores divitibus? *g*) Illorum levitatem. *h*) Coenaculum Romanis erat superior aedium contignatio, quam fere pauperes incolebant: ita dicta, quia in ea olim coenabant etiam ipsi divites, ad auram serotinam, et frigidiorem captandam. *i*) Aeque fastidit, ac mutat navim conductam etc. *k*) Propria et sua. *l*) Si ego, habens capillos tonsos brevius a tonsore inaequali, id est, qui eos inaequaliter et per sulcos totonderit, occurram tibi, risum movebo etc. *m*) Vestis intima, indusium. *n*) Recenti, villosae. *o*) Est vestis exterior? toga vestis extima. *p*) Non sedet aequaliter in humeris, plus hinc pendet, quam illinc. *q*) Fluctuat, laetatur huc illuc ut aestus maris. *r*) Non convenit, non constat sibi in tota vitae ratione. *s*)

Nec medici credis, nec curatoris *a)* egere
A praetore dati, rerum tutela mearum
Cum sis, et parve sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici.
Ad summam *b)*, sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.
Praecipue *c)* sanus *d)*, nisi cum *e)* pituita *f)* molesta est.

Solemniter, communi hominum more: communi me laborare morbo putas; ideoque non rides nec reprehendis. Solemne est, quod certis anni temporibus solet fieri; pro consueto accipitur.

a) Dabatur ille insanis a Praetore, ut eorum curat bona, si propinquis carerent. *b)* Denique, ad extremum. Hoc veluti axiomate praecepta philosophiae, quae tradidit hac Epistola concludit. *c)* Egregie: prae ceteris. *d)* Sanitate summa praeditus, animi quidem semper, at non item corporis. *e)* Stoici dicebant sapientem in gravissimis morbis, et cruciatibus, sanum, ac valentem esse: negat hoc Horatius jocando: conceditque animi bona recte tribui sapienti, non item corporis, quae non sunt in nostra potestate. Pituita est humor frigidus. *f)* Ista vox est trium syllabarum, quasi, *pituita*: stare aliter quippe non potest in versu, cum prima syllaba longa sit.

EPISTOLA II. *Homerum Philosophis anteponit. Hortatur ad sapientiae studium; eique a teneris operam dandam esse monet.*

Troiani *g*) belli scriptorem, maxime Lolli *h*),
Dum tu declamas *i*) Romae Praeneste *k*) relegi
Qui, quid sit pulchrum *l*), quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius, ac melius Chrysippo *m*), et Crantore dicit
Cur ita crediderim, nisi *a*) quid te detinet, audi.
Fabula *b*) qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae *c*) lento collisa *d*) duello *e*),

g) Homerum. *h*) Quis Lollius fuerit. Vide lib. 4. Odar. Od. 8. Apparet scriptam esse hanc Epistolam ad aliquem ex ejus filiis, quam tamquam juvenem Horatius hic alloquitur: si quidem Lollius pater, ad quem Ode scripta est, Consul fuit, cum Horatius annum aetatis ageret 44., ac proinde aut aequalis erat Horatii, aut etiam eo senior. Quod autem hic dicat, *maxime Lolli*, aut ea vox, *maxime*, significat, amplissime, carissime? aut plures liberos habuit Lollius, quorum iste esset natu maximus. *i*) Versus, aut oratione recitas, memoriae et eloquentiae excolendae causa. *k*) Urbs est in Latio. *l*) Honestum. *m*) Ille inter Stoicos celeberrimus; hic inter Academicos philosophus, de quibus saepe dictum antea. Academicorum erat nulli rei assentiri. Ciceronem vide lib. de Finib.

a) Si vacat tibi audire: nisi te gravior alia moratur occupatio. *b*) Illas Poema compositum ab Homero de Iliis, seu Trojae excidio. Porro Epopoeiae, Comoediae, et Tragoediae vocantur fabulae, quod personae fabulantes, id est, colloquentes, in iis inducantur, sive quod multa in illis fingere, et ad ornandum actionem primariam, quae Poematis argumentum, et caput est, addere de suo Poeta possit: estque fabula proprie compositio, et coagmentatio episodiorum, peripetiarum, etc. *c*) Phrygiae, Troadi, Graeci ceteros populos, maxime Phrygias appellare Barbaros solebant. *d*) Opposita, commissa cum eo bello. Contrita bello decennali, et conflictata. *e*) Bello. Dicebant olim veteres *Duis*, pro, *bis*: bellum autem,

Stultorum Regum, et populorum continet aestus *f*).
Antenor *g*) censet belli praecidere causam.
Quid Paris *h*)? Ut salvus regnet *i*) vivatque beatus,
Cogi *k*) posse negat: Nestor *l*) componere lites
Inter Peliden *m*) festinat, et inter Atriden *n*).
Hunc *o*) amor *p*): ira quidem communiter *q*) urit utrumque *r*);
Quidquid delirant *s*) Reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere atque libidine, et ira
Iliacos *t*) intra muros peccatur, et extra.
Rursus quid virtus, et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem *u*):
Qui domitor Troiae, multorum providus urbes,
Et mores hominum inspexit, latumque per aequor,
Dum sibi, dum sociis reditum *a*) parat, aspera multa

sive duellum, duas inter oppositas partes peragitur. *f*) Iram. seditiones. Agamemnon praecipue cum Achille jurgavit: ad librum 1. Iliad. *g*) Unus Priami filiorum, idemque prudentissimus, censet praecidendam esse belli causam, reddendam Graeciae Helenam. *h*) Subaudi, censet, respondet. Lege Oden 13. lib. 1. *i*) Id est, ut votorum sit compos. *k*) Subaudi se. *l*) Graecus senex sapientissimus. *m*) Achillem; Pelei filium, et Thetidis. *n*) Agamemnon, filium Atrei. *o*) Agamemnonem. *p*) Briseidis captivae, quam quia eripuerat Achilli, magna est inter ambos orta dissensio. Achilles a bello abstinuit; multae clades illatae Graecis etc. *q*) Ex aequo, pariter. *r*) Achillem, et Agamemnonem, *s*) Peccant, agunt perperam. *t*) Trojanos. Troja dicta est Ilium, ab Ilo, Rege Trojanorum, Trois filio. *u*) Fuit Ithacae insulae Rex; sagacitate ac prudentia insignis, qui momentum ingens ad capiendam Trojam attulit.

a) E Phrygia in Ithacam insulam suam. Vide Odysseam.

Pertulit, adversis rerum immersabilis *b*) undis.
Sirenum *c*) voces, et Circes *d*) pocula nosti:
Quae si cum sociis stultus, cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors *e*):
Vixisset cani immundus, vel amica luto sus.
Nos numerus *f*) sumus, et fruges consumere nati *g*).
Sponsi *h*) Penelopes, nebulones, Alcinoique *i*),
In cute curanda plus aequo operata *k*) iuventus,
Cui pulchrum fuit in medios *l*) dormire dies, et
Ad strepitum citharae cessatum *m*) ducere curam.
Ut iugulent homines surgunt de nocte latrones:
Ut teipsum serves, non expergisceris? Atqui
Si noles sanus, cures *n*) hydropicus: et ni

b) Invictus, insuperabilis adversis rebus. *c*) Sat. 3, lib. 2. Voce blanda, et insidioso cantu praetereuntes deliniebant, et in scopulos pertrahebant. Id periculum, ut vitaret Ulysses, obstruxit aures suorum sociorum cera, ne Sirenum voces audirent: ipse vero se ad malum navis alligari jussit. *d*) Erat Circe famosa venefica, quae certis potionibus homines in belluas vertere dicebantur. Ejus insidias et pocula sapiens Ulysses respuit; cum ad ejus insulam in ora maritima Italiae sitam, delatus fuisset tempestate; non item ejus socii, qui ab ea in porcos mutati fuere. Per Circem et Sirenes Homerus foedas voluptates adumbravit. *e*) Amens, sine corde. *f*) Turba inutilis, solo numero, et nomine censendi, non virtute, aut rè aliqua bene gesta. *g*) Qui idcirco vivere videmur tantum ut edamus, et bibamus. *h*) Proci. Erat Penelope, uxor Ulyssis castissima: cum, bello Trojano confecto, domum Ulysses non rediret, non levis erat suspicio eum naufragio periisse. Quare multi ex Ithacae proceribus Penelopen sibi uxorem expetebant; et Ulyssis bona hoc nomine turpiter dilapidabant, *i*) Sumus juventus Alcinoi, id est, similes populo Alcinoi: qui Rex erat Phaeacum in insula Corcyra uni gulae, et otio deditus, perinde ac ceteri Phaeaces. *k*) Occupata, dans operam. *l*) Ad meridiem usque. *m*) Dormitum. Curas sopite et velut in lectulo componere ad citharam, cantu lirae. *n*) Ad medicum.

Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis, et rebus honestis,
Invidia, vel amore vigil torquebere. Nam cur:
Quae laedunt oculos, festinas demere: si quid
Est animum *a*), differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui coepit habet: sapere *b*) aude:
Incipe. Vivendi qui recte prorogat *c*) horam
Rusticus *d*) expectat dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis aevum.
Quaeritur argentum, puerisque beata *e*) creandis
Uxor, et incultae pacantur *f*) vomere sylvae.
Quod satis *g*) est, cui contigerit: nihil amplius optet.
Non domus, et fundus, non aeris acervus, et auri
Aegroto domini deduxit *h*) corpore febres,
Non animo curas; valeat *i*) possessor oportet,
Si comportatis *k*) rebus bene cogitat uti.
Qui cupit *l*), aut metuit juvat illum sic domus, aut res,

a) Macerat, exedit. *b*) Aude, accinge te ad capessendam vitae sapientis viam. *c*) Differt. *d*) Instar rustici facit, qui cum ad fluminis ripam objectam eunti: constitisset, expectabat dum amnis totus effluxisset: ita qui procrastinat in dies studium sapientiae, novos quotidie obices inveniet. *e*) Foecunda. *f*) Excoluntur, arantur, mansuescunt: terra enim silvis consita, fera, quodammodo est et horrida. *g*) Qui habet, quod ad vitam sufficit. *h*) Depulit. Morbi, curae, opibus non sanantur et arcentur. *i*) Sanus animo et corpore sit. *k*) Congestis, quaesitis. *l*) Qui aliqua cupiditate prava, vel metu vexatur, ille non magis juvatur, gaudet, ma-

Ut lippum pictae tabulae, fomenta *m*) podagram,
Auriculas citharae collecta sorde dolentes.
Sincerum *n*) est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.
Sperne *o*) voluptates, nocet empta dolore voluptas;
Semper avarus eget: certum voto *p*) pete finem.
Invidus alterius macrescit, rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni *q*)
Majus tormentum. Qui non moderabitur irae.
Infectum *a*) volet esse, dolor quod suaserit, et mens *b*),
Dum *c*) poenas odio per vim festinat inulto.

gnifica domo, vel pecunia, quam pictae tabulae juvent eum, qui lippus sit, et oculis laboret: quam fomenta podagricum; quam cithara illum, cujus aures laborent, ob collectas iis sordes. *m*) Remedia sunt; quibus podagrae quidem dolor fovetur et mitigatur, at morbi causa non tollitur. *n*) Nisi vas aliquod mundum est, acescet, fiet acidus liquor in illud fusus. Ita nisi mens vacat cupiditatibus, quaecumque usurpabit gaudia, ea corrumpet, ac viciabit: fient acida illi et insuavia. *o*) Enumerat vitia, et cupiditates, quibus animus est expurgandus; voluptatem nempe, avaritiam, invidiam, iram etc. *p*) Certam tibi summam pecuniae defini et praescribe, qua tua vota et cupiditatem habendi finias, ultra quam nolis ditescere. *q*) Phalaris, Dionysius, nullum tormentum cruciandi hominibus invenere, quod comparari cum invidia possit. Notus Phalaridis taurus aeneus; notus Dionysii ensis, Damoclis cervicibus imminens. De Dionysio et Damocle Vide Oden 1. lib. 3. Phalaris vero, cum exquisita hominibus cruciandi supplicia quaereret, Perillus quidam faber ferrarius excogitavit aeneum taurum, in quo inclusi subjectis ignibus dire torquerentur: placuit inventum Phalaridi, et auctori nocuit: jussit enim tyrannus Perillum primum omnium in illum taurum conjici et vivum exuri.

a) Irritum, non factum. Volet non accidisse. *b*) Mens dolore incensa. *c*) Dum odium suum inultum esse dolens,

Ira furor brevis est : animum rege, qui nisi paret ,
Imperat : hunc fraenis , hunc tu compesce catena.
Fingit *d*) aequum tenera docilem cervice magister
Ire viam *e*), quam monstrat eques: venaticus ex quo *f*)
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in sylvis catulus . Nunc adhibe *g*) puro *h*)
Pectore verba puer *i*), nunc te melioribus *k*) offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Quodsi cessas *l*),aut strenuus anteis ,
Nec tardum opperior *m*), nec praecedentibus insto *n*).

properat poenas acceptae injuriae per vim et nefas exigere. Dum injuriae dolorem multum properet ulcisci , et levare. *d*) Ut equi, canes , etc. mature sunt formandi , et instituendi , sic homines etc. *e*) Ut viam eat : ut iter ab Equite imperatum facile carpat . *f*) Postquam catulus venaticus latravit in aulam cervum aliquem fictum seu pellem cervi tomento sartam , discit veros cervos in sylvis agitare, et acriter cum illis pugnare. *g*) Tanquam salutarem succum hauri animo , et imbibe. *h*) Nondum vitiis inquinato. *i*) Juvenem Lollium alloquitur. Torrentius censet orationem hic ad juventutem converti. *k*) Sapientioribus te offert docendum. *l*) Ignavior es , ac tardior . *m*) Expecto. *n*) Non urgeo celeriores, non conor eos antevertere. Ego philosophiae studere pergam sine invidia et segnitia , sive tu in eo studio diligentior me, seu tardior et remissior sis.

EPISTOLA III. *Julium Florum de Claudio Nerone, et quibusdam suis amicis interrogat. Eumdem ad sapientiae studium, et ad redeundum cum fratre in gratiam hortatur.*

Juli Flore *a*), quibus terrarum militet oris
Claudius *b*) Augusti privignus *c*) scire laboro.
Thracane *d*) vos, Hebrusque *e*) nivali compede vinctus,
An freta *f*) vicinas inter currentia turres,
An pingues Asiae campi, collesque morantur *g*)?
Quid studiosa *h*) cohors operum struit? Haec *i*) quoque curo.
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis, et paces longum *k*) diffundit in aevum?
Quid Titius *l*), Romana brevi venturus in ora,

a) Amicus erat Horatii, Claudii comes. *b*) Cl. Tiberius Nero, Natus Livia, quae postea Augusto nupsit; is profectus est in Armeniam, ut regnum Tigrani restitueret: quo in itinere sequutus est eum Florus iste, *c*) Est filius mariti ex alia conjuge: vel conjugis ex alio marito. *d*) An vos tenet Thracia? *e*) Thraciae fluvius, saepe glacie constrictus, ac nivibus obsitus. *f*) An mare angustum interjacens inter vicinas turres? Hellespontus nempe inter duas urbes, sive arces, Sestum et Abydum, fluens exiguo illo mari divisas, et Europam ab Asia separans. *g*) Tenent. *h*) Erudita. Sub Augusto litterae et litterati florebant; itaque in comitatu Neronis multi viri docti numerabantur. Illi quid rerum agant, Horatius rogat. *i*) Id quoque laboro scire, quis vestrum subat sibi provinciam, et munus scribendarum rerum ab Augusto gestarum. *k*) Scriptis mandat, et in consequentes aetates propagat. *l*) Poeta lyricus, brevi ob sua scripta, inquit, celebrandus apud Romanos: qui non dubitavit, non timuit haurire aquam ex illo fonte recondito, ex quo Pindarus hauserat, id est, qui

Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus, et rivos ausus apertos?
Ut valet? Ut meminit nostri? Fidibusne Latinis
Thebanos *m*) aptare modos studet, auspice Musa *n*)?
An tragica desaevit *o*), et ampullatur *p*) in arte?
Quid mihi Celsus *a*) agit? Monitus, multumque monendus,
Privatas ut quaerat opes *b*), et tangere vitet
Scripta Palatinus quaecumque recepit Apollo.
Ne, *c*) si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes *d*)?
Quae circum volitas agilis thyma *e*)? Non tibi parvum

Pindarum ausus est imitari contempto vulgari Poeseos genere, quae omnibus patens et obvia est, instar fontis publici. *m*) Versus Graecos Pindari (qui oriundus Thebis) accomodare ad lyram Latinam, id est, Latinis versibus Pindarum imitari. De Pindaro vide Oden 4. libri 4. *n*) Musarum ope et auspicio. *o*) Acri et vehementi stylo utitur. Tragici Poetae furentes, et crudeles interdum personas exhibent, iisque stylum accomodare, adeoque ipsi furere, ac bacchari quodammodo debent. *p*) Utitur verbis sonantioribus, grandioribus, et quasi inflatis, instar ampullarum, quae sunt vasa turgido ventre, aut bullae vento tumentes et in aqua summa extantes.

a) Nomen Poetae ad quem scribit in hoc eodem libro Epist. 8. *b*) Ut versus edat marte suo, neque aliorum scripta suffuretur ac sublegat, quae recepit bibliotheca prope templum Apollinis Palatini ab Augusto extructa; id est, quae in ea servantur. Ibi enim praestantissimorum Poetarum scripta cum eorum imagine, honoris ergo, publice reponebantur. *c*) Pro cornicula graccülum vulgo habent fabulae, qui cum collectis avium aliarum versicoloribus pennis superbus ambularet; iis detractis agnitus, et irrisus est. Caveat igitur Celsus ne simile quidpiam ipsi contingat. *d*) Quid scribis, moliris? *e*) Poetae apibus comparantur. Quos circum flores volas, ut

Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum *f*).
Seu linguam causis *g*) acuis, seu civica *h*) jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen:
Prima feres hederae *i*) victricis praemia, quod si
Frigida curarum fomenta *k*) relinquere posses;
Quo te caelestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium parvi properemus, et ampli *l*)
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere, si tibi curae *m*)
Quantae conveniat, Munatius: an male sarta *n*)
Gratia nequicquam coit *o*), et rescinditur? At vos
Seu calidus sanguis *p*), seu rerum inscitia vexat
Indomita cervice feros, ubicumque locorum
Vivitis, indigni *a*) fraternum rumpere foedus:
Pascitur in vestrum reditum votiva *b*) juvenca.

ex iis succum legas melli conficiendo? Id est, quae condis carmina? *f*) Hirsutum, hispidum. *g*) Forensibus. *h*) Sive respondes civibus te consulentibus de jure civili. *i*) Qua poetae coronabantur, haedera quippe semper viret; versus autem aeternitatem merentur et donant. *k*) Nutrimenta: sic divitias, et ambitionem vocat. *l*) Locupletes, nobiles. *m*) An tantae tibi curae est frater tuus Munatius, quantae esse tibi convenit? *n*) Amicitia non sincere instaurata. *o*) Coalescit, conjungitur. *p*) Juvenilis ardor, et impotentia.

a) Digni qui inter vos numquam dissideatis: meliores et honestiores quam quos dissociari, et a se invicem divelli deceat. *b*) Ex voto a me immolanda, cum redieritis inco-

EPISTOLA IV. *Laudat Albium Tibullum, et ut vivat, quasi quotidie moriturus, admonet.*

Albi *c*), nostrorum Sermonum *d*) candide *e*) iudex
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana *f*)?
Scribere *g*) quod Cassi Parmensis opuscula vincat?
An tacitum sylvas inter reptare *h*) salubres,
Curantem quidquid dignum sapiente, bonoque est?
Non tu corpus eras *i*) sine pectore: Di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt *k*), artemque fruendi *l*).
Quid voveat *m*) dulci nutricula maius alumno,

lumes. *c*) Albius Tibullus Poeta in primis tersus et latinus, cujus extant carmina cum Catulli et Propertii versibus vulgo excusu. *d*) Satyrarum, et Epistolarum, in quibus carmina proxime accedunt ad sermonem quotidianum, et colloquia familiaria: multi autem hoc scribendi genus non probabant, sive ob humilitatem quamdam orationis, quod etiam nunc imperiti faciunt; sive ob maledicendi licentiam quae in ejusmodi Satyris extat. *e*) Sincere, aeque. *f*) Prope Podum Italiae oppidum in Latio, ubi villam habebat Tibullus, quem ibi versantem, et certis de causis quas Horatius non explicat, moestum consolatur. *g*) An dicam, an putem te scribere aliquod carmen, quod superet opera Cassii Parmensis, Poetae nobilis, a Parma civitate Italiae, in Longobardia, ejus patria, ita dicti? Supplicio est affectus Augusti jussu, quod unus fuisset e Caesaris percussoribus. *h*) Deambulare leniter. *i*) Pro es, vel, numquam fuisti. *k*) Ita multi legunt, penultimamque, ut in ejusmodi praeteritis saepe fit, corripiunt. *l*) Sapientiam, sine qua inutiles divitiae sunt, imo noxiae. *m*) Precetur et votis optet. In te sunt omnia,

Quam sapere *n*) et fari ut possit; quae sentiat, et cui
Gratia, fama, valetudo contingat *o*) abunde,
Et mundus victus *p*), non deficiente crumena!
Inter spem, curamque, timores inter et iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum;
Grata superveniet, quae non sperabitur, hora.
Me pinguem, et nitidum bene curata cute, vises,
Cum ridere *a*) voles Epicuri *b*) de grege porcum.

EPISTOLA V. *Torquatum ad coenam invitat, quam frugalem fore dicit; utendum opibus, genio tantisper indulgendum esse monet.*

SI potes archaicis *c*) conviva recumbere *d*) lectis,
Nec modica coenare times olus *e*) omne patella,
Supremo *f*) te sole domi, Torquate, manebo *g*).

quae optare alumno carissimo nutrix potest. *n*) Quam sapientiam et eloquentiam, illa facit, ut recte sentiamus, haec ut bene dicamus. *o*) Affluat, suppetat. *p*) Ratio vivendi, et vescendi frugalis, nec tamen sordida.

a) Comessari, genio indulgere. *b*) Summum bonum in voluptate posuisse dicitur; sive ille corporis voluptatem diceret; sive animi, quae in vacatione a dolore, et cura consistit, ut multi sentiunt: sive utrumque, quod est probabilius. Homines voluptarii Epicuri porci appellantur. *c*) Parum elegantibus: vetusto more et artificio factis. Est Graeca vox significans antiquis et rudibus. *d*) Ad mensam accumbere. *e*) Vesci leguminibus. *f*) In occasum vergente. *g*) Expe-

Vina bibes iterum Tauro *h*) diffusa, palustres *i*)
Inter minturnas. Sinuessanumque Petrinum.
Sin melius quid habes arcesse *k*) vel imperium *l*) fer,
Jamdudum splendet focus, et tibi munda supellex.
Mitte *m*) leves spes, et certamina divitiarum,
Et Moschi *n*) causam. Cras *o*) nato Caesare *p*) festus
Dat veniam *q*), somnumque dies : impune licebit
Aestivam *a*) sermone benigno tendere noctem.
Quo mihi *b*) fortuna, si non conceditur uti?
Parcus *c*) ob haeredis curam, nimiumque severus,

ctabo. *h*) Subaudi consule. Fuse in amphoras secundo consulatu Tauri, anno U. C. 728. T. Statilins Taurus Augusto carus fuit, ob res in Africa bene gestas triumphavit. *i*) Non optimae notae vinum suum esse ostendit, quia natum erat in agro Minturnensi aut Petrino, prope Sinuessam antiqui Latii oppidum, ubi erant vina deteriora. *k*) Jube illud afferri tecum; vel meo arbitrio et legibus vescere, et morem mihi gere: utere meo vino, vel tuum melius affer. *l*) Proprie: nam coenae Rex, dominus, pater, appellabatur is, qui alios accipiebat. *m*) Omitte spes quas concipis, lites quae suscipis, et contentiones ad divitias comparandas. *n*) Ajunt illum fuisse Rhetorem, Patria Pergamenum, veneficii accusatum, defensum a Torquato. *o*) Nono Kalend. Octobris, qui est dies 23 Septembris. *p*) Natalis dies Caesaris, qui cras recurret, dat nobis facultatem somni longioris, itaque noctem post epulas tendere, id est, protrahere, licebit suavibus colloquiis usque in lucem, et matutinis horis indulgere somno. *q*) Copiam, potestatem. Veniam et somnum posuit, pro venia somni.

a) Calidiorem : ut interdum fit Septembri mense. Nonnulli ob eam vocem putant Horatium loqui de natali die Caii Caesaris, nepotis Augusti ex ejus filia Julia, Agrippae uxore, qui natus est anno 734. sub finem aestatis, ex Dione colligunt. *b*) Quorsum mihi expetam fortunas, id est, opes, et alia fortunae bona? *c*) Qui parce vivit ac duriter, ut haeredi suo ma-

Assidet insano: potare, et spargere flores
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas designat *d*)? Operta recludit.
Spes *e*) jubet esse ratas, in praelia trudit inerme.
Sollicitis animis onus *f*) eximit, addocet artes.
Foecundi *g*) calices quem non fecere disertum
Contracta *h*) quem non in paupertate solutum *i*)?
Haec ego *k*) procurare et idoneus imperor, et non
Invitus: ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares, ne non et cantharus et lanx
Ostendat tibi te: ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta *l*) foras eliminet *m*). Ut coeat *n*) par,
Jugaturque pari, Brutum tibi, Septimiumque,
Et nisi *o*) coena prior, potior conviva, Sabinum
Detinet, assumam. Locus est et pluribus umbris *p*)

gnas opes relinquat, ille assidet, id est, similis est, non longe abest ab insano. *d*) Audet, suscipit, destinat et designat animo. *e*) Facit ut omnino speres eventura, quae cupis. *f*) Curas. *g*) Eloquentes, verborum copiam, et ubertatem afferentes. *h*) Tristi. *i*) Hilarem ac remissum. *k*) Idoneus sum ad ea quae dicturus sum, procuranda: haec mihi provincia, haec vulgo cura imponitur quam libenter in me recipio; nempe ut toralia, id est, vestes, quibus thori seu lecti teguntur, sint munda, ut mappa sordida non sit, quod nauseam convivis affert, facitque ut prae fastidio nares corrugent: ut patinae nitidae sint, adeo ut in iis te tamquam in speculo contemplari possit; ut pares convivae cum paribus accumbant. *l*) In convivia, quae fere sunt liberiora. *m*) Efferat extra limen, aliis renunciet. *n*) Ut autem convivae, pares cum paribus jungamur: vocabo Brutum etc. *o*) Invitabo etiam Sabinum, nisi prius invitatus ad coenam ab aliquo fuerit, aut potiorem ac potentiorem nobis convivam domi suae accipiat. *p*) Convivis non invitatis, sed invitatos sequentibus

Sed nimis *a*) arcta premunt olidae convivia caprae.
Tu quotus esse velis, rescribe, et rebus *b*) omissis,
Atria *c*) servantem *d*) postico *e*) falle clientem *f*).

EPISTOLA VI. *Eum esse beatum dicit, qui nihil optet, nihil metuat. Felicitatem in sola virtute collocatam esse.*

Nil admirari *g*) prope res est una, Numici *h*),
Solaque: quae possit facere, et servare beatum.
Hunc solem *i*), et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent: quid censes munera terrae?

honoris, amicitiae, dapis, causa, ut umbra corpus sequitur. De illis vide l. 2. Satyr. Sat. ultima.

a) Noli plures tecum adducere, quia olidae caprae, id est, odor gravis axillarum, qui ex calore nascitur, cum plures in eodem loco sunt stipati, premit convivia, id est, sentitur maxime in conviviis, in quibus arctius accumbitur. Odor teter sub axillis, hircus, seu caper appellantur, quia hircus est animal in primis foetidum. *b*) Negotiis. *c*) Domus vestibulum, aulam in limine. *d*) Qui te tibi expectat, tecum acturus de sua lite. *e*) Per caecas et remotas in extrema domo fores egredere et illum effuge. *f*) Vel Moscum, vel alium quemlibet, cujus causam patronus defendis. *g*) Nullius rei prava cupiditate percelli: ex eo quod enim aliquid ut magnum utile, aut necessarium admiramur, fit ut illud cupiamus, ac prosequamur. *h*) Amicus erat Horatii. Numicia gens Romae nobilis et patricia fuit, a Numico seu Numicio Latii fluvio, dicta. *i*) Sententia est: Si reperiuntur qui res caelestes, solem, stellas et tempora, id est, quatuor anni tempestates, decedentes, id est, finem accipientes, aliis succedentibus, et quasi abeuntes, certi mensibus, ac momentis, qui haec, nunquam, spectent imbuti, id est. perculsi, affecti nulla formidine, id est, admiratione, perturbatione, et religioso

Quid maris extremos Arabas ditantis, et
Indos?
Ludicra quid? Plausus, et amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis, et ore?
Qui timet his adversa k), fere miratur l) eodem,
Quo cupiens, pacto. Pavor est utrique molestus:
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatve quid ad rem?
Si quidquid a) vidit melius, peiusve sua spe,
Defixis oculis, animoque et corpore torpet?
Insani b) sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam,

metu (sidera enim quasi quaedam numina habebantur) quid censes? Quomodo spectandas credis, quo vultu et animo despiciendas res multo illis caelestibus inferiores, verbi gratia, terrae munera et maris, ex quo gemmas, et purpuram colligunt Arabes et Indi (Asiae populi), ludos in circo et theatro edi solitos, plausus, et honores populi Romani suffragiis et favores partos. k) Contraria his, quae dixi, nempe honoribus, plausibus. Qui dedecus, repulsam timet. l) Perturbatur. Qui timet, afficitur eodem modo ac ille qui cupit: pavet uterque, is qui timet, ne eveniant quae timet: is qui cupit, ne non eveniant quae cupit: sic utrobique pavor est molestus; species improvisa, id est, cogitatio, vel eventus non speratus, et praevisus terret tam timidum, quam cupidum: neque interest gaudio, an dolore: cupiditate an metu, aliquis perturbetur etc.

a) Si torpet, si haeret attonitus, si commovetur, quidquid melius aut peius viderit sua expectatione. b) Id est: tantum abest ut rerum infirmarum cupiditate perturbari debeamus, ut ne ipsa quidem virtus nimis optari et perturbate, debeat; insanusque dici homo sapientissimus, et iniquus haberi homo aequissimus possit, nisi moderate, et intra certos limites vir-

I nunc *c*), argentum, et marmor vetus, aeraque et artes *d*)
Suspice: cum gemmis Tyrios mirare colores:
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem *e*):
Gravus *f*) mane forum; et vespertinus pete tectum *g*):
Ne plus frumenti dotalibus *h*) emetat agris
Mucius: indignum *i*), quod sit peioribus *k*) ortus:
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis *l*) illi.
Quidquid *m*) sub terra est, in apricum proferet aetas,
Defodiet, condetque nitentia; cum bene notum
Porticus Agrippae *a*), et via te conspexerit Appi *b*)

tutem colat. *c*) Quod si virtus ipsa nisi moderate et animo a perturbatione vacuo appetenda non est, quid censendum de illis, qui argentum, statuas e veteri marmore, aut aere factas, mirantur, optant etc. *d*) Praestantium artificium opera. *e*) Publice dicentem in concione. *f*) Acor, sedulus. *g*) Domum te tuam recipe. Omnem curam ac studium impende, ne Mucius te opibus antecedat. *h*) Quos in dotem accepit cum uxorem duceret. *i*) Quod indignum sane esset. Graeca locutio qua neutra quaedam participia ponuntur in recto casu pro ablativis absolutis. *k*) Ignobilioribus. *l*) Invidendus. Hunc sine ut mireris, ac suscipias potius quam ille te? Fac ut invideat tibi potius Mutius ut ditiori, quam tu illi ut pauperiori. *m*) Quae latent, in lucem proferentur, quae eminent, erunt obscura. Novum argumentum, quo cupiditates fraenandas docet, a rerum humanarum brevitate, et mutabilitate peritum.

a) Agrippa in primis Augusto gratiosus, Iovi et Diis omnibus insigne templum posuit, quod Pantheon appellavit: ante illud ingentem porticum et aream extruxit, ubi Cives honestissimi spatiabantur. *b*) Appia via, strata lapide, Roma Brun-

Ire tamen restat, Numa quo *c*) devenit et Ancus *d*).
Si latus *e*), aut renes morbo tentantur acuto,
Quaere fugam morbi. Vis recte vivere? Quis non *f*)?
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age *g*) deliciis. Virtutem verba putas *h*), et
Lucum ligna *i*)? Cave ne portus occupet *k*) alter,
Ne Cibyratica *l*), ne Bithyna negotia perdas.
Mille talenta *m*) rotundentur *n*), totidem altera; porro
Tertia succedant, et quae pars *o*) quadret acervum.
Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos
Et genus, et formam regina pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela *p*), Venusque *q*).

dusium usque per Appium caecum, et munita fuit. *c*) Ad tumulum, ad inferos. *d*) Reges Romani. *e*) Cum aegrotas, quaeris morbo remedium: laboras malis cupiditatibus, miser es: quaere virtutem, quae una te beatum faciet. *f*) Subaudi, hoc vult. *g*) Stude virtuti: in hoc totus esto; operi manum admove. *h*) An vero putas virtutem esse in verbis positam? Satis esse ad virtutem, si quis de illa recte, et sancte loquatur? Hoc si putas, omitte sane virtutis studium, et in opes quaerendas incumbe, cave etc. *i*) Virtus non sunt verbo, sicut lucum, id est, sylvam Diis consecratam solae arbores non faciunt, sed addita Religio loco etc. Est enim lucus sylva sacra. *k*) Prior ad portum appellat. *l*) Cibyra est urbs Phrygiae, viginti et amplius civitatum conventu nundinisque celebris: Bithinia est pars Asiae minoris. *m*) Vide Sat. 7. lib. 11. *n*) Coacerventur. Rotunditas perfectionem significat et cumulum: quia figura rotunda est omnium perfectissima. *o*) Et altera quarta pars: unum adhuc mille, ut fiant quatuor millia. *p*) Eloquentiae praeses Dea. *q*) Pulchritudo.

Mancipiis *r*) locuples, eget aeris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu: clamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum scenae *a*) praebere, rogatus;
Qui *b*) possum tot? ait: tamen et quaeram, et quot habebo
Mittam. Post paullo scribit, sibi millia quinque
Esse domi clamydum, partem, vel tolleret *c*) omnes.
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt,
Et dominum fallunt *d*), et prosunt furibus. Ergo
Si res *e*) sola potest facere et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus *f*) omittas.
Si fortunatum species, *g*) et gratia praestat,
Mercemur servum, qui dictet nomina *h*), laevum

r) Non una re tantum esto dives, ut mancipiis abundat rex Cappadocum indigens pecuniae. Sed omnibus rebus fac ut locuples sis, aere, mancipiis etc. Imitare Lucullum, cuius domus tot rebus affluebat, ut earum ipse numerum ignoraret. Cappadocia, minoris Asiae regio: unde multa mancipia Romam deportari solita. Lucullus vixit aevo Ciceronis, a quo laudatur pluribus in Orat. pro leg. Manil.

a) Commodare ad exhibendam aliquam in scena comoediam. Scena vox Graeca est, significat umbraculum, tentorium, quia olim theatrorum ornamenta erant mera, e sylvarum frondibus, umbracula. *b*) Quomodo possum tot mydes praebere? Tot habere me non puto. *c*) Acciperet is, qui comoediam edebat. *d*) Latent, ignorantur. *e*) Pecunia. *f*) In hoc colligendarum opum primus esto. *g*) Forma, dignitates. *h*) Solebant Romani ad captandam populi gratiam et suffragia, obvium quemque suo nomine comiter appellare: in eam rem mercabantur servos, qui omnium fere tenerent nomina, et ea cum opus esset suggererent dominis: illi servi, Nomenclato-

Qui fodiat latus *i*) et cogat trans pondera *k*) dextram
Porrigere *l*). Hic *m*) multum in Fabia *n*) valet, ille Velina,
Cuilibet hic fasces *c*) dabit, eripi atque curule *p*).
Cui volet importunus ebur *a*): frater, pater adde.
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus *b*) adopta *c*)
Si bene, qui coenat, bene vivit: lucet *d*); eamus
Quo ducit gula: piscemur, venemur: ut olim
Gargilius *e*) qui mane plagas *f*), venabula, servos,
Differtum *g*) transire forum, populumque iubebat,

res dicebantur. *i*) Admoneat tacto leviter latere sinistro, quod tegebat Nomenclator. Servi enim et comites a laeva parte ibant, utpote minus bonorata: fodere latus est latina locutio, pro monere, incusso, eius qui monetur, lateri leviter, ut fit, cubito. *k*) Trans rhedas, supra plaustra oneribus, et saxis onusta. *l*) Ut solent, qui salutant, blandiuntur. *m*) Verba sunt Nomenclatoris dominum admonentis, ut aliquem salutet quia multum auctoritatis habet in tribu Fabia, aut Velina. *n*) Populus Romanus in tribus seu partes 35. divisus fuit. Earum una dicta est Fabia a Fabiis, nobilis familia: alia Velina, a lacu Velino, seu Velia urbe Italiae. *o*) Consulatum aut Praeturam. Consulibus lictor praeferebat fasces 12, Praetoribus 6 fasces. Porro iste erat virgarum fasciculus, mediam et extantem cuspide securim obvolvens: virgis leviora facinora puniebantur, securi, graviora. *p*) Magistratus maiores. Illis enim ius erat sellam gestandi eburneam in suo curru, in eaque considendi cum senatus babebatur.

a) Homo acer, actuosus, pertinax, qui non ante conquiescet, quam candidatum sibi invisum honore sperato deiecerit. *b*) Comiter, lepide. *c*) Vocando filium, fratrem; qui alienus forte, ignotusque sit. *d*) Dies est: eamus summo mane. *e*) Ostentator nescio quis et nepos. *f*) Sunt retia densiora, venabula, tela venatoria, hastilia. *g*) Plenum ho-

Unus ut e multis *h*) populo spectante referret
Emptum mulus aprum : crudi *i*), tumidique lavemur *k*),
Quid deceat *l*), quid non, obliti : Caerite cera *m*)
Digni, remigium *n*) vitiosum Ithacensis Ulyssei *o*),
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus *p*) uti censet, sine amore iocisque
Nil est iucundum, vivas in amore, iocisque.
Vive, vale : si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti *q*); si non *r*), his utere mecum *s*),

minibus. *h*) Novenando captum : vel unus mulus e multis vacuis, *i*) Nondum digesto cibo. *k*) In balneo. *l*) Honestum sit. *m*) Digni qui notemur ignominia, ut illi qui Caeritum in tabulas referuntur. Caere sive Caerete, olim Agylla, urbs Etruriae fuit, cuius incolae ob Vestales virgines in bello Gallico benigne receptas, ius Romanae civitatis erant adepti : sed cum a Romanis postea defecissent ; ea mulctati fuere poena, ut suffragii ferandi iure privarentur. Hinc factum est postea, ut Caeritum cera pro nota ignominiae usurpata fuerit ; et qui e tribu movebantur, qui et privabantur iure suffragii etc., in Caeritum tabulas referri dicerentur. Porro cera, in hoc proverbio significat tabellam ligneam cera obducta, in qua scribebantur illi, qui privabantur v. g. suffragio etc. *n*) Sumus remigium, id est, similes sumus remigibus Ulyssis, et sociis qui foedam et vetitam voluptatem praetulerunt patriae : et apud Circen manere eius blanditiis capti, et praestigiis, quam domum repetere maluerunt. *o*) A recto casu Ulysseus. Vide sup. Ep. 2. et Sat. 5. lib. 2. *p*) Poeta Graecus sexcentis admodum annis ante Horatium scripserat secta et moribus Epicureus. *q*) Participem me fac, communica. *r*) Si nihil habes melius. *s*) Sapientiae praeceptis.

EPISTOLA VII. *Excusat se Moecenati quod ab Urbe tamdiu absit : eius in se beneficia, et liberalitatem commendat.*

QUinque dies tibi pollicitus me rure *a*) futurum,
Sextilem *b*) totum mendax desideror : atqui
Si me vivere vis sanam, recteque valentem
Quam *c*) mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Moecenas, veniam: dum ficus *d*) prima, calorque
Designatorem *e*) decorat lictoribus *f*) atris :
Dum pueris omnis pater, et matercula pallet *g*),
Officiosaque sedulitas *h*), et opella forensis
Adducit febres, et testamenta resignat *i*).
Quod si *k*) bruma nives Albanis illinet agris,

a) In mea villa. *b*) Absum per totum mensem Augustum : dictus est sextilis : quia sextus erat a mense Martio, a quo annum Romani ducebant : postea in Augusti honorem, Augustus est appellatus. *c*) Verum dabis mihi hanc veniam et facultatem rusticandi nunc, cum aegrotare timeo, quam concedis. Cum aeger sum. *d*) Aestatis calor ingravescens, quo ficus primum maturescunt. *e*) Dum caloris et caeli gravitas multos e medio tollit, quorum funera per designatores, et eorum ministros curantur. Est autem designator, is qui funebrem pompam designat, id est ordinat, componit. *f*) Vespilionibus, pollinctoribus, praeficis, quos omnes facete vocat lictores designatoris, tamquam alicuius publici magistratus. *g*) Metuit, de illorum valetudine trepidat. *h*) Diligentia in praestandis amicitiae officiis v. g. in amicis visendis, procurandis eorum negotiis, opera in foro navanda etc. *i*) Aperit : quod fit morte obita. *k*) Imo, ubi hyems advenerit nondum tamen redibo Romam, sed in aliquam civitatem maritimam, ubi erit aer temperatior et benignior me recipiam : ego vates tibi deditus hi labori parcius incumbens, fugiam ea quae valetudinem debilitare possunt, ut qui navigant et procellam timent, contractis velis legunt littus. Non-

Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet,
Contractusque leget: te dulcis amice reviset
Cum Zephyris *l*), si concedes, et hirundine prima.
Non, quo *m*) more pyris vesci Calaber iubet hospes,
Tu me fecisti locupletem: vescere sodes:
Iam satis est: at ut quantum vis tolle: benigne:
Non invisa feres pueris munuscula parvis:
Tam teneor dono, quam si dimittar onustus,
Ut libet, haec porcis hodie comedenda relinques:
Prodigus, et stultus donat, quae spernit, et odit.
Haec seges ingratos tulit, et feret omnibus annis.

nulli sic explicant illas voces, *contractus leget*, multa veste contra frigoris vim coopertus, et collectus in sese, lectioni tantum operam dabit. *l*) Vere primo. *m*) Si ego hunc in modum consulam valetudini, spero me id factum te permittente ac volente: nihil enim meae libertati detractum, opinor voluisti, quamvis maximis me beneficiis ornaveris, neque ita fueris in me liberalis, ut hospes aliquis rusticus, in Calabria (extrema pars Italiae ad meridiem) liberalis esse solet in hospitem suum, cui fructus et pyra offert. Sume, inquit, amabo te, haec pyra, his vescere. Iam sumpsi, respondet alter, satis est urget hospes, tolle, abde in peram quot volueris. Bene est, amo te de ista benignitate et liberalitate tua, nihil est opus. Si tibi opus non est, reponit Calaber, at pueris tuis illa dabis: tam gratum est donum quod offers, quam si pyris onustus abirem. Facies quod libebit: sed ea pyra si non sumis, porcis dabuntur. Sic prodigi et insani donant ea quae spernunt. Haec inconsulta liberalitas, ut seges male sata, id est, ut ager mala semente consitus, ingratos plurimus hactenus effecit ac in posterum efficiet: Stulta enim et inconsulta liberalitas gratiam non meretur.

Vir bonus *a*), et sapiens dignis ait esse paratum *b*),
Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis *c*).
Dignum praestabo me etiam pro laude *a*) merentis.
Quod si me noles usquam discedere, reddes *b*)
Forte latus, nigros angusta fronte capillos,
Reddes dulce loqui: reddes ridere *c*) decorum.
Forte per angustam tenuis vulpecula rimam

a) Viri probi ac sapientes aliter se gerunt: aiunt illi paratum esse dignis, id est se liberales fore tantum in eos qui sua sint liberalitate digni, nec temere omnia profundunt in quoslibet, magnum inter munera discrimen ponunt, norunt quid minuta et vilia distent a magnis ut a lupinis aera; talis es, o Moecenas talem te erga me praestitisti; ego quoque adnitar ut praestem me dignum laude promerentis, id est, ut videar tua munera esse promeritus, ut digno data esse et merenti videantur. At non id mihi tamen imponam oneris, ut semper tecum Romae sim; a te numquam discedam, non est enim eadem aetas mihi, et valetudo, quae olim erat. Quod si nolis me a te recedere, nisi reddam tibi omnia quibus me ditasti, more ac modo Aesopicae vulpeculae; ego vero paratus sum tibi omnia restituere, neque illa otio et libertati antepono: adde quod Romae amplitudinem et lucem aulae, tenuitati meae ac obscuritati parum convenire intelligam. Haec sententia partium totius Epistolae, hic illarum inter se nexus est. *b*) Impersonale verbum est. Si quid est apud se, id paratum et promptum esse dignis ait: illis a se ultro datum iri profitetur. *c*) Lupinus est genus leguminis, cuius folia nummis aureis similia sunt, et quibus actores comici utebantur in Scena pro vera pecunia, et aere, seu auro.

a) Est Tmesis seu divisio vocis unius in duas: *laude promerentis*. Faciam ut a te lauder tamquam tua beneficia promerens. *b*) Reddere mihi deberes annos iuveniles. *c*) Risus et iocos decentes: aetati convenientes, infinitivus *ridere* sumi-

Repserat in cumeram *d)* frumenti, pastaque *e)* rursus
Ire foras *f)* pleno tendebat corpore frustra *g)*.
Cui mustela *h)* procul: si vis, ait, effugere istinc,
Macra cavum *i)* repetes arcum, quem macra subisti.
Hac ego *k)* si compellor *l)* imagine, cuncta resigno
Nec somnum *m)* plebis laudo satur altilium *n)*, nec
Otia divitiis Arabum *o)* liberrima muto.
Saepe verecundum *p)* laudasti: Rexque, Paterque
Audisti *q)* coram *r)*, nec verbo *s)* parcius absens:
Inspice, si possum donata reponere laetus.

tur Graeco more pro substantivo, risus. *d)* Vas vimineum. *e)* Frumento saturata. *f)* E vase exire. *g)* Quia os cumerae angustum erat, ipsa satura, et distenta. *h)* Animal muri simile, oblongum, colore livido. *i)* Locum angustum, cavernulam tuam, unde in cumeram prorepsisti. *k)* Si ego ad istum modum, instar istius vulpeculae cogar reddere dona quibus a te velut expletus sum, restituam omnia. *l)* Malim, compellor, id est, admoneor: si haec similitudo et fabula confertur in me, malo pauper et liber esse, quam dives et servus. De hac voce, *resigno*, vide Oden penultimam lib. 3. *m)* Nec laudo beatam hominum infirmorum tranquillitatem, et securitatem, postquam dives ac plenus sum; sed vere atque ex animo; idem putaturus si pauper essem. *n)* Altilia sunt ea quae domi saginantur, et diligentius aluntur, pisces, aves, ferae. *o)* Arabes ditissimi credebantur ob latrociniis et longam pacem. *p)* Modestum in petendo, paucis contentum. *q)* A me appellatus es, Rex; propter liberalitatem et munificentiam; Pater, propter benevolentiam. *r)* Praesens. *s)* Non parcius de te verba feci absens, non alium te absentem appellavi, quam

Haud male Telemachus *t*) proles patientis Ulyssei ;
Non est aptus equis Ithacae *a*) locus , ut neque planis
Porrectus spatiis , nec multae prodigus herbae,
Atride *b*): magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent. Mihi iam non regia Roma ,
Sed vacuum Tibur *c*) placet , aut imbelle Tarentum *d*).
Strenuus , et fortis , causisque Philippus *e*) agendis
Clarus , ab officiis *f*) octavam *g*) circiter horam
Dum redit , atque foro nimium distare carinas *h*)
Iam grandis natu queritur ; conspexit , ut aiunt ,
Adrasum *i*) quemdam vacua tonsoris in umbra *k*)
Cultello proprios purgantem leniter ungues.

praesentem. *t*) Filius fuit Ulyssis : adierat Menelaum resciturus quid de patre suo factum esset . quid domum longo , post expugnatam Troiam , tempore , non redibat : et Menelaus praeter cetera munera , equos dono dabat : recusavit Telemachus cum diceret, Ithacam equis alendis non esse idoneam. Sic Horatius beneficiis , et liberalitate Moecenatis carere non potest , pro sua tenuitate , at libertate carere non vult nec potest.

a) Sat. 5. l. 2. *b*) Menelae fili Atrei. *c*) Sat. 1. Od. 16. l. 2. Od. 6. *d*) Urbs Italiae , otio et deliciis affluens, in sinu cognomini , e regione Brundusii. *e*) Orator nobilis , Crasso et Antonio eloquentia proximus , consularis et censorius , de quo Cic. lib. 2 Off. et Quintil. *f*) Forensibus nimirum. *g*) Secundam post meridiem. Diem enim in 12. horas semper dividebant , et sexta in meridiem semper incidebant. *h*) Carinae vicus Romae quidam erat , sic dictus a navium carinis, id est , fundo et infima parte , quia singulae domus ad carinarum similitudinem erant aedificatae. *i*) Leviter tonsum. *k*) Pergu-

Demetri puer *l*) hic non laeve *m*) iussa Philippi
Accipiebat, abi, quaere, et refer, unde domo *n*), quis,
Cuius fortunae *o*), quo si patre, quove patrono *p*)
It, redit, et narrat, Vulteium nomine Menam,
Praeconem *q*), tenui censu *r*), sine crimine notum,
Et properare loco *s*), et cessare *t*), et quaerere *u*), et uti
Gaudentem parvisque sodalibus, et Lare *x*) certo,
Et ludis, et, post decisa *y*) negotia, campo *z*).
Scitari liber ex ipso quodcumque refers, dic
Ad coenam veniat. Non sane credere *a*) Mena
Mirari secum tacitus: quid multa? Benigne *b*)
Respondet. Negat ille mihi *c*)? Negat *d*) improbus, et te
Negligit, aut horret *e*). Vulteium mane Philippus

la, officina. Vacuam vocat, vel quia solus ibi Menas erat, vel, quia solent huc homines vacui et otiosi convenire. *l*) Servus. *m*) Non inepte, sedulo. *n*) Quanam et domo et familia sit. *o*) Pauper, an dives. *p*) Patroni dicebantur viri nobiles quorum in clientelam et fidem se conferebant tenuiores cives. *q*) Epod. Od. 4. Sat. 6. l. 1. *r*) Opibus, re familiari. *s*) Movere se huc et illuc: ultro citroque commeare. *t*) Requiescere, feriari. *u*) Rem, nummos, et illis uti. *x*) Domo. Non vagum et erronem, sed civem esse. *y*) Confecta. *z*) Nempe Martio, in quo spatiabatur et exercebatur.

a) Subaudi poterat, nempe se ad coenam vocatum. *b*) Habeo gratiam, excusatum habe me, quaeso, respondet ille. Hac voce, ut et ista, *Recte*, utebantur cum denegare quid honeste vellent, ac deprecari. c) Inquit Philippus. *d*) Ver-

Vilia vendentem tunicato *f*) scruta *g*) popello
Occupat *h*), et salvere iubet prior: ille Philippo
Excusare laborem, et mercenaria vincla *i*),
Quod non mane domum venisset: denique quod non
Providisset eum *k*): sic ignovisse putato
Me tibi, si coenas hodie mecum. Ut libet *l*). Ergo
Post nonam *m*) venies: nunc: rem strenuus auge.
Ut ventum ad coenam est; dicenda *n*), tacenda loquutus
Tandem dormitum dimittitur *o*): hic *p*) ubi saepe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum *q*),
Mane cliens *r*), etiam certus *s*) conviva; iubetur
Rure *t*) suburbano indictis comes ire Latinis *u*).

ba Demetrii. *e*) Reformidat, rustico pudore. *f*) Infima plebe notatur; haec fere tunicata incedebat: sine toga enim, quas instar pallii nostri erat, imponebaturque tunicae, honestiorem aliquem in publicum prodire, probrosum erat. *g*) Viles merces, detrita ferramenta, frivula. *h*) Antevertit, praevenit. *i*) Occupationes. *k*) Prior salutasset. *l*) Respondet Mena: adero si quidem tibi libet. *m*) Tertiam a meridie. *n*) Quidquid in buccam venerat, fanda et nefanda. *o*) Domum suam, ut crapulam edormiret. *p*) Iam vero. *q*) Ad coenam, qua tu piscis hamo, ducebatur et inescabatur. *r*) Salutator, ut clientes solent. *s*) Quotidianus, assiduus. *t*) Villa Philippi. *u*) Subaudi feriis. Erant autem feriae Latinae, festa quaedam toti Latio communia, et Iovi Latiali dicata, qui in Albano monte colebatur: indicebantur autem a Romano Consule quotannis, hoc est denunciabantur et

Impositus mannis *x*), arvum, caelumque *y*)
Sabinum.
Non cessat laudare: videt, ridetque Philippus:
Et, sibi dum requiem, dum risus undique
quaerit;
Dum septem donat sestertia *z*), mutua *aa*)
septem
Promittit: persuadet uti mercetur agellum:
Mercatur, ne te longis ambagibus, ultra
Quam satis est; morer, ex nitido *a*) fit rusticus, atque
Sulcos, et vineta crepat *b*) mera *c*), praeparat ulmos.
Immoritur studiis *d*), et amore senescit *e*)
habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
Spem mentita *f*) seges, bos est enectus arando;
Offensus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratusque Philippi tendit ad aedes
Quem simul *g*) aspexit scabrum *h*) intonsumque Philippus.
Durus, ait, Vultei, nimis attentusque *i*)
videris
Esse mihi: pol *k*), me miserum, patrone,
vocares

imperabantur. *x*) Equis pusillis. *y*) Aerem, temperiem caeli. *z*) Nummos Francicos seu libras 700. scutatos Roman. 175. *aa*) Se mutuo daturum, ab ipso reddenda Vulteio postea.

a) Urbano, adraso, tonso, qualis antea erat. *b*) Loquitur, laudat. *c*) Sola. *d*) Agriculturae. *e*) Contabescit, cruciatur. *f*) Delusit, minus attulit, quam sperabat. *g*) Postquam. *h*) Impexum, horridum. *i*) Ad rem: avarus:

Si velles, inquit, verum mihi dicere nomen
Quod te per *t*) Genium *m*), dextramque Deosque Penates
Obsecro, et obtestor, vitae me redde priori.
Qui *n*) simul aspexit, quantum dimissa *o*) petitis *p*)
Praestent *q*): mature redeat, repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo, ac pede, verum *r*) est.

EPISTOLA VIII. *Scribit se minus animo, quam corpore, valere; monet amicum, ut secundam fortunam modeste ferat.*

CElso *s*) gaudere, et bene rem gerere Albinovano
Musa rogata refer, comiti *t*), scribaeque Neronis.
Si quaeret, quid agam; dic multa et pulchra minantem *u*),
Vivere, nec recte, nec suaviter. Haud quia grando

lucri cupidus. *k*) Per Pollucem. *l*) Quapropter te: ob quod te etc. *m*) Erat Genius Deus quidam singulorum hominum custos etc. *n*) Philippus, ubi vidit, etc. *o*) Urbana vita mercenaria negotia. *p*) Vita Rustica. *q*) Quanto potior esset conditio praeconis, quem laboriosa agricolae vita, volo, inquit, repetat primum vitae genus, cui est aptior. *r*) Aequum est, decet. Porro similem se illi Menae libenter fore inquit Horatius, seque ait malle priori vitae, libertati, et aegestati restitui, quam libertatis iacturum facere. *s*) Ordo est. O Musa a me rogata ut Celsum convenias, refer illi et iube illum gaudere ac bene rem gerere. Verbis istis utebantur maxime Graeci, epistolarum initio. *t*) Comites appellabantur, qui magistratus aut viros principes honoris causa vel necessitatis ergo, sectabantur in provincias, e quibus eorum aula quaedam et familia constabat. *u*) Promittentem, animo designantem.

Contuderit *a*) vites, oleamque momorderit aestus;
Nec quia longinquis armentum aegrotet in arvis:
Sed quia mente minus validus, quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum:
Fidis offendar *b*) medicis, irascar amicis,
Cur *c*) me funesto properent arcere veterno
Quae nocuere, sequar; fugiam, quae profore *d*) credam;
Romae Tibur *e*) amem ventosus *f*); Tibure Romam.
Post haec, ut valeat, quo pacto rem *g*) gerat, et se,
Ut placeat iuveni *h*), percunctare utque, cohorti *i*).
Si dicet, recte: primum gaudere *k*), subinde
Praeceptum auriculis hoc instillare *l*) memento,
Ut tu *m*) fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

a) Verberaverit, comminuerit. *b*) Succenseam. *c*) Quod a me arcere curent veternum: est languor quidam, dormiendi necessitatem afferens; lethargus. *d*) Profutura esse. *e*) Oppidum Sabinorum in Italia, de quo vide Oden 6. lib. 2. *f*) Inconstans, levis. *g*) Domesticam et familiarem; suum munus. *h*) Tiberio Neroni, quem ab Augusto missum in Armeniam ut illi notioni Tigranem Regem praeficeret circa annum ab U. C. 734. Celsum est comitatus, eique pro Scriba datus. *i*) Amicorum et comitum Neronis gregi. *k*) Subaudi, te significabis, et me. *l*) Celso in aurem dicere. *m*) Ut tu eris moderatus in ferenda fortuna, sic ero constans in amicitia tua fovenda, te neglecturus, si me pro-

EPISTOLA IX. *Septimium commendat Tiberio, utque illum in suorum numero habere velit, rogat.*

Septimius, Claudi *n*), nimirum intelligit unus,
Quanti me facias: nam cum rogat, et prece cogit
Scilicet, ut tibi se laudare, et tradere conar,
Dignum mente, domoque legentis honesta Neronis,
Munere cum fungi propioris censet amici;
Quid possim videt, ac novit me valdius *a*) ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus *b*) abirem:
Sed timui, mea ne *c*) finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriae *d*), mihi commodus *e*) uni.
Sic ego maioris fugiens opprobria culpae *f*),
Frontis *g*) ad urbanae descendi praemia.
Quod si

pter superbiam, et opes negligas. *n*) O Claudi Tiberi Nero, lepide mecum agit Septimius, et solus eximie videtur intelligere quanto sim apud te in loco, et pretio: cum enim me rogat, aut potius cogit suis precibus, ut se tibi commendem, tamquam dignum qui admittatur in amicitiam et familiam tuam, qui nullos nisi honestos probosque deligis, cum me unum e tuis propioribus amicis esse credit: sane intelligit liquidius, quam ego ipse, quid apud te possim: non enim hunc mihi apud te locum et numerum arrogare ausim.

a) Ad adverbio valde, id est, magis, certius. *b*) Cur me haberet excusatum, ut scribere me non cogeret, ne tibi molestus essem. *c*) Ne crederer fingere, ac persuadere illi velle, meam apud te gratiam minorem esse, quam sit. *d*) Facultatis, potestatis hoc a te impetrandi. *e*) Serviens meis rebus, et commodis, amicos negligens. *f*) Dissimulationis et propriae utilitatis consectandae. *g*) Factus sum in-

Depositum *h*) laudas, ob amici iussa, pudorem,
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede *i*), bonumque.

EPISTOLA X. *Urbanae vitae, et ambitiosae incommoda; commoda tenuis, ac rusticanae, describit.*

URbis amatorem Fuscum salvere iubemus
Ruris amatores *k*); hac in re scilicet una
Multum dissimiles, ad cetera pene gemelli *l*)
Fraternis animis, quidquid negat alter, et alter *m*)
Annuimus *n*) pariter vetuli, notique columbi.
Tu nidum *o*) servas: ego laudo ruris amoeni
Rivos, et musco circumlita *p*) saxa, nemusque.
Quid quaeris *q*)? Vivo, et regno *r*), simul *s*) ista *t*) reliqui
Quae vos ad caelum effertis, rumore *u*) secundo.

verecundior, et audacior. Urbani homines solent oris esse perfrictioris, quam rustici: et hoc urbanae vitae consuetudinisque quasi praemium videtur esse: vel descendi ad urbanam audaciam, ut eius praemium et fructum caperem, commendando tibi amicum. *h*) Si meam in scribendo inverecundiam, non improbas. *i*) Omnibus, quae probum virum ac strenuum decent dotibus praeditum. *k*) Nos. *l*) Prope tamquam gemelli fratres in ceteris rebus idem nolumus, idem volumus. *m*) Subaudi, negat. *n*) Assentimur, probamus idem pariter, ut columbi vetuli, qui norunt inter se. *o*) Romam, quam sic amas ut columbus nidum. *p*) Obducta. *q*) Quid plura? *r*) Pulchrum me ac beatum puto: vivere me vitam Regum puto. *s*) Statim atque. *t*) Urbem, pompam, opes etc. *u*) Faustis acclamationibus: magno

Utque *x*) sacerdotis fugitivus, liba recuso:
Pane egeo iam mellitis potiore placentis.
Vivere *a*) naturae si convenienter oportet,
Ponendaeque domo quaerenda est area *b*) primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi *c*) plus tepeant hyemes? Ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis *d*): et momenta *e*) Leonis,
Cum semel accepit *f*) Solem furibundus acutum?
Est ubi divellat *g*) somnos minus invida cura?
Deterius *h*) Lybicis olet, aut nitet herba lapillis *i*)?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,

plausu. De voce *Secundus* vide Oden 12. libri 4. — *x*) Utque servus nequam in sacerdotis domo nutritus, qui liba et placentas, dulciaria crustula Diis oblata, edere consuevit, iis saturatus, panem optat, sic ego urbem fastidiens rus amo, ubi operam do Philosophiae, qui verus animi panis.

a) Si vita illa beata est, quae est naturae humanae conveniens, nonne rusticana vita est naturae convenientior? *b*) Locus patens in quo domus struitur. Porro *domo* est in dandi casu; dicitur enim *domus*, *domi*, *domo*, ut *domus*, *domus*, *domui*. *c*) Estne locus ubi sit hyems magis tepida et temperata? *d*) Sydus est caeleste maximos calores efferens. *e*) Horas aestivas, calidissima tempora. *f*) Tamquam domi suae. Signa 12 Zodiaci dicuntur esse domus Solis. Leonem vero Sol ingreditur nunc extremo Junio: at olim, id est, ante annos mille, Iulio. *g*) Abrumpat. Ubi curae somnum minus interturbent: appellatur cura invida, quia tranquillitatem animi ac somnum videtur hominibus invidere. *h*) An ruri herba deterioris est coloris vel odoris, quam gemmae, et marmora Africana? Num aqua plumbeis canalibus, quos tendit rumpere, et quibus saepe ruptis effugit, in urbe conclusa, prior et liquidior est ea, quae per declivem locum rivo trepidante fluit? *i*) E secto in minimas particulas marmore pavimenta

Quam, quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe k) inter varias nutritur sylva columnas,
Laudaturque domus, longos quae prospicit agros.
Naturam l) expellas furca, m) tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
Non a) qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiusve medullis,
Quam, qui non poterit ver distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundae,

sternebant, ac variabant. *k*) Documento est naturam iure delectari, quod vel in ipsa urbe rus amamus, et inter porticus fultas columnis factis e vario, id est, versicolore marmore, seruntur arbores, sylva nutritur. *l*) Etsi coneris extinguere communes et genuinos illos, quos indidit nobis natura, sensus, eosque ex animo per vim, et quasi impacta furca expellas, tamen semper redibunt, et superabunt mala fastidia: id est, quamvis simplicitatem illam rusticam divites et urbani fastidiant spernantque, furtim tamen et tacite amabunt rus, duce natura, vel ipsa urbe. *m*) Proverbii genus: aliquem furca, furcillis expellere, id est, per vim, et in humeros praecipitem dare.

a) Ordo est: qui mercator nescit contendere callidus, id est, comparare prudenter, vellera quae inficiuntur et tinguntur Aquini, in urbe Italiae, ostro Sidonio, id est, cum iis velleribus, lanis et pannis, qui tinguntur Sidone in urbe Phoeniciae, ubi ostrum seu purpura longe praestat Italo, et adulterino ostro et fuco potius; ille, inquam, qui nescit utraque illa vellera conferre et internoscere, non accipiet damnum gravius, et quod ipsum propius tangat ac urat magis, quam qui verum a falso internoscere non poterit. Videtur iam urbanae vitae incommoda, aut Aristii vitia insectari: quorum primum est, veri inscitia; alterum inaequalitas fortunae prosperae, vel adversae; tertium, avaritia, servitus

Mutatae *b*) quatient *c*). Si quid mirabere *d*), pones *e*)
Invitus. Fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges, et regum, vita *f*) praecurrere amicos,
Cervus equum pugna melior *g*), communibus herbis *h*)
Pellebat, donec minor *i*) in certamine longo,
Imploravit opes *k*) hominis, fraenumque *l*) recepit:
Sed postquam victor *m*) violens *u*) discessit ab hoste *o*):
Non equitem dorso, non fraenum depulit ore.
Sic, qui pauperiem veritus, potiore metallis *p*)
Libertate caret, dominum *q*) vehet improbus, atque
Serviet aeternum, quia parvo nescit uti *r*)
Cui non *s*) conveniet sua res, ut calceus olim *t*),
Si pede maior erit, subvertet *n*); si minor, uret *x*).
Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi,
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere *a*) quam satis est ac non cessare videbor.

etc. *b*) In adversas afflictae, et perditae. *c*) Perturbabunt. *d*) Cupies, magni aestimabis. *e*) Relinques, depones. *f*) Felicitate vitae anteire, vincere. *g*) Superior. *h*) Prato, ubi communiter ante pascebantur. *i*) Equus inferiorem se in diuturno certamine sentiens. *k*) Auxilium. *l*) Quod illi homo insidens eius tergo, ori indidit. *m*) Equus. *n*) Violentus et impotens: superbus ob relatam victoriam. *o*) Cervo. *p*) Auro et argento. *q*) Avaritiam, tamquam sessorem molestum, aegre feret. *r*) Contentus esse. *s*) Cui opes suae non congruent, id est, erunt vel ampliores iusto, vel angustiores. *t*) Aliquando, ut plurimum. *u*) Pede inverso deiciet hominem. *x*) Cruciabit, oblaedet.

Imperat, aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum *b)* digna sequi potius quam ducere funem.
Haec tibi dictabam *c)* post fanum putre *d)* Vacunae *e)*,
Excepto *f)* quod non simul esses, cetera laetus.

EPISTOLA XI. *Bullatium in Asiam profectum monet ad vitam beatam parum interesse, quo quisque loco habitet.*

QUid tibi *g)* visa Chios *h)*, Bullati, notaque Lesbos?
Quid concinia Samos *i)*? Quid Croesi regia Sardis *k)*?
Smyrna *l)* quid, et Colophon? Maiora *m)* minorane fama?

a) Colligere. *b)* Ludi genus quoddam apud Romanos erat, in quo unus restim ductans praeibat ceteris eumdem funem tenentibus, et sequentibus. Sensus est: digna est pecunia, quae positus sequatur ac serviat, quam praecat, imperetque. *c)* Puero ad te mittenda. *d)* Vetustum, vitiosum. *e)* Dea quaedam erat, apud Sabinos culta, maxime ab otiosis rusticis et operum vacuis. Victoriam eam fuisse quidam putant, quod eius beneficio vacamus curis, et otio indulgemus. *f)* Laetus plane, hoc uno excepto, quod mecum non eras: ita ut praesentia tua mihi deesset una ad cumulatam laetitiam. *g)* Bullatius Horatii amicus in Asiam et Graeciam, peregre profectus erat, ad eum scribit Horatius, et interrogat quid de variis Graeciae urbibus, et insulis sentiat, simulque monet Romam redeat, unde molestiae alicuius vitandae, et levandi taedii causa discessisset. *h)* Insula lib. 3. Od. 14. Lesbos insula in mari Aegeo, *nota*, id est nobilis, celebris. *i)* Insula et urbs prope Chium, Iunoni sacra: concinna dicitur propter elegantiam aedificiorum. *k)* Urbs Lydiae primaria, in qua Rex Croesus degebat. *l)* Urbs Ioniae, itam Colophon: in Asia minori ambae. *m)* An illae Urbes et Insulae ampliores deterioresve sunt, quam eas esse fama vulgo iactat? An eas esse

Cunctane prae campo, et Tiberino flumine sordent?
An venit in votum *n*) Attalicis *o*) ex urbibus una;
An Lebedum *p*) laudas, odio maris atque viarum?
Scis, *a*) Lebedus quam sit Gabiis *b*) desertior, atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem,
Oblitusque meorum *c*), obliviscendus et illis,
Neptunum procul e terra spectare furentem.
Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque

contemnendas censes prae campo Martio, et Tiberi? *n*) A te optatur, Romae praefertur. *o*) Ex iis quas Attalus, Pergami Rex in Asia minori, obtinuit. De Rege Attalo vide Od. 1. 1. 1. et 15. 1. 2. Eius Regia urbs erat Tralles. *p*) Est Lebedus Ioniae civitas maritima, et in frequens: ibi forte Bullatius aeger ac longa peregrinatione defatigatus substiterat.

a) Potest hoc ita exponi: Scis Lebedum esse vicum desertum, neque ego recusem illic vivere: non tamen auctor tibi sim, ut in hoc oppidulo, aut alia urbe etiam amoenissima consistas taedii vitandi causa; parum enim hoc te iuvabit etc. Vel ita ut ea dicantur a Bullatio in hanc sententiam. O Horati, nosti quam tenuis sit vicus Lebedus; tamen illic solus manere malim, quam redire. Respondes Horatius: Quamvis molestiae multum et periculi adieris in itinere, consultius tamen feceris, Romam si redeas, neque Lebedi consistas. Sic viator, qui Romam ex urbe Capua petit, licet aspersus sit imbre ac luto, et in caupona perpetuo vivere, sed ea relicta Romam ire perget, qui molesto frigore laboravit, et furno se balneisque calefecit, non consistit in balneis, quasi hoc satis esset ad felicitatem: sic tu quamvis naufragium in Aegeo mari feceris, non tamen debes vendere tuam navim trans mare, et Lebedi manere, quasi felix ibi futurus; aut in alia aliqua insula et urbe vicina, nam Rhodus, Mitylene etc. non magis conferunt ad beatam vitam, quam ignis luculentus aestate, qui tunc nihil iuvat, quam crassa et villosa vestis solstitio, quae tunc est incommoda. Legitur in antiquis libris: *Scis Lebedus quid sit?* Quasi loqueretur Bullatius. Tum responderet Horatius: *Est Gabiis desertior vicus*. Mox Bullatius porgeret *tamen* etc. Denique Horatius, *sed neque etc.* *b*) Gabii Volscorum, Fidenae Latinorum vicus. *c*) Propinquorum, affinium.

Aspersus, volet in caupona vivere; nec, qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Ut fortunatam plene praestantia vitam.
Nec si te validus iactaverit Auster in alto,
Idcirco navem trans Aegeum mare vendas.
Incolumi Rhodos *d*) et Mitylene *e*) pulchra facit, quod
Penula *f*) solstitio *g*), campestre *h*), nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, *a*) sextili *b*) mense caminus,
Dum licet, et vultum servat fortuna benignum,
Romae laudetur Samos, et Chios, et Rhodos absens,
Tu, quamcumque Deus tibi fortunaverit *c*) horam
Grate sume manu, nec dulcia differ in annum:
Ut quocumque loco fueris, vixisse libenter,
Te dicas: Nam si ratio, et prudentia curas
Non locus, effusi late maris arbiter *d*), aufert;

d) Insula in Mari Carpathio, e regione Ciliciae, ad meridiem Asiae minoris. *e*) Urbs primaria Lesbi. *f*) Mensibus Iunio et Iulio quibus Sol stare, et ad signa australia nisi lente, redire non videtur. Hic solstitium aestivum intelligitur: est enim etiam hibernum. *g*) Vestis villosa, contra imbres. *h*) Vestis rara, et levis; subligaculum: illa utebantur, cum exercebant corpus in campo Martio: hinc vesti nomen.

a) Natatio in Tiberi, qui Romam praeterfluit. *b*) Augusto: qui a Caesare Augusto ita dictus est., cum antea sextilis vocaretur, quia sextus est a Martio a quo annus olim inchoabatur. c) Fortunatam dederit. *d*) Aliqua insula, aut urbs in maritimo littore, quae mare late effusum, quasi pro imperio, et arbitrio arcet, fraenatque. Est autem sententia: si curas adimere nobis sola prudentia potest et ratio, non locus; qui trans mare fugiunt, ut curas quasi fugiant, falluntur, et quamvis coelum mutent, animum tamen curis perinde vexatum

Caelum *e)* non animum mutant, qui trans mare currunt,
Strenua *f)* nos exercet inertia, navibus atque *g)*
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis *h)* hic est *i)*,
Est Ulubris *k)*, animus, si te non deficit aequus *l)*.

EPISTOLA XII. *Iccium monet, ut suo contentus sit: ejus frugalitatem ac philosophiae studium laudat: rogat ut Grosphum in amicis numeret: denique de Romanis rebus, quae tunc gerantur, eum obiter certiorem facit.*

FRuctibus *m)* Agrippae Siculis, quos colligis, Icci:
Si recte frueris, non est ut copia major
Ab Jove donari possit tibi. Tolle querelas *a)*,
Pauper enim non est, cui rerum *b)* suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil

retinet, et ubique secum deportant. *e)* Caeli aliquam, et solis regionem. *f)* Agimus et laboramus plurimum ut nihil agamus: inertes sumus, quia non quaerimus felicitatem ubi est, laboris ac virtutis taedio: et simul strenui atque agiles sumus, qui eam ibi quaerimus operose, ubi non est. *g)* Proverbium, id est, summa contentione: terra, marique. *h)* Beata vita. *i)* Ubi vivis, ubi sis. *k)* In vico Campaniae deserto. *l)* Rationi obediens, perturbatione vacuus. *m)* Ordo est: O Icci, si recte, si prudenter, et moderate frueris fructibus Siculis Agrippae, id est, si recte uteris pecunia, quam lucraris colligendis in Sicilia fructibus agrorum Marci Agrippae, cujus procurator es; non est, id est, fieri non potest, non licet, ut majorem copiam, et abundantiam, majores divitias. Jupiter ipse tibi dare possit.

a) Da paupertate sua Iccius saepe querebatur *b)* Qui

Divitiae poterunt regales addere maius.
Si forte c) in medio positorum abstemius d), herbis.
Vivis, et urtica, sic vives protinus, ut te
Confestim liquidus fortunae rivus inauret:
Vel quia e) naturam mutare pecunia nescit.
Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur f) si Democriti g) pecus edit agellos,

habet ea quibus uti possit. c) Sin autem inter illas opes, quae tibi suppetunt, et quae in medio positae, id est in manibus, in promptu sunt, vivis herbis et leguminis, abstemius, id est vino etiam abstinens et frigidam bibens; crede mihi sic vives protinus, id est, sic viveres porro tenus, non lautius, te haberes, ut te, id est, quamvis te fortuna totum faceret aureum, rivo te aureo mergeret, opibus cumularet. *Protinus* hoc in loco non significat statim, sed deinceps, postea: sic deinceps perges vivere, ut coepisti, quamvis ditescas. d) A verbo abstineo, temetum, quae vox antiqua vinum significat e) Vel quia naturam dominum non potest mutare pecunia, nec efficere ut tu, qui esses parcus et avarus, laute atque indulgenter te tractares: vel quia Stoicum cum sis, frugalitatem diligis et vitam beatam non in lauto victu et deliciis, sed in una virtute sitam putas, cui caetera post habenda censes: videtur haec joco dicere. f) Philosophiae studium multo magis in te, quam in Democrito admiror: neque enim mirum valde est si ille suos agellos sineret depasci et comedi a pecore alieno, et vicinorum gregibus: si rei domesticae curam omnem abjiceret, dum ipsius animus quasi a corpore separatus procul erat, abditus nimirum in rerum naturalium contemplatione: tu vero inter tot occupationes, in tanta lucri faciendi et augendae rei aviditate, quae sua scabie et contagio hominum animos inficere solet, ac terrae affigere, tamen sapientiae, qua nihil est excelsius, deditus es, et lutulentam humum spernens erigis te ad sublimes curas, et quaeris, quibus de causis fiat, ut mare intra certos terminos et ripas compescatur, unde oriantur anni tempestates, quibus veluti temperatur etc. hoc certe admirandum est. g) Fuit ille Philosophus insignis, qui res humanas ridere perpetuo solebat, tantoque flagrabat studio philosophiae, ut oculis ipse se orbaverit, patrimonium neglexerit, suosque agellos alienis pecudibus depascendos permiserit, quo liberius, illi vacaret.

Cultaque *a*): dum peregre est animus sine
corpore velox,
Cum tu inter scabiem tantam, et contagia
lucri,
Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures:
Quae mare compescant causae: quid temperet
annum:
Stellae sponte sua, jussaene *b*) vagentur, et
errent:
Quid premat *c*) obscurum Lunae, quid pro-
ferat *d*) orbem:
Quid velit, et possit rerum concordia *e*)
discors:
Empedocles *f*), an Stertini *g*) deliret acumen:
Verum-seu pisces *h*): seu porrum, et caepe
trucidas *i*):
Utere *k*) Pompejo Grospho, et si quid
patet, ultro.
Defer: nil Grosphus, nisi verum *l*), orabit et
aequum;
Vilis *m*) amicorum est annona, bonis ubi
quid deest.

a) Rura exculta fertiles agros. *b*) Alicujus motu ac jussu. Quaerunt ac disputant philosophi an astra innato motu, agantur, an adscititio et ab intelligentiis, ut ajunt, impresso. *c*) Abscondat, minuat. *d*) Promat, illustret, amplificet. *e*) Elementorum inter se oppositorum conspiratio ad commune bonum orbis, et discors concordia. *f*) Philosophus Agrigentinus in Sicilia, et Poeta bonus: homo pertinacissimae iracundiae fuit, adeo ut vitam sine inimicis putaret sibi nullam esse, itemque arrogantissimae superbiae, qui ut Deus haberetur, in Aetnam ardentem insiluit, ut cum nusquam appareret, sublatus in sydera putaretur. Vide artem Horatii poeticam sub finem. *g*) Philosophus Stoicus fuit, celebris Horatii tempestate, de quo plura Sat. 3. Lib. 2. *h*) Seu laute vivis, seu parce, ac duriter. *i*) Ridet clam Pythagoram, qui in fabis et porris latere animas hominum dictitabat. *k*) Familiariter tuere. *l*) Bonum et honestum. *m*) Facile ac parvo

Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber *n*) Agrippae, Claudi virtute Neronis,
Armenius cecidit:Jus imperiumve Phraates *o*)
Caesaris accepit genibus minor *a*). Aurea *b*) fruges
Italiae pleno diffudit Copia *c*) cornu *d*).

EPISTOLA XIII. *Vinnium admonet, ut in offerendis suis Augusto carminibus rationem temporis ac decoris habeat.*

UT proficiscentem docui te saepe, diuque,
Augusto reddes signata *e*) volumina; Vinni,

sumptum comparantur amici cum viris bonis deest aliquid, tum enim illis benefacere licet, eosque sic amicos sibi comparare, et quasi parvo emere, quia nihil nisi aequum legitimum, et suae modestiae, probitatique congruens postulant, tum ambitiosi, avari etc. non sunt. *n*) Cantabri, populi Hispaniae, ceciderunt, id est domiti sunt virtute ac fortitudine Agrippae. Vide Oden 4. lib. 2. Ad Armenios missus fuerat ab Augusto Tiberius, ut isti regno Tigranem praeficeret, anno U. C. 734. Parthi armis Augusti, et fama territi signa Crasso erepta restituerunt. Vide Indicem secundum Odarum, illis praefixum in libri limine, ad annum 731. *o*) Rex Parthorum, qui Augusti amicitiam ultro expetit, eique signa Crasso erepta reddidit. Vide secundum Indicem Odarum anno 731. et Justinum lib. 42.

a) Provolutus in genua, id est, supplex et humilis; non ipse Romam venit, sed e Perside misit obsides et legatos qui ejus nomine ad genua Caesaris acciderunt. *b*) Beata, felix. *c*) Dea abundantiae. *d*) Postquam Hercules fluvium Achelo-um indutum tauri forma vicit, ei cornu detraxit, quod Nymphis cum dedisset, scaturire floribus ac frugibus coepit. Amalthea capra quaedam fuit: ea Jovem puerulum e Saturno quaesitum ad necem et latitantem cum nutrisset, Jupiter grandior factus, nymphis quae suae infantiae curam habuissent, hoc praemii concessit, ut ex uno ejus caprae cornu flores et fructus perpetui nascerentur: hic cornucopia: haec duplex ejus origo in fabulis prodita est. *f*) Obsignata, involuta sigillo meo

Si validus *f*), si laetus erit, si denique poscet:
Ne studio *g*) nostri pecces, odiumque *h*) libellis
Sedulus importes, opera vehemente, ministeri)
Si te forte meae gravis uret *k*) sarcina chartae,
Abjicito *l*) potius, quam pro perferre juberis
Clitellas *m*) feros impingas, Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula *n*) fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas *a*).
Victor propositi *b*) simul ac perveneris illuc *c*),
Sic *d*) positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum: ut rusticus agnum,
Ut vinosa glomos *e*) furtivae *f*) Pyrrhia lanae,
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis *g*)?
Ne vulgo narres te sudavisse ferendo

addito. *f*) Sanus. *g*) Benevolentiae significatione intempestiva, immodica. *h*) Ne facias ut illi displiceant mei libri et minus grati accidant, dum tu nimiam adhibes diligentiam, et operam in iis tradendis et commendandis, *i*) Dum operam in ea re mihi navas, mandata mea exequeris. *k*) Vexabit: si gravior tibi videtur. *l*) Relinque potius hanc sarcinam medio in itinere, quam illam rustice, et inepte offeras. *m*) Sarcinam librorum, quasi clitellas instar feri, id est asini, aut equi, fatigati excutias, eam terrae impingendo et quasi sub onere corruendo: ex eo enim arriperent homines ansam tui ridendi, et cum pater tuus vocetur Vinnius Asella dicendi, nihil te alienum a tuo cognomine fecisse, clitellas Asini more impingendo. *n*) Jocus ludibrium.

a) Lacunas, fossas in agris, et aquarum receptacula, *b*) Voti compos, itinere absolutos *c*) Romam. *d*) Ita gestabis ut ne sub ala portes. Vel ista particula *sic*, ostendit gestum aliquem, quo significet Horatius Vinnio quomodo gestari ab eo libros velit. En, inquit, vide me, sic pone onus. *e*) Sphaerulas e lana in orbem involuta. *f*) Furto raptae. *g*) Qui est ex eadem tribu: ut solent plebeii ex eadem tribu e convivio, quo se invicem acceperunt, redire gestantes pileolum et soleas prae manibus. Pileolo tutabantur caput contra serotinam auram cum redibant domum a coena: soleas portabant quibus uteren-

Carmina, quae possunt oculos auresque morari *h*)
Caesaris. Oratus *i*) multa prece, nitere porro.
Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.

EPISTOLA XIV. *Villicum suum carpit, quod urbanam vitam praeferat rusticae; cujus desiderio quare ipse teneatur, ostendit.*

VIllice *k*) sylvarum, et mihi me *l*) reddentis agelli,
Quem tu *m*) fastidis, habitatum quinque focis *n*), et
Quinque bonos solitum Bariam dimittere patres:
Certemus, spinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro, et melior sit Horatius, an res *o*).
Me quamvis Lamiae *p*) pietas, et cura moratur *q*)
Fratrem moerentis, rapto de fratre dolentis

tur accumbentes, ne lectos lutulentis calceis inquinarent. *h*) Tenere, delectari. *i*) Haec oro te ut observes omnia, et implere porro nitaris. *k*) Villicus est qui villae, et servorum opus in ea facientium curam gerit. *l*) Homines urbani tot negotiis officiisque districti sunt, vix ut sint sui: vacant aliis, non sibi: eos sibi restituit villula, otium. *m*) Quem agellum, quod praedium tu fastidis licet quinque in eo familiae sint, ac soleant ex eodem eligi quinque patres, id est viri grandiores et Bariam, (legunt aliqui Variam) vicinum in sabinis oppidum, mitti ad consilium et conventum ut deliberent, pronuntientque de negotiis agriculturae, aut regionis illius. *n*) Domibus, seu familiis distinctis et majoribus. *o*) Ager, villa. *p*) Aelius Lamia civis nobilissimus; de quo vide Od. 12. lib. 3. *Aeli vetusto.* *q*) Detinet Romae.

Insolabiliter; tamen istuc *a*) mens, animusque
Fert *b*), amat spatiis obstantia rumpere claustra *c*).
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum:
Cui placet *d*) alterius, sua nimirum est odio sors
Stultus uterque locum immeritum causatur inique:
In culpa est animus, qui se non effugit umquam:
Tu mediastinus *e*) tacita prece rura petebas:
Nunc urbem et ludos, et balena villicus optas,
Me constare *f*) mihi scis, et discedere tristem,
Quandocumque trahunt invisa negotia Romam,
Non eadem miramur *g*) eo *h*) disconvenit inter
Meque, et te: nam quae deserta; et inhospita tesqua *i*)
Credis, amoena vocat, mecum qui *k*) sentit; et odit
Quae tu pulchra vocas. Fornix tibi, et uncta *l*) popina
Incutiunt urbis desiderium, video, et quod *m*)

a) Ubi es, rus. *b*) Me animus rapit rus, feror huc totus desiderio, et cogitatione. *c*) Gestio rumpere omnia, quae me Romae tenent, ne rus evolem, impedimento, tamquam repagula obstantia, et objecta circo. In area spatiosa, ubi decurrebant quadrigae, erant septa quaedam lignea, quibus apertis prosiliebant currus. Carceres vulgo vocabantur. *d*) Nempe sua sors est illi odiosa, cui placet sors alterius: uterque culpat et accusat locum in quo est, qui tamen est immeritus, id est minime culpari meretur, reus non est in causa cur alteri sua sors displiceat, placeat sors alterius et locus. *e*) Cum esses in urbe servus infimae notae. Mediastini servi dicebantur qui erant in medio, velut omnibus expositi, non certo addicti officio, et muneri, ac proinde viliores. *f*) In eadem semper esse sententia. *g*) Magni facimus et opimus. *h*) Idcirco. *i*) Loco aspera, inculta, hospitibus vacua. *k*) Quicumque. *l*) Pinguis. *m*) Accedit illa, cur suspires urbem, causa, quod

Angulus iste feret piper et thus, ocyus uva:
Nec vicina subest *n*) vinum praebere taberna
Quae possit tibi: nec vilis tibicina, cujus.
Ad strepitum salias *o*) terrae gravis: et tamen urges *p*)
Iam pridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disjunctum *q*) curas et strictis *r*) frondibus exples.
Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico *a*) parcere *b*) prato.
Nunc, age, quid *c*) nostrum concentum dividat, audi.
Quem *d*) tenues decuere togae, nitidique capilli,
Quem nosti bibulum media de luce Falerni.
Coena brevis juvat, et prope rivum somnus in herba:

ager meus, ut ais, est sterilis, qui citius piper, thus, et aliud quidvis ferat, quam vinum. Tu vero uvas prae ceteris fructibus amas. *n*) Prope est, vicina est. *o*) Saltes in compositis motibus. *p*) Colis, exerces. *q*) Ab aratro et socio bove, morbi causa separatum, et stabulo inclusum. *r*) Decerptis manu.

a) Patenti, soli exposito. *b*) Non nocere, non effundi supra ripas, coerces autem illum objectis molibus, id est aggeribus, humo congesta, saxis etc. *c*) Cur non concinamus, conveniamus, idem sentiamus? *d*) Ego, quem olim juvabat bene pexum aut togatum esse, quem scis fuisse bibulum poto-

Nec lusisse *e*) pudet, sed non incidere *f*) ludum.
Non istic *g*) obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat *h*), non odio obscuro, morsuque venenat *i*)
Rident *k*) vicini glebas, et saxa moventem:
Cum servis *l*) urbana diaria rodere mavis:
Horum tu in numerum voto ruis *m*) Invidet *n*) usum
Lignorum et pecoris tibi calo *o*) argutus *p*), et horti.
Optat ephippia bos piger, optat *q*) arare caballus.
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

rem Falerni ab ipso meridie, nunc juvor coena brevi etc. *e*) Genio indulsisse olim. *f*) Finire, abrumpere. *g*) Ruri. *h*) Oculis obliquis aspicit, ut solent invidi: limus enim nomen adjectivum, idem est ac obliquus, transversus. *i*) Quasi veneno inficit, maledico dente carpens. *k*) Gratulantur mihi et applaudunt, vel cavillantur. *l*) Tu cum servis urbanis scilicet, mavis ea cibaria consumere, quae ipsis dantur in singulos dies. Diarium alias significat etiam Ephemeridem: hoc in loco est victus unius diei. *m*) Desiderio raperis. *n*) At contra Calo id est, servus urbanus qui ad ligna comportanda, et alias res id genus, adhibetur tuae felicitati invidet, te beatum esse putat, quia habes affatim ligna, quibus utaris, hortum, pecus etc. *o*) Sat. VI. lib. 1. *p*) Ingeniosus licet ac honestior, quales illi urbani servi. *q*) Sic bos, ut fert fabula, optat equi sortem, equus bovis: ego censeo ut se sua quisque in arte et sorte contineat. Ephippium est vel ornamentum equi, tapes v. g. quo insternitur, vel sella ejus dorso ad sedendum commodius, imposita.

EPISTOLA XV. *Veliam et Salernum valetudinis causa profecturus, quaerit ab amico suo Vala, cui haec regio notissima erat, quae copia et facultas ibi sit ad laute vivendum.*

QUÆ sit hyems *a)* Veliae *b)* quod caelum, Vala, Salerni
Quorum *c)* hominum regio, et qualis via; nam *d)* mihi Bajas
Musa *e)* supervacuas Antonius, et tamen illis *f)*
Me facit invisum *g)* gelida cum perluor unda
Per medium frigus *h)*. Sane myrteta *i)* relinqui *k)*
Dictaque *l)* cessantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni, vicus *m)* gemit invidus *n)* aegris,

a) Sensus inchoandus est a versu 25. Par est te nobis scribere, me tibi credere, quae sit hyems Veliae etc. *b)* Velia et Salernum sunt Italiae estremae oppida maritima: Salernum quidem in sinu Paestano, qui Puteolanum sinum proxime sequitur, inter Campaniam, et Lucaniam: Velia vero in ipsa Lucania prope promontorium Palinurum. *c)* Quibus utentium moribus. *d)* Subaudi, dicit esse. *e)* Antonius Musa medicus praestantissimus Augustum gravi ac periculoso morbo liberaverat, ingenti donatus pecunia, sibi jus aureorum annulorum et universo medicorum ordini vacationem immunitatemque a publicis oneribus adeptus est. Augustum porro frigidis aquis curavit, cum calidis et Bajanis aliis medici nihil profecissent: idem ille Horatio suaserat, Bajas ante adire solito, ut frigidis aquis ac marinis uteretur. Itaque Horatius sollicite de Velia et Salerno maritimis oppidis, inquirit. *f)* Bajanis aquis. *g)* Oderunt me Bajae, incolae Bajarum, quod aquas frigidas potiores calidis suis putem. *h)* Hyeme. *i)* Loca myrtis in littore Bajano consita. Multum auctoritatis et gratiae, Bajis, antea celeberrimis ob calidas aquas, Antonius Musa detraxerat. *k)* Et aquas sulfureas, quae jactabantur nervis elidere et expellere morbum cessantem et pigrum, id est, podagram, et alios id genus morbos, qui humore viscoso motum praepediunt. Cessare est torpere, nihil agere. *l)* Bajanus *m)* Offensus, invidens. *n)* Eluebant aegras corporis partes aquis salubri-

Qui caput et stomachum supponere *o*) fontibus audent *p*)
Clusinis *q*) Gabiosque petunt, et frigida rura.
Mutandus locus est, et diversoria nota *a*)
Praeteragendus *b*) equus. Quo tendis? Non mihi Cumas
Est inter, aut Bajas, laeva *c*) stomachosus *d*) habena
Dicet eques (sed equi fraenato est auris in ore).
Major *e*) utrum populum frumenti copia pascat:
Collectosne *f*) bibant imbres, puteosne perennes *g*)
Dulcis aquae: nam vina nihil moror *h*) illius orae.
Rure meo possum quidvis *i*) perferre, patique.
Ad mare cum veni generosum et lene requiro.
Quod curas abigat, quod cum spe *k*) divite manet

bus, ut hodie fit. *o*) Videntur enim periculosum ablui frigida per hyemem. *p*) Quorum sunt aquae frigidae: Clusium Etruriae oppidum. Gabii vicus Latinorum, de quo Epistola XI. *q*) Cum olim Bajas peterem.

a) Ultra Bajas agendus, praeter notas tabernas ducendus. *b*) Verba equitis Horatii praeteragentis equum et alloquentis. Quo mihi abis dexter? Non peto Cumas aut Bajas. Quamquam frustra equus istis verbis admoneretur, qui non tam audit verba, quam fraenum et habenas. *c*) Habenas detorquens ad sinistram. Capuam enim ac Neapolim, a Roma proficiscentibus, et inde Veliam ac Salernum euntibus, sinus et vicus Bajanus ad dextram est. *d*) Equo cunctanti et reluctanti succensens. *e*) Ubi sit major, frumenti copia, Veliae an Salerni. *f*) In cisternis et lacunis. *g*) Jugiter manantes, fontanas. *h*) Curo, alia vina volo, nempe generosa. *i*) Quodlibet vinum: vel pessimo contentus sum. *k*) Vinum audaces facit, ac bona

In venas, animumque meum: quod verba *l*) ministret.
Tractus *m*) uter plures, lepores, uter educet apros,
Utra magis pisces, et echinos *n*) aequora celent;
Pinguis ut inde domum possim, Phaeaxque *o*) reverti;
Scribere te nobis, tibi nos accredere par est.
Maenius, ut *p*) rebus *q*) maternis atque paternis
Fortiter *r*) absumptis, urbanus *s*) coepit haberi:
Scurra *t*) vagus *u*), non qui certum praesepe *x*) teneret;
Impransus *y*) non qui civem dignosceret hoste *z*),
Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus,
Pernicies, et tempestas, barathrumque *a*) macelli,
Quidquid quaesierat *b*), ventri donabat avaro *c*).
Hic *d*), ubi nequitiae fautoribus, et timidis, nil,

spe implet. *l*) Disertum me faciat. *m*) Ager, regio. *n*) Pisciculi sunt e cancrorum genere, pilis quibusdam et setis ut spinis, obsiti. *o*) Similis Phaeacibus Corcyrae populi mollibus et voluptuariis, id est, obesus et bene habitus. Vide Epist. 2. *p*) Postquam. *q*) Opibus. *r*) Impigre, strenue. *s*) Facetus homo, risum movens ad captandas divitum in urbe mensas. *t*) Qui jocos liberales jactat. *u*) Nulli certae mensae addictus. *x*) Domum statam et certam, ubi cubaret. *y*) Adeo furiosus, cum jejunus erat, ut in cives, perinde ac si hostes fuissent, saeviret verbis; neminem internosceret. *z*) Hostem veteres latini exterum quemlibet ac peregrinum vocabant.

a) Instar voraginis omnia absorbens opsonia. *b*) Lucri fecerat sua scurrilitate. *c*) Insatiabili, omnia, ut avari solent, congerenti. *d*) Idem ille Maenius, ubi nihil aut parum corra-

Aut paullum abstulerat, patinas coenabat omasi
Vilis et agnine, tribus *e*) ursis quod satis esset.
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos, correctus. Maenius idem
Quidquid erat nactus praedae majoris; ubi omne
Verterat *f*) in fumum, et cinerem: Non Hercule *g*) miror,
Ajebat, si qui comedunt bona; cum sit obeso *h*)
Nil melius turdo, nil vulva *i*) pulchrius ampla.
Nimirum hic ego *k*) sum: nam tuta et parvula *l*) laudo,
Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis
Verum, ubi quid melius contigit, et unctius *m*), idem
Vos sapere et solos ajo bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis *n*) fundata pecunia villis *o*).

serat pecuniae ab iis qui nequitiae, et luxuriae favere solent, nempe prodigis et belluonibus, aut ab avaris et parcis: qui timidiores, et lentiores in dando sunt: contentus erat cibis vilissimis, v. gr. omaso (sunt intestina pecudum) et agnina carne, ac ventrem plebeis istis obsoniis implebat: tum de ista sua frugalitate sibi plaudens, tamquam sapiens et emendatus homo, dicebat nepotum, id est, dissolutorum et belluonum ventres urendos esse lamina et ferro ardenti, ut poenas intemperantiae suae luerent. *e*) Id est tantum ex illis cibis devorans quantum suffecisset tribus ursis alendis *f*) Decoxerat, absumpserat. *g*) Pro ita me Hercules adjuvet. Non miror, inquiebat, esse homines qui laute vescendo suas opes male perdant etc. *h*) Pingui. *i*) Suilia scilicet ventre et mamillis porcae, mensarum tunc deliciis, *k*) Talis sum: Maenio simillimus. *l*) Coenas frugales, quae non sunt obnoxiae invidiae, quae fortunas non dilapidant. *m*) Lautius. *n*) Benecultis. *o*) Unde magni fructus, et proventus: censu in praediis et agris fundatus, est certior, et tutior,

EPISTOLA XVI. *Agri sui fortunam, situm, commoda Quinctio describit: monet eum subinde ut vir esse bonus quam audire, malit : quis vir sit bonus, fuse docet.*

NE percuncteris, fundus meus, optime Quincti, *a*)
Arvo *b*) pascat herum, an baccis opulentet olivae,
Pomisne et pratis, an amicta *c*) vitibus ulmo:
Scribetur tibi forma loquaciter *d*), et situs agri.
Continui *e*) montes; nisi dissocientur opaca
Valle: sed ut veniens dextrum latus adspiciat Sol,
Laevum discedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes *f*). Quid si rubicunda benigne *g*)
Corna vepres et pruna ferant, si quercus, et ilex,
Multa fruge *h*) pecus multa dominum juvet *i*) umbra?
Dicas *k*) adductum propius frondere Tarentum.

a) Quinctius ille, ut apparet, Hirpinus est, ad quem extat Ode 8. lib. 2. Quinctia gens erat apud Romanos nobilissima. *b*) Agro sativo, segete et frumento. Legitur etiam *Erva*, quod genus est leguminis. *c*) Adjunguntur ulmis vites, ut consistant; et iis vites quasi amiciuntur, id est induuntur. *d*) Fuse. *e*) Illum ambirent omni ex parte montes, nisi tamen essent disjuncti et separati valle umbrosa, cujus dextrum latus sol oriens collustrat. *f*) Laudare jure possis: caelo utitur ita temperato, ut merito eam ob rem laudari debeat. *g*) Large. *h*) Glande. *i*) Foveat, delectet. *k*) Si amoenitatem loci spectes, diceres illuc adductas esse valles Tarentinas amoe-

Fons etiam rivo dare nomen idoneus *l*), ut nec *m*)
Frigidior Thracam *n*), nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo *o*) capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hae latebrae dulces, etiam si credis amoenae,
Incolumem tibi me praestant Septembribus horis *p*)
Tu recte vivis, si curas esse, quod audis.
Iactamus jampridem omnis te Roma beatum.
Sed vereor, nec cui de te plus, quam tibi *q*) credas:
Neve putes alium sapiente *a*), bonoque beatum
Neu, si te populus sanum; recteque valentem
Dictitet; occultam febrem sub *b*) tempus edendi
Dissimules; donec manibus tremor incidat unctis *c*).
Stultorum incurata *d*) pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata *e*) marique
Dicat, et his verbis vacuas *f*) permulceat aures:
Tene *g*) magis salvum populum velit, an populum tu.

nissimas: videre te illas credas. Tarentum porro est urbs in Calabria Italiae extrema parte ad meridiem non procul Brundusio. *l*) Id est: tanta fluens copia ut rivum efficiat, eumque nobilem et suo appellatum certo nomine. Digentiam alibi vocat. *m*) Adeo ut Hebrus, Thraciae fluvius, non sit frigidior et purior. *n*) Thraciam: quae pars est Europae supra Macedoniam. *o*) Utilis ad leniendos capitis dolores. *p*) Cum autumnus affert morbos. *q*) Tuae conscientiae judicio ac testimonio.

a) Alium a sapiente, alium ac eum, qui vir sapiens bonusque sit. *b*) Paulo ante. *c*) Ob tractatos cibos. *d*) Quibus nihil adhibent curationis et medicinae, quia vitioso pudore ducti, ea celant ac dissimulant. *e*) A te esse pugnata, fuisse gesta, dicat. *f*) Apertas adulationi. *g*) Ordo est: Jupiter, qui tibi

Servet in ambiguo, qui consulit, et tibi, et urbi,
Jupiter: Augusti laudes agnoscere possis? *h*).
Cum pateris sapiens *i*), emendatusque vocari
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? *k*) nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego, ac tu.
Qui dedit hoc *l*) hodie, cras, si volet, auferet: ut si
Detulerit fasces *m*) indigno, detrahet idem.
Pone, meum est *n*), inquit: Pono, tristisque recedo.
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum presisse paternum:
Mordear *o*) opprobris falsis, mutemque colores *p*)?
Falsus honor juvat, et mendax infamia terret,
Quem, nisi mendosum *q*), et mendacem *r*)? vir bonus est quis?
Qui *s*) consulta patrum *t*), qui leges, juraque servat,

et urbi consulit providetque, hoc semper incertum esse velit, an populus malit te salvum et incolumem esse, quam tu populum. *h*) Certe haec verba non tibi convenire, sed Augusto facile agnosces. *i*) Te sapientem vocari: Graeca imitatio. *k*) Quasi tibi hoc proprie dicatur, et non alteri. *l*) Qui tibi hoc praeclarum sapientis et probi nomen hodie dedit, tam facile cras auferet, quam imperia et magistratus etc. Negat laudibus populi credendum, quia levis et inconsultus est. *m*) Consulatum, Praeturam, honores. *n*) Voces populi, depone, inquiet populus, hunc magistratum, est enim mei juris et arbitrii, ad me ille pertinet, meis illum suffragiis defero, cui volo. *o*) An cruciari debeo etc. *p*) Vultum: an expallescam? An erubescam? Neutiquam sane: quia non sum mihi conscius istorum scelerum. *q*) Vitiosum. *r*) Falsum, deceptum, verae gloriae ignarum. *s*) Falsam viri boni et ementitiam definitionem hic affert: veram, extrema Epistola. *t*) Senatus consulta, Curiae decreta.

Quo multae, magnaeque secantur *a*) judice lites *b*):
Quo responsore *c*), et quo causae teste tenentur.
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsum *d*) turpem, speciosum pelle decora *e*),
Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus: Habes pretium, loris non ureris, *f*) ajo.
Non hominem occidi: non pasces in cruce corvos.
Sum bonus, et frugi? Renuit negat atque *g*) Sabellus *h*).
Cautus *i*) enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, et opertum *k*) milvius hamum *l*).
Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes *m*) in te formidine poenae.
Sit spes *n*) fallendi: miscebis sacra profanis.

a) Finiuntur, deciduntur. *b*) Responsum de lite aliqua, de qua consultus est, dante. Respondere de jure dicuntur Jurisconsulti et eorum responsa, si peritissimi sint, legum ferme vim habent. Quidam distinguunt sic: *Quo res Sponsore tenentur*; est autem sponsor is qui pro aliquo promittit. *c*) Obtinentur, vincuntur. *d*) Domesticis vitiis et libidinibus infamem. *e*) Specie virtutis et honestatis. *f*) Vapulas. *g*) Et negat. *h*) Ego Horatius, cui domus apud Sabinos, in qua regione tam saepe commorabatur, ut se prope Sabellum factum esse dicat. Adde quod Venusia Horatii patria, Sabellorum seu Samnitium agro vicina est. Vel est nomen proprium alicujus Philosophi qui tum floreret. *i*) Quamvis lupus a praeda se abstineat metu foveae, non tamen idcirco meretur laudem etc. *k*) Tectum. *l*) Escam, illicium. *m*) Sceleris committes. Negat eum esse virum bonum qui a peccando abstineat poenae solius metu, non amore virtutis. *n*) Si speres fore ut fallas, id est, lateas

Nam de mille fabae modiis, cum surripis unum,
Damnum est *o*), non facinus mihi pacto lenius isto.
Vir bonus *p*), omne forum quem spectat et, omne tribunal,
Quandocumque Deos vel porco, vel bove placat
Jane *a*) pater, clare, clare cum dixit, Apollo:
Labra movet, metuens audiri: pulchra Laverna *b*)
Da mihi fallere *c*): da justo, sanctoque videri:
Noctem peccatis, et fraudibus obiice nubem.
Qui melior *d*) servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum *e*) cum se demittit ob assem,
Non video: nam qui *f*) cupiet, metuet quoque porro
Qui metuens vivit, liber mihi non erit umquam.
Perdidit arma g), locum virtutis deseruit, qui

non detegaris, tunc perinde res sacras violabis ac profanas nihil inter utrasque discriminis pones. Porro non his alloquitur ipsum Quinctium, sed unum e multis: secunda enim persona pro tertia saepe sic usurpatur. *o*) Mihi damnum est lenius ferendum quia, est levius, at facinus tuum nihilo levius est, nam omnia peccata sunt aequalia: ita Stoici quos hic Horatius sequitur. *p*) Bonus opinione vulgi, non reipsa: qui nempe nihil sceleris non admittat, si speret clam fore.

a) De Jano Vide Sat. 6. lib. 2. *b*) Latronum praeses Dea. *c*) Latere. *d*) Non video qua ratione avarus dici possit melior servo etc. *e*) Pueri, ut praetereuntes illudant, solent inter vias silices interdum figere assem, quam avarus cum colligere tentat, ridetur. *f*) Qui pecuniae cupiditate laborat, cruciabitur ejusdem amittendae metu: porro qui vivit in metu, eum liberum non putabo. *g*) Id est: ille non est recen-

Semper in augenda festinat, et obruitur re.
Vendere *h*) cum possis captivum, occidere noli,
Serviet utiliter: sine *i*) pascat durus *k*), aretque,
Naviget, ac mediis hyemet mercator in undis:
Annonae prosit, portet frumenta, penusque:
Vir bonus *l*), et sapiens audebit dicere. Pentheu *m*),
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? Adimam bona: nempe pecus, rem.
Lectos, argentum? Tollas licet *n*). In manicis, et
Compedibus saevo te sub custode tenebo.
Ipse Deus *o*), simul atque volam, me solvet. Opinor,
Hoc sentit; moriar. Mors ultima linea *p*) rerum est.

sendus inter homines probos et virtute praeditos, qui avarus est. Metaphora sumitur a militia, in qua milites nequam et desertores abjiciunt arma, locum et stationem sibi attributam a duce deserunt. Dux vitae virtus est, ea locum unicuique suum assignat etc. *h*) Ostendit eos quoque in viris bonis non esse numerandos, qui crudelitatis vitio laborent, qui cum possint captivum vendere, illum occidant. *i*) Patere. *k*) Laboriosus. *l*) Jam definit, quis vere dicendus sit vir bonus, nempe qui humana omnia, vitamque ipsam contemnit. *m*) Fuit Rex Thebarum, homo ferus, et in hospites crudelis: de quo vide Oden penultimam lib. 2. Fingitur illi Bacchus ab eo captus, ut sapiens aliquid respondere. *n*) Per me licet haec auferas. *o*) Cum mihi libuerit. Deus me solvet tuis vinculis, id est Bacchus, si haec in persona Bacchi dicantur: si sapiens loquatur, sententia erit: mortem mihi afferre possum cum volam, quae finem, et carceri, et rebus ceteris affert. Vide lib. 3. Metam. *p*) Sumptum est a Circo vel stadio, cum quo humana saepe vita comparatur: in eo locus ubi desinit, vocabatur linea; quia ducta linea designabatur.

EPISTOLA XVII. *Scaevam monet, qua ratione potentiorum amicitiae colendae sint.*

Quamvis, Scaeva, satis per te *a)* tibi consulis, et scis,
Quo tandem pacto deceat majoribus uti *b)*:
Disce docendus adhuc, quae censet amiculus *c)*: ut si *d)*
Caecus iter monstrare velit. Tamen aspice, si quid
Et nos, quod cures proprium *e)* fecisse, loquamur.
Si te grata quies, et primam *f)* somnus in horam
Delectat: si te pulvis, strepitusque rotarum
Si laedit caupona *g)*; Ferentinum *h)* ire, jubebo.
Nam neque *i)* divitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit *k)*.

a) Sine alterius consilio vitam regere tuam prudenter potes. *b)* Vivere familiariter cum viris te ditioribus. *c)* Horatius. *d)* Quasi si: puta esse caecum me, qui tibi oculato monstrare velim iter: fateor multo sum te imperitior, tamen etc. *e)* In propriam tuam utilitatem vertere. *f)* Usque ad primam diei horam, id est, ortum solis. Laudat vitam quietam et a nobilium consuetudine remotam: cui tamen contrariam, deinde anteponit, quia utilior, quia plus artis et ingenii postulat, quod Aristippi et Diogenis exemplo probat. *g)* Clamores inconditi, rixae, quibus Cauponae personant, ut in urbe fit. *h)* Oppidum infrequens Italiae. *i)* Non enim soli divites vitam felicem et beatam degunt. *k)* Latuit, obscu-

Si prodesse tuis, paulloque benignius ipsum *l*)
Te tractare voles: accedes siccus *m*) ad unctum *n*).
Si *o*) pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat. Utrius horum
Verba probes, et facta, doce: vel junior audi *a*)
Cur sit Aristippi potior sententia: namque
Mordacem Cynicum *b*) sic eludebat *c*), ut ajunt:
Scurror *d*) ego ipse mihi *e*): populo *f*) tu, rectius hoc, et
Splendidius multo est: equus ut me portet, alat Rex
Officium facio *g*). Tu poscis vilia rerum

rus et ignotus fuit. *l*) Lautis. *m*) Pauper, jejunus. *n*) Divitem, sumptosum. *o*) Voces Diogenis illae sunt, quibus expobrabat Aristippo, quod mensas Regum, id est, divitum captaret: Si posset Aristippus contentus esse oleribus et tenui mensa, nollet uti regibus, id est, careret mensa et familiaritate nobilium. Respondet illi Aristippus; Tu, qui me notas et carpis, o Diogenes, non vescereris oleribus, si artem scires versandi cum Regibus, quam quia ignoras, domi te cum tuis oleribus contines. Fuit Aristippus Philosophus Socrati auditor, qui cum e patria Cyrene, urbe Libyae in Graeciam Philosophiae perdiscendae studio proficisceretur, jussit servus aurum proiicere, ut expeditiores essent ad capessendum iter.

a) Patere ut te doceam cur sententiam Aristippi anteponam Diogenis sententiae. Nam ille sic refellebat Diogenem. *b*) Philosophi quidam Cynici vocati sunt a Graeca voce; quae canem significat, quia insignis erat eorum impudentia et obtrectandi libido, quae omnes mordere, ut canes videbantur. In iis praecipuus Diogenes fuit. *c*) Refellebat. *d*) Scurram ago: risus moveo, assentator sum. *e*) In meam rem et utilitatem, nempe ut mihi dives det equum, quo porter, dapes lautas, quibus alar etc. *f*) Ut populo placeat, ad inanem plausum captandum. *g*) Fungor omni urbanitatis officio et

Dante minor: quamvis fers te nullius egentem
Omnis Aristippum decuit color *h*), et status, et res *i*).
Tentantem majora *k*), fere praesentibus aequum,
Contra *l*), quem *m*) duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitae via si conversa decebit.
Alter *n*) purpureum non expectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet.
Personamque feret non inconcinnus utramque *a*).
Alter *b*) Mileti textam *c*) cane pejus *d*) et angue,
Vitabit chlamydem: morietur frigore, si non
Rettuleris pannum. Refert, et sine vivat ineptus.
Res gerere *e*), et captos ostendere civibus hostes

munere: honeste peto ea quibus egeo: tu sordide poscis et quidem vilissimas res, teque sic minorem et inferiorem praestas eo qui tibi dat, quamvis te feras, id est, praedices, jactites, nullius rei egere. *h*) Vitae ratio, conditio. Sententia est: ad omnem se fortunae ac vitae rationem accommodabat. *i*) Opes, census. *k*) Nitebatur ille quidem ad commodissima quaeque et amplissima, si posset: contentus idem tamen erat praesentibus, acquiescebat in tenui fortuna, si melior non adesset. *l*) Contra vero ego mirabor si Diogenes decore, cum dignitate, et sapienter tulerit vitae conditionem conversam, id est, dissimilem illi quam instituit, si, ut ajunt, abundare sciat et egere. *m*) Diogenes qui pallium quo solo erat amictus, contra frigoris vim, duplicabat. Cynici quippe ut res humanas contemnere viderentur paupertatis ac patientiae famam affectabant, adeoque duplici veste non utebantur, sed unico pallio, quod si opus foret, duplicarent. *n*) Aristippus.

a) Pauperis, tenui cum veste: divitis, cum purpurea. *b*) Diogenes. *c*) Miletus Asiae insula, in qua panni eximii texebantur. *d*) Proverbium, idest, vehementissime: canem rabiosum aut iratum intellige. *e*) Sententia est. Si magnum

Attingit solium Iovis, et caelestia tentat:
Principibus placuisse viris, non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum *f*).
Sedit *g*), qui timuit *h*) ne non succederet, esto:
Quid? qui pervenit *i*), fecitne viriliter? Atqui
Hic est *k*), aut nusquam, quod quaerimus. Hic onus horret
Ut parvis animis, et parvo corpore majus:
Hic subit, et perfert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium recte petit experiens *l*) vir.
Coram rege suo *m*) de paupertate tacentes,
Plus poscente *n*) ferent, distat, sumasne pudenter *o*)

est et laude dignum res praeclaras gerere, hostes bello captos, per urbem in triumpho ducere, si hoc ad Jovis solium, et gloriam proxime accedit, id est, divinum quidpiam est, et caelestibus rebus simillimum, certe non contemnenda, nec minor est laus, et gloria viris principibus placuisse; eaque non omnibus contingit, quemadmodum paucis evenit, ut in Corinthi portum navem inoffensam provehant. Erat enim aditus in portum angustior et periculosus. *f*) Est urbs, olim amplissima, nunc exigua, in faucibus Isthmi Peloponesiaci. Vide Oden 1. lib. 4. *g*) Cessavit, non tentavit. *h*) Qui timuit ne non placeret viris principibus quievit, periculum facere noluit. *i*) Placuit; voti compos factus est. *k*) Id agitur, id quaeritur uter laude dignior sit, is qui principum amicitiam prudenter colit, an ille qui eam fugit. Patet certe illum qui scit uti viris principibus virilius facere, et fortius; atque adeo recte illi praemium et laudem deberi, quae virtuti debetur, nisi quis virtutem, rem inanem esse putat ac nullius utilitatis, quod certe non ita est. *l*) Qui rem tam difficilem, quam difficilis est amicitia principum, experiri et tentare audet, qui voti compos sit. *m*) Divite quem colunt. *n*) Plura obtinebunt et auferent ab suo rege, quam is qui aperto poscat, seque pauperem esse clamitet. *o*) Honeste et vere-

An rapias *p*). Atqui rerum caput *q*) hoc erat, hic fons,
Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis:nec pascere firmus *a*),
Qui dicit *b*): clamat : victum date. Succinit alter,
Et mihi dividuo findatur munere quadra.
Sed tacitus pasci si posset corvus *c*) haberet
Plus dapis et rixae multo minus, invidiaeque.
Brundusium *d*) comes *e*) aut Surrentum ductus amoenum
Qui queritur salebras, et acerbum frigus, et imbres,
Aut cistam *f*) effractam, et subducta *g*) viatica plorat,

eunde. *p*) Extorqueas importunis precibus. *q*) In hoc vertitur ars illa de qua hic agimus ; hoc unum maxime necessarium est ad colendas majorum amicitias, nempe ut nihil, aut pudenter et modice poscas : vel, haec est prima et praecipua causa colendi majorum amicitias ut aliquid lucri faciamus.

a) Qui non sufficit ad me alendum. *b*) Qui sic cum suo rege queritur ; habeo sororem nobilem, sed carentem dote etc. is idem facit ac si clamitaret aperteque posceret victum, pecuniam etc. Sed alter qui poscentem audit, nempe aemulus aliquis et competitor, succinit, id est, post illum canit, clamatque, oro te, o Rex, quadram, id est, dapes, aut pecuniam, rem quam illi donaturus es, mecum divide. Quadra ut hic sumitur est genus quoddam placentae aut panis, qui quatuor in partes leviter in extima superficie divisus erat ; vel quadrata erat forma. Interdum sumitur pro disco, cui dapes in mensa imponitur, is olim e tritico, nunc e metallo fieri solitus: pro pane et cibis quibuslibet, accipitur. *c*) Fingit Aesopus Corvum gestientem quod caseum reperisset, ab avibus supervenientibus, orta de caseo rixa mulctatum et parte dapis spoliatum fuisse. *d*) Urbem in Calabria ad mare : Surrentum, in Campania ad sinum Puteolanum. *e*) Qui divitem aliquem colit, assectatur, comitatur. *f*) Arculam. *g*) Furto

Nota refert *h*) meretricis acumina, saepe catellam *i*)
Saepe periscelidem *k*) raptam sibi flentis: uti *l*) mox *m*)
Nulla fides damnis, verisque doloribus adsit.
Nec semel *n*) irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum: licet illi plurima manet *o*)
Lacrima, persanctum iuratus dicat Osirim *a*)
Credite; non ludo *b*): crudeles tollite *c*) claudum.
Quaere peregrinum *d*) vicinia rauca reclamat.

rapta. *h*) Imitatur astutias argutae meretricis, quae multa se perdidisse ait, ut aliquid nummorum ab amatore auferat. *i*) Vel caniculam, vel catenulam et monile. *k*) Taeniam, qua crus ligatur vel ornatur. *l*) Adeo ut. *m*) In posterum, postea. Ita saepe levia ista damna et ficta deplorat, ut nemo illi fidem adhibeat cum aliquid vere amisit, vereque dolet. *n*) Nemo magis credit illis querulis et petentibus, quam alicui plano, id est, impostori et mendicabulo, qui mentiatur sibi crus esse fractum, et erigi se roget. *o*) Emanet, fluat.

a) Deus fuit Aegyptiorum, etiam Romae cultus, cum Iside uxore sua: eum implorat iste planus, quia aegris medebatur, et calamitosis. *b*) Non iocor, serio loquor. *c*) Erigite, deportate. *d*) Id est hominem cui sis ignotus, quales sunt hospites et peregrini, nos enim technas tuas novimus, inquiunt vicini.

EPISTOLA XVIII. *Quomodo colenda sit maxime cum viris principibus, amicitia.*

Si bene te novi, metues *e*) liberrime *f*) Lolli,
Scurrantis *g*) speciem praebere, professus *h*) amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit, atque
Discolor *i*), infido scurrae distabit amicus.
Est huic *k*) diversum vitio vitium prope maius
Asperitas agrestis, et inconcinna gravisque *l*)
Quae se commendat *m*) tonsa cute, *n*), dentibus atris,
Dum vult libertas mera dici, veraque virtus.
Virtus est medium vitiorum, et utrimque *o*) reductum.
Alter *p*) in obsequium plus aequo pronus, et imi
Derisor lecti *q*), sic nutum divitis horret,

e) Cavebis. *f*) Qui libertatem in vivendo et sentiendo deamas. Porro quis fuerit iste Lollius vide Epist. 2. huius libri. Videtur autem haec Epistola fuisse ad Lollium patrem scripta, cum ille Caio, Caesaris Augusti nepoti comes et moderator adhibitus in Armeniam, cum eo profecturus esset. *g*) Illiberaliter adulantis. *h*) Quando te alicuius amicum esse profiteris, quando cum eo, ut cum amico agis. *i*) Dissimilis. *k*) Scurrilitati, ineptae comitati. Est aliud vitium scurrili adulatione diversum, et illa prope maius, nempe asperitas agrestis. *l*) Molesta, incommoda. *m*) Laudem captat. *n*) Opinione austeritatis, horrido squallore totius corporis, capillorum, dentium. Cutem forficibus tondebant agrestes, et parum culti: radebant novacula elegantes, ac nitidi. *o*) Ab utroque extremo defectu et excessu, remotum. *p*) Qui scurriliter assentatur. *q*) Eorum, qui sunt in infimis lectis ad mensam, ac proinde ignobiliores: dum eos, in quam ridet, carpitque, adeo colit observatque religiose divitem amicum, qui summo in lecto tamquam in loco honoratiori accumbit, sic ad eius nutum trepidat, sic repetit quaecumque dixerit, ut audire te credas puerum qui lectio-

Sic iterat voces, et verba cadentia *r*) tollit;
Ut puerum saevo credas dictata magistro
Reddere, vel partes *a*) minimum tractare secundas.
Alter *b*) rixatur de lana *c*) saepe caprina,
Propugnat *d*) nugis armatus, scilicet, ut non *e*)
Sit mihi prima fides, et vere, quod placet, ut non
Acriter elatrem? Pretium aetas altera sordet.
Ambigitur quid enim? Castor sciat an docilis plus;
Brundusium Minuci *f*) melius via ducat, an Appi.
Quem *g*) damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,

nem a magistro dictatam repetat etc. *r*) Verba ex ore divitis quasi temere excidentia, dicta sine ullo certo consilio. *Tollit*, id est excipit, laudat notari ab aliis, tamquam egregie et mire dicta, iubet.

a, In actoribus comoediarum erat actor quidam praecipuus, qui primariam fabulae personam agebat; alii qui alias: isti non servabant, cavebantque ne tanta contentione agerent, loquerenturve, quanta primus actor, sive primarum partium. *b*) Agrestis et inurbanus. *c*) De re nihili. *d*) Pro nugis pugnat, quasi res armis ageretur. *e*) Egone, inquit agrestis ille, patiar ut non uni mihi prae ceteris credatur si quid dixero? Ut non defendam acriter quod mihi placebit, ac verum esse videbitur? Non patiar, quamvis mercedis loco mihi promittatur aetas altera, id est, tantum vitae quantum hactenus exegi. At enim de qua tandem re controversia est, quae tantam illa agresti bilem moveat? Nempe agitur an Castor sit eruditior quam docilis, duo Poetae vel ludimagistri, aut etiam gladiatores etc. *f*) A L. Minutio strata et ornata. Is in seditione per Spurium Melium excitata, utilem Reipublicae operam navavit: quam ob causam statua illi portam Trigeminam, quae idcirco etiam Minucia, dicta est. Potius ita legendum quam Numici, qua in voce penultima produci solet: tum nullibi fit mentio viae Numiciae: fit autem apud Plinium Portae Minutiae, seu Trigeminae, unde viam coniunctam nomen invenisse credibile est. *g*) Ordo est. Saepe amicus dives

Gloria quem supra vires et vestit, et ungit,
Quem tenet argenti sitis importuna, famesque,
Quem paupertatis pudor, et fuga: dives amicus
Saepe decem vitiis instructior, odit, et horret.
Aut, si non odit, regit *a*), ac veluti pia mater
Plus, quam se sapere, et virtutibus esse priorem
Vult, et ait prope vera *b*) Meae (contendere noli) *c*)
Stultitiam patiuntur opes, tibi parvula res est:
Arcta decet sanum comitem toga: desine mecum
Certare. Eutrapelus *d*), cuicumque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa, beatus *e*) enim iam

odit ac fugit amicum tenuiorem qui opes damnosa et foeda libidine aut alea dilapidat, qui supra suas vires sumptum in vestes et mensam facit. Licet ipse dives sit decies vitiosior et sceleratior amico illo tenuiori cliente suo. Secundum hoc quasi praeceptum est ad colendam amicitiam necessarium, ut nempe virtutem colat, qui placere vult amico potentiori quamvis scelerato: quia nemo scelus in aliis amat.

a) Monitis prudentibus quasi gubernat instruitque, et quidem veris: noli, inquit, mecum certare sumptibus, luxu etc. nam fas est mihi, quia dives sum, insanos istos sumptus facere ac desipere: tibi, pro tenuitate tua, non licet: si sanus es, modum tenebis in vestibus etc. *b*) Non omnino vera, sed fere vera et certo quodam sensu. Nulli quidem desipere sic licet: minus tamen pauperi quam diviti. *c*) Mihi dicenti crede, neque mecum iurgare. *d*) Forte nomen fictum est: ea vox enim a Graeca voce derivatur significante hominem comem, urbanum. Hoc Poeta dicit, ut ostendat vere a divite pronunciatum hoc esse, *Stultitiam patiuntur opes.* *e*) Eleganter vestitus,

Cum pulchris tunicis sumet nova consilia, et spes,
Dormiet in lucem: scorto postponet honestum
Officium: numerus alienos pascet *f*): ad imum *g*)
Thrax *h*) erit, aut olitoris aget *i*) mercede caballum.
Arcanum neque tu scrutaberis ullius umquam,
Commissumque teges, et vino tortus *k*), et ira.
Nec tua laudabis studia *l*) aut aliena reprendes,
Nec, cum venari volet ille *m*), Poemata panges *n*)
Gratia *o*) sic fratrum geminorum, Amphionis *p*), atque
Zethi dissiluit, donec *q*) suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse *r*) putatur
Moribus Amphion, tu cede potentis amici
Lenibus imperiis, quotiesque educet in agros
Aetetolis *s*) onerata plagis iumenta, canesque,
Surge, et inhumanae senium *a*) depone Camoenae.

lautus, ac dives. *f*) Usuris ac foenore augebit pecuniam, quam ipse fuit mutuatus. *g*) Denique. *h*) Gladiator. Vid. Sat. 6. l. 2. *i*) Erit agaso: equum olitoris certo pretio ducendum in macellum, sumet. *k*) Quamvis ebrius et iratus. *l*) Occupationes, exercitationes. *m*) Amicus dives. *n*) Facies. *o*) Discissa est concordia, et amicitia. *p*) Amphion, et Zethus Jovis ex Antiopa filii, dissimillimis studiis fuere: hic agriculturam, ille musicam et musas coluit. *q*) Donec lyram deposuit Amphion, quae fratri severo suspecta, et odiosa. *r*) Obsequutus esse, in gratiam fratris musicam intermisisse. *s*) Plagae sunt retia densiora, et arctioribus maculis distincta: nota est venatio apri Calidonii in Aetolia, quae pars est Graeciae, ad occidentem Achaiae, supra Peloponnesum. Ovid. Metam. lib. 8.

a) Taedium, molestiam, idest, musas venatori odiosas.

Coenes ut pariter pulmenta *b*) laboribus empta ;
Romanis solemne *c*) viris opus, utile famae,
Vitaeque, et membris; praesertim cum valeas, et
Vel cursu superare canem, vel viribus aprum
Possis. Adde, virilia *d*) quod speciosius arma *e*)
Non est, qui tractet. Scis quo clamore coronae *f*)
Praelia sustineas campestria *g*). Denique saevam
Militiam puer *h*), et Cantabrica *i*) bella tulisti
Sub duce *k*); qui templis Parthorum signa refixit *l*),
Et nunc, si quid abest *m*), Italis adiudicat *n*) armis.
Ac ne te retrahas *o*), et inexcusabilis absis:
Quamvis nil extra *p*) numerum fecisse, modumque

b) Carnes ferinas. *c*) Quod est opus usitatum Romanis: nempe, coenare pulmenta, venatica, venari. *d*) Fortia, quibus viri militares utuntur. *e*) Maiori cum dignitate, et decore. *f*) Plausu populi circumstantis undique in orbem. *g*) Exercitationes, et ludicra certamina in campo Martio fieri solita. *h*) In tenera aetate. *i*) Cantabri sunt Hispaniae populi. Vid. Oden 1. lib. 2. *k*) Augusto. *l*) Revulsit. Vid. 2. Indicem Odarum annum 734. *m*) Vincendum restat. *n*) Quasi lata sententia Romanis attribuit, et adiungit. *o*) Ne ab amico potenti discedas, et removeas, et eum deseras venari volentem, aut ludicro alicui spectaculo, et exercitationi indulgere: hoc profecto si faceres, si te retraheres ab illo, esses inexcusabilis: nam illas ludicras exercitationes ipse privatim, domi tuae usurpare soles: quamvis omnia prudenter, et in loco geras, tamen interdum in villa paterna ludis et umbratili exercitatione animum relaxas. *p*) Metaphora sumitur a saltantibus aut

Curas interdum nugaris rure paterno :
Partitur lintres exercitus. Actia pugna
Tu duce per pueros hostili more refertur *q*).
Adversarius *a*) est frater , lacus , Adria donec
Alterutrum velox victoria frode *b*) coronet.
Consentire *c*) suis studiis *d*) qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice *e*) ludum :
Protinus *f*) ut moneam. (Si quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro et cui dicas , saepe videto.
Percunctatorem *g*) fugito; nam garrulus idem est

canentibus. Sui sunt , ut in his artibus , sic in vita , et prudentia numeri , ac modi. *q*) Id est , repraesentatur coram te per tuos servos pugna commissa inter Augustum , et Antonium ad Actium Epiri promontorium ; lintres qui sunt in villae lacu dividuntur quasi duo essent navales exercitus , etc. De pugna Actiaca vide 2. Indicem Odarum ad annum 723.

a) Tuus frater locum tenet adversarii , seu Antonii ; lacus villae , seu stagnum aliquod , repraesentat mare Adriaticum , cuius in extrema parte ad Graeciae oram Augustus pugnavit. *b*) Laurea. *c*) Sententia est : si vis istas ludicras , quae tibi placent , exercitationes ab amico probari, tu illius quoque occupationes, v. g. venationem, etc. proba , neque te retrahe ab illo, cum venatur, etc. *d*) Iis quae amat, quae studet. Si amicus te suis oblectationibus oblectari et arridere viderit , tuis quoque applaudet. *e*) Cum Romani favebant alicui gladiatori generoso in arena certanti, si accideret ut ab adversario superatus veniret in vitae discrimen, iubebant eum vivere , et eum favorem significabant ambos pollices premendo, ut diserte docet Plin. l.28.cap.2. Contra vero si cui essent infensi, si quem occidi iuberentur alterum pollicem vertebant. Porro pollices premere nihil aliud erat quam utraque manu sublata pugnoque facto pollices ipsos intra pugnum arcte vehementerque comprimere. Pollicem vertere erat, altera manu sublata, inque pugnum pariter contracta, pollicem a pugno reductum attollere , eumque vel in gyrum vertere, vel humum versus deprimere. Vide Iuvenalem, Sat. 3. *f*) Praeterea, statim, deinceps : ut monere porro te pergam. *g*) Curiose de omnibus interrogantem.

Nec retinent patulae *h*) commissa *i*) fideliter aures :
Et semel emissum volat irrevocabile verbum:
Qualem commendas etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, et quondam non dignum tradimus *k*). Ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri *l*):
Ut penitus *m*) notum si tentent crimina, serves,
Tuterisque tuo fidentem praesidio : qui *n*)
Dente Theonino cum circum roditur; ecquid
At te post paullo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici :
Expertus metuit. Tum dum tua navis in alto *a*) est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi,
Sedatum *b*) celeres, agilem gnavumque remissi,
Potores bibuli *c*) media de nocte *d*) Falerni

h) Quae clausae non sunt, ut arcanum retineant. *i*) Arcana tibi credita : arcanum cum fide non servant. *k*) Commendamus. *l*) Illi favere, qui reus sit. *m*) Ut alium, quem probe noris, accusatum defendas. *n*) Qui innocens cum maledico dente carpitur, an non vides te quoque periclitari, te brevi idem periculum aditurum? Theon fuit poeta Graecus, famosus obtrectator.

a) Dum favet tibi fortuna, dum secundo vento proveheris. *b*) Placidum, moderatum. *c*) Bibaces. *d*) Qui convivia pro-

Oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
Nocturnos iures te formidare vapores *e*).
Deme supercilio nubem *f*), plerumque modestus
Occupat *g*) obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges, et percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum,
Ne te semper inops *h*) agitet, vexetque cupido;
Ne pavor, et rerum mediocriter utilium spes;
Virtutem doctrina paret, naturave donet:
Quid minuat curas: quid te tibi reddat *i*) amicum.
Quid pure tranquillet *k*), honos, an dulce lucellum.
An secretum iter *l*), et fallentis *m*) semita vitae.
Me quoties reficit gelidus Digentia *n*) rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus.
Quin sentire putas? quid credis amice precari.
Sit mihi, quod nunc est; etiam minus: ut mihi vivam
Quod superest aevi, si quid superesse volunt Di:
Si bona librorum, et provisae frugis in annum

ducunt usque in mediam noctem. *e*) Vini fumos qui somnum auferunt, caput excruciant. *f*) Tristitiam, quae frontem contrahit, remove. *g*) Qui modestus est plus aequo et gravis: obtinet speciem obscuri, id est videtur obscurus; hoc est tectus, astutus, morosus existimatur. *h*) Avaritia quae semper eget, tam iis quae habet, quam quae non habet. *i*) Quid sit in quo acquiescas, placeas, tibi, teque ames: quid genio tuo, et indoli maxime conveniat. *k*) Tranquillitatem animi sinceram tibi afferat. *l*) Id est, vitae ratio secreta et ab negotiis disiuncta. *m*) Ignotae, obscurae, latentis. *n*) Rivulus per agrum Horatii serpens, prope Mandelam pagum septemtrioni expositum in colle, unde frigus, quo rugosa et contracta fiunt corpora.

Copia, ne fluitem *a*) dubiae spe pendulus horae.
Sed satis est orare Iovem, qui donat et aufert.
Det vitam, det opes; aequum *b*) mi animum ipse parabo *c*).

EPISTOLA XIX. *Poetas eo carpit, quod aliorum pravi esse imitatores gestiant, cur sua carmina non ita quibusdam placeant, docet.*

PRisco si credis, Moecenas docte, Cratino *d*),
Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aqua potoribus: ut *e*) male sanos,
Adscripsit Liber Satyris, Faunisque Poetas.
Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae *f*),
Laudibus arguitur *g*) vini vinosus Homerus.

a) Incertus sim et anxius sperans vitam longiorem, quae penitus incerta est: ne metu mortis angar. *b*) Aequabilem, rebus praesentibus contentam. *c*) Id vero nemo sine divino beneficio facere potest, quidquid Stoici deblaterent, quos hic sequitur Horatius. *d*) Fuit ille Atheniensis poeta, veteris comoediae scriptor celebris: homo ebriosus, qui quod dixerit poetam esse neminem posse, nisi vinosus idem esset, putabant Horatii tempestate omnes qui poeticam colebant, vino sibi esse indulgendum. Quod Horatius merito reprehendit, in eoque imitandum Cratinum esse negat. *e*) Ex quo Bacchus poetas in suam fidem et tutelam recepit et adnumeravit inter Satyros et Faunos Deos agrestes, Bacchi comites. Sunt autem poetae in fide Bacchi, quia poesis insaniae aliquid et furoris habet; adde quod comoedia vetus a Bacchi festis et laudibus initium duxerit. Vide artem poeticam. Praeterea antiquissimum genus carminis sunt Satyri, sic dictum quod a poetis caneretur et ageretur Satyrorum cultu et more indutis. *f*) Versus dulces et boni vinum vulgo mane potatum olent, id est, ab eo scripti sunt, qui matutino vino prolutus fuerit. *g*) Reprehenditur, convincitur esse vinosus, quia vinum saepe laudat.

Ennius *h*) ipse pater numquam, nisi potus, ad arma *i*)
Prosiluit dicenda. Forum, putealque *k*) Libonis
Mandabo siccis, adimam *l*) cantare severis *m*).
Hoc simul edixit *n*); non cessavere poetae
Nocturno certare mero, putere *a*) diurno
Quid *b*)? Si quis vultu torvo ferus et pede *c*) nudo
Exiguaeque togae simulet textore *d*) Catonem,
Virtutemne repraesentet; moresque Catonis?
Rupit *e*) Hyarbitam Timagenis *f*) aemula lingua;
Dum studet urbanus *g*), tenditque disertus haberi,
Decipit *h*) exemplar vitiis imitabile. Quod si

h) Poeta Latinus antiquissimus, natus Rudiis in Calabria anno U. C. 514. de illo vide Oden 7. l. 4. *i*) Descripsit enim bellum Punicum 2. *k*) Vide Satyr. 6. l. 2. *l*) Vetabo ne cantent, versus faciant. *m*) Abstemiis, aquae potoribus. *n*) Cratinus videlicet: cuius sententiam initio epistolae recitat, ac allatis de suo exemplis confirmat: potest etiam legi, *Edixi*, ut in quibusdam MSS. Cod. legitur.

a) Foetere. *b*) Negat poetas, etsi exemplo Cratini, Ennii, Homeri potores boni sint, esse tamen poetas bonos, ut illi sunt: sicut qui vultum atrocem Catonis Uticensis et vestem simularet, non idcirco virtutum eius compos esset. *c*) Solebat Cato in publicum prodire sine calceis, imo provincias totas obire. *d*) Pro textura seu texta veste: per Synecdochen, qua artifices et auctores pro artefactis et operibus ponuntur; sic dixit Iuvenalis, *Rarae sine Mentore mensae*, id est, sine signis a Mentore caelatis. *e*) Timagenes aemulus Iarbitae, sive Hyarbitae fuit in causa cur Iarbitas disrumperetur prae invidia dum Timagenis dicacitatem et eloquentiam aemulari studet. *f*) Ferunt illum Timagenem fuisse Rhetorem, seu Sophistam Alexandrinum, Iarbitam eius aemulum. *g*) Facere eloquens. *h*) Exemplar aliquod, in quo sunt vitia, quae quis imitari possit, cum in fraudem inducit, vitia non virtutes imitantem.

Pallerem casu *i*), biberent *k*) exangue cuminum *l*),
O imitatores servum pecus *m*); ut mihi saepe
Bilem *n*), saepe iocum vestri movere tumultus *o*)!
Libera per vacuum *p*) posui vestigia princeps *q*);
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit
Dux regit examen *r*). Parios *s*) ego primus iambos
Ostendis Latio, numerosanimosque *t*) sequutu
Archilochi, non res, et agentia *u*) verba Lycamben.
Ac ue me foliis *x*) ideo brevioribus ornes:
Quod timui *y*) mutare modos *z*), et carminis artem:
Temperat *a*) Archilochi Musam pede mascula *b*) Sappho
Temperat Alcaeus, sed rebus *c*), et ordine dispar,

i) Non dedita opera, sed sorte. *k*) Mei imitatores. *l*) Herba quaedam est, cujus succus facit exangues et pallidos. *m*) Qui servilem in modum alios sequimini. *n*) Stomachum, iram. *o*) Vestra trepidatio, contentio, *p*) Locum subaudi. *q*) Primus. *r*) Non dubitabit se aliorum ducem profiteri. Metaph. ab apibus ducta. *s*) Inventos primum in Graecia ab Archiloco nato in insula Paro: est ea in Aegaeo mari. *t*) Poeticos spiritus. *u*) Adigentia ad laqueum. Vide lib. Ep. Od. 6. *x*) Minore corona: ne me parcius laudandum putes. *y*) Nolui. *z*) Pedes versus Iambici.

a) Ita scripsi versus Iambicos exemplo Archilochi, ut eos temperaverim admixtis versibus Sapphicis et Alcaicis. *b*) Fortis et virilis animi, carminisque. *c*) Sed Alcaeus meus, id est, versus Alcaici a me scripti, dissimiles sunt versibus Archilochi, quod spectat materiam et rerum dispositionem: non enim quaero, ut Archilocus, soccrum quem carminibus maledicis in-

Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat
 d) atris.
Nec sponsae *e*) laqueum famoso carmine nectit.
Hunc *f*) ego non alio dictum priusore, Latinus
Vulgavi fidicen. Iuvat immemorata *g*) ferentem
Ingenuis oculisque legi; manibusque teneri.
Scire velis; mea cur ingratus opuscula lector
Laudet, ametque domi, premat *h*) extra
 limen iniquus?
Non ego ventosae plebis suffragia venor
Impensis coenarum, et tritae munere vestis,
Non ego nobilium scriptorum auditor et
 ultor *i*),
Grammaticas ambire tribus *k*), et pulpita *l*)
 dignor
Hinc illae lacrimae *m*). Spissis *n*) indignà
 theatris
Scripta pudet recitare: et nugis addere pondus.
Si dixi, Rides, ait, et Iovis auribus ista

secter. *d*) Dedecoret. *e*) Nec adigit sponsam nectere sibi laqueum et se suspendere, furentem ob famosum carmen in se scriptum. Neobula Lycambae filio Archilochi filio desponsa, post patrem se suspendit. Epod. 6. *f*) Iambicum versum. *g*) Canentem versus non antea dictos a quoquam et memoratos. *h*) Vituperet foris, extra suam domum. *i*) Dum eos vicissim invito ad mea carmina audienda, sicque ulciscor taedium, quo me affecerunt, cum mihi recitarent sua. Ita Iuvenalis, *Semper ego auditor tantum, numquamne reponam?* *k*) Proprie erant populi Romani partes 35. quas candidati ambiebant, ad captanda suffragia. Non prenso et conciliare mihi conor Grammaticos, ut mea probent carmina. *l*) Ludos litterarios, musae Grammaticorum: pulpitum proprie suggestus est et locus editior, cathedra docentis. *m*) Hinc illa Grammaticorum invidia et indignatio. *n*) Ordo est. Si dixi: Pudet me recitare mea carmina, quippe indignae quae recitentur in theatro coram frequenti corona, tunc aliquis mihi dicit, ridere me, et mea carmina

Servas: fidis o) enim manare p) Poetica mella
Te solum, tibi pulcher q). Ad haec ego naribus s) uti
Formido, et luctantis acuto ne secer ungui:
Displicet iste locus, clamo, et diludia a) posco
Ludus b) enim genuit trepidum certamen, et iram;
Ira truces inimicitias, et funebre c) bellum.

EPISTOLA XX. *Librum ipse suum exire cupientem compellat, et quaedam Lectoribus renuncianda mandat.*

VErtumnum d), Ianumque, Liber, spectare videris:
Scilicet ut prostes e) Sosiorum f) pumice g) mundus,
Odisti claves, et grata sigilla pudico h);

servare unis auribus Iovis, id est, Augusti. o) Confidis, tibi persuades. p) Edere, effundere: active hic ponitur. q) Tuo iudicio Poeta bonus. Suum enim cuique pulchrum. r) Irridere hominem, qui haec mihi dicit, parco: et ne iste criticus iratus me unguibus suis faceret, si mecum luctetur, pugnam detrecto, locum hunc, id est Theatrum, in quo mea carmina recitentur scilicet, tanquam tristem arenam (in arena gladiatores pugnabant) displicere mihi clamo et respirandi spatium ac pugnae dilationem posco.

a) Erant dies quidam gladiatoribus dari soliti, ut ab ludo et certamine gladiatorio vacarent viresque otio reficerent. b) Ex ludrica contentione rixa saepe gravior oritur, e rixa, ira, etc. c) Funestum. d) Erat Vertumni templum et statua, ut etiam Iani proprie forum Romanum, qui locus ab hominum frequentiam cum celebraretur sibi suas taberna, et pilas bibliopolae habebant. Vertumnus a vertendo dicitur, quia in varias formas vertere se Deus ille credebatur: hinc praeerat foro et commercio in quo res venditione et emptione aliae aliis commutantur. e) Venalis exponere. f) Sosii erant bibliopolae tum inclyti. g) Cartam poliebant pumice, et complanabant, maxime membranam. h) Librum intactum et nondum editum ap-

Paucis ostendi gemis, et communia laudas,
Non ita *i*) nutritus. Fuge: quo discedere gestis:
Non erit emisso reditus tibi: Quid miser egi?
Quid volui? Dices, ubi quis te laeserit. Et scis
In breve te cogi *k*), cum plenus *l*) languet amator.
Quodsi *m*) non odio peccantis desipit augur,
Charus eris Romae, donec te deserat aetas *a*)
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Coeperis, aut tineas *b*) pasces taciturnus *c*) inertes,
Aut fugies *d*) Uticam, aut unctus *e*) mitteris Ilerdam *f*).
Ridebit monitor *g*) non exauditus; ut ille,
Qui male parentem *h*) in rupes detrusit asellum
Iratus. Quis enim invitum ervare laboret?
Hoc quoque te manet *i*), ut pueros elementa *k*) docentem

pellat Martialis virginem cartam. *i*) Quamvis non ita fueris apud me educatus et iustio tutus: sum enim paucorum hominum. *k*) Complicari et convolvi. *l*) Tui fastidiosus lector, tui satur. *m*) Quod si ego, qui tibi peccanti, ut augur, futura mala denuncio, non desipio, id est, nou fallor, odio tui qui peccas graviter, cum exire gestis. Odio aut alia cupiditate praepediti vera vix dicunt aut sentiunt.

a) Iuventus: donec eris novus et recens. *b*) Eris praeda et esca tinearum, ut rebus neglectis evenit. *c*) Quia nemo te leget: cum libris quasi colloquimur. *d*) Mitteris Uticam, Africae Urbem Catonis morte notam, nempe ut tamquam novus illis legaris: vel ut merces eo missas involvas. *e*) Involucrum pinguium mercium fies. Legitur etiam *vinctus*: id est, ad fascem aliquem tegendum adhibeberis. *f*) Urbs est Hispaniae, in Catalaunia. *g*) Ego qui te iam admoneo. *h*) Ire quo iubebatur, et obedire nolentem. *i*) Tibi est eventurum. *k*) Litteras.

Occupet *l*) extremis in vicis balba senectus,
Cum tibi Sol tepidus *m*) plures admoverit aures *n*):
Me libertino *o*) natum patre, et in tenui re
Maiores *p*) pennas nido extendisse loqueris:
Ut quantum *q*) generi demas, virtutibus addas,
Me primis *r*) Urbis belli placuisse, domique,
Corporis exigui, praecanum *s*), solibus aptum *t*),
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percunctabitur aevum.
Me quater undenos *u*) sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius *x*) anno.

l) Ut senex fiat, ut vitam tuam ad senectutem usque traducas in aliquo ludo litterario docens pueros legere: libri vilissimi huic rei et officio destinantur. *m*) Dies in occasum inclinans, cum se frangit calor. *n*) Auditores: pueros litteras discentes, vel alios qui audire te velint. *o*) Filio liberti: libertus est servus donatus libertate. *p*) Ultra nidum pennas protulisse: longius a nido evolasse, id est, humilitatem mei generis fama et opibus superasse: in natali obscuritate et inopia non constitisse. *q*) Itaque compensabis generis mei ignobilitatem, eruditionis et virtutis meae commendatione. *r*) Viris clarissimus, ut Augusto, Moecenati etc. in bello et pace probatum fuisse. *s*) Canos ante tempus crines gerentem. *t*) Libenter apricari, hoc est, ad solem consistere, solitum. *u*) Annos 44. natum fuisse, Consulibus Lollio et Lepido, qui annus incidit in ann. U. C. 733. Vixit autem plures ab illo annos Horatius, ut videre est in ejus vita huic libello praefixa, et in Indice Odarum secundo. *x*) Quo Marcus Lollius accepit collegam et socium consulatus Q. Aemilium Lepidum.

Q. HORATII FLACCI EPISTOLARUM

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I. *Ab Augusti laudibus, cui scribit hanc Epistolam, ad laudes Poetarum delabitur, ait recentiores nihil concedere veteribus. Graecos praeluxisse Romanis: horum quaedam peccata perstringit: ad extremum hortatur Augustum, ut eos fovere, ac tueri pergat, maxime praestantiores, qui res ipsius praeclare gestas possint scribere pro dignitate.*

CUM tot sustineas et tanta negotia solus;
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emenpes; in publica commoda peccem;
Si longo sermone moret *a*) tua tempora Caesar.
Romulus et Liber *b*) pater, et cum Castore *c*) Pollux,
Post ingentia facta Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt *d*) genus, aspera bella
Componunt *e*), agros assignant *f*), oppida condunt,
Ploravere sui non respondere favorem *g*)
Speratum meritis. Diram qui *h*) contudit hydram, *i*)

a) Te occupatum distineam. *b*) Bacchus, ita dictus, quia curis animum liberat. *c*) Vide lib. 1. Od. Ode 3. *d*) Excolunt, ornant, tuentur. *e*) Finiunt. *f*) Colendos, praemii loco, ut emeritis militibus, vel certis limitibus suos cuique attribuunt *g*) Famam, gloriam: doluerunt non tanti se fieri quanti par esset, ac merebantur. *h*) Hercules. *i*) Serpens fuit inusitatae

Nataque fatali *k*) portenta *l*) labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine *a*) domari.
Urit *b*) enim fulgore suo, qui praegravet artes
Infra se positas: extinctus amabitur idem.
Praesenti *c*) tibi maturos largimur honores,
Iurandasque *d*) tuum per nomen ponimus aras,
Nil *e*) oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus *f*) hic populus sapiens et iustus in uno *g*)
Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo;
Cetera nequaquam simili ratione, modoque
Aestimat; et, nisi quae terris semota *h*) suisque

magnitudinis prope Lernam paludem, ad urbem Argos: erant illi plura capita, quorum si unum secaretur, alia duo subnascebantur: illam tamen Hercules igne ac ferro domuit. Vide Oden 3. libri 4. *k*) Jupiter edixerat, ut si prius nasceretur Euristheus Rex Mycenarum quam Hercules, imperaret Herculi pro arbitrio: fecit Iuno, ut prior Euristheus in lucem ederetur. *l*) Monstra.

a) Morte. Illi mortuo invideri desitum est. *b*) Ordo est. Qui enim praegravat, id est, deprimit, artes infra sepositas, id est, artifices inferiores, deteriores: qui ceteris in arte aliqua praestantior est, illos suo splendore nominis sui fama urit, id est, male habet, cruciat, accendit ad invidiam. Nimia luce oculi uruntur ac perstringuntur. *c*) Viventi, superstiti; sententia est; invidetur claris hominibus, dum vivunt, iidem mortui laudantur: tibi etiam vivo deferentur honores maturi, id est, quos jam mereris, quos habent tantum caeteri post mortem; vita, honoris ver, mors ejusdem quasi autumnus est, quo maturi rerum praeclare gestarum fructus, id est, fama et gloria colliguntur. *d*) Extruimus aras ad quas per tuum nomen juremus. Aram ponere et per eius cui posita sit, nomen iurare, Deorum immortalium honor est: is Augusto viventi delatus est a Romanis. *e*) Nullum talem qualis tu es. *f*) Romanus. *g*) In ea re una, quod te Romanis et Graecis ducibus anteferat. *h*) Mortua, et sua aetate perfuncta, id est, quae suum tempus,

Temporibus defuncta videt, fastidit, et odit;
Sic *i*) fautor veterum, ut tabulas *k*) peccare *l*) vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt *m*) foedera regum,
Vel Gabiis *n*) vel cum rigidis *o*) aequata Sabinis,
Pontificum libros *a*) annosa volumina vatum,
Dictitet Albano *b*) Musas in monte loquutas.
Si *c*), quia Graecorum sunt antiquissima quaeque
Scripta vel optima; Romani pensantur eadem
Scriptores trutina; non est quod multa loquamur

annos a fatis sibi attributos, peregerunt. *i*) Ita veteribus omnibus Poetis oratoribusque favens, unde dictitet musas ipsas composuisse et pronunciasse 12. tabulas etc. Quae a musis fiunt ea perfecta esse putantur et omnibus numeris absoluta. *k*) Leges Romanorum in 12. tabulas scriptas. Anno ab U.C.303. missi sunt in Graeciam decem viri, ut e legibus Graecorum optima quaeque excerperent: collegerunt illi certa quaedam capita, quae in 12. tabulas aereas incisa sunt, diuque, ius Romanum illis 12. tabulis constitit. *l*) Proponendo poenas peccantibus. *m*) Observandas esse a populo Romano decreverunt; auctoritate sua ratas esse iusserunt. *n*) Regum Romanorum foedera aequata, id est, ex aequo constituta et composita vel cum Gabiis, populi erant et urbis Italiae non procul Roma in Latio: cum iis foedus ictum est a Tarquinio Superbo, vel cum Sabinis, quorum ager supra Latium erat ad Orientem Etruriae: urbs illorum primaria, Cures. *o*) Severis, parcis, frugi.

a) Qui artem sacrificandi, titulus augurales continent. *b*) Erat ille in Italia prope Albam; quasi fuisset ille Italiae Parnassus, et eo Musae, relictis Graeciae montibus, secessissent. *c*) Si romani scriptores eadem pensantur trutina, eodem modo aestimantur, atque Graeci, apud quos vel optima, id est, longe optima, sunt ea scripta, quae sunt antiquissima; non est cur pluribus disputemus. Confitendum erit romanorum Poetarum scripta, ut quaeque sunt veterrima ita esse optima: quod tamen qui dixerit, tam absurde dixerit, quam qui negaverit durum esse quod est intra oleam, id est, nucleum; vel quod est extra in nuce, id est, putamen, Graeci veteres excelle-

Nil intra *d)* est oleam, nil extra est in nuce duri,
Venimus ad summum fortunae; pigimus, atque
Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis *e)*
Si meliora dies *f)* ut vina, poemata reddit,
Scire velim pretium cartis quotus arroget *g)* annus:
Scriptor abhinc annos centum qui decidit *h)*, inter,
Perfectos, veteresque referri debet, an inter
Viles, atque novos? Excludat *a)* iurgia finis,
Est vetus *b)* atque probus, centum qui perficit annos:
Quid, qui dederit minor uno mense, vel anno,
Inter quos referendus erit? Veteresne Poetas?
An quos et praesens, et postera respuet aetas?
Iste quidem *c)* veteres interponetur honeste,

bant in omni artium genere, recentes iacent: Romani olim rudes et imperiti iam excellunt, suntque Graecis praestantiores tum in arte pingendi, tum luctandi et canendi: imo videmur assequuti summum fortunae, id est, perfectionem omnium artium. *d)* Proverbii genus quod in eos cadit, qui aut negant quae perspicue vera sunt, aut aiunt quae perspicue sunt falsa: quid enim certius et clarius, quam id quod intra oleam est, quod in nuce est extra, durum esse? Non minus apertum est, inquit Horatius, obsolevisse veterum Graecorum gloriam, recentium Romanorum florere. *e)* Athletae corpus oleo ungebant ad vires firmandas, et habiles artus faciendos, vel etiam ut aemulis pugilibus facilius elaberentur: nudi enim pugnabant. *f)* Diuturnitas, vetustas. *g)* Acquirat, vindicet: quis numerus annorum sit necessarius ut poema in pretio sit, bonumque censeatur. *h)* Obiit centum abhinc annis.

a) Statuamus aliquem finem ac terminum, certum nempe annorum numerum, qui lites finiat. *b)* Responsio est alicuius censoris et critici quem interrogare fingitur Horatius. *c)* Ver-

Qui vel mense brevi vel toto est iunior anno.
Utor permissum *d*), caudaeque pilos ut equinae
Paullatim vello, et deme unum: demo etiam unum:
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi:
Qui redit ad fastos, et virtutem aestimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina *e*) sacravit,
Ennius *f*) et sapiens, et fortis *g*), et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant; et somnia Pythagorea,
Nevius *h*) in manibus non est, et mentibus haeret.

ba censoris. *d*) Permittis unum mensem, aut annum demere idque nihil referre ais; accipio quod das, et vello paulatim ac demo unum, item unum, et alios deinceps, ut si ex equina cauda pilos evellerem: donec acervus ille, id est, numerus centum annorum, definitus ad bonitatem poematis, exhauriatur ac ruat, et ille eludatur, id est, falsitatis coarguatur, qui ad vetustatem annorum in fastis notari soliorum recurrit etc. Fasti erant libri in quibus notabantur nomina Consulum initio cuiusque anni praefixa, et alia quae toto deinde anno gererentur. *e*) Mors. *f*) Sententia est: non tanti faciendum esse Ennium, quem tamen Critici fortem, sapientem et Homerum esse alterum affirmant: quia ille tam negligenter et dure scribit, ut parum sollicitus esse videatur de suis somniis in quibus, e doctrina Pythagorae, sibi visus erat videre animam Homeri suum in corpus transmigrare, et sibi promittere ipsum fore alterum Homerum priore non deteriorem: oblitus videtur quid promiserit ac somniaverit; adeo alter Homerus non est, abeo illi cedit. De Ennio Vide l. 1. Epist.19. et Oden 7.lib.4. *g*) Ironice appellatur Ennius sapiens, quia putabat Pythagoram olim se fuisse; fortis qui eumdem se Euphorbum militem Troianum extitisse dictitabat. *h*) Poeta vetus latinus fuit Ennio senior et incultior: vixit circa ann. U. C. 520. urbe pulsus odio Metellorum et aliorum nobilium quos maledicis versibus descripserat, obiit Uticae. Sensus est: Naevium non legi,

Poene recens, adeo sanctum est vetus omne Poema.
Ambigitur *a*) quoties uter utro sit prior: aufert *b*)
Pacuvius *c*) docti famam senis, Accius *d*) alti *e*):
Dicitur Afrani toga *f*) convenisse Menandro,
Plautus ad exemplar *g*) Siculi properare *h*) Epicharmi *i*):
Vincere Caecilius *k*) gravitate, Terentius arte.

quia eius versus in omnium animo quasi scripti sunt, ut si esset recens: vel, quamvis eius opera non extarent fere amplius, ob vetustatem, ea tamen in omnium memoria haereret adhuc.

a) Ostendit quanto in honore essent Poetae, quorum uter utri praestaret dum dubitaretur, Pacuvius doctrina excellere diceretur: Accius ingenii excelsitate· Afranius par esse iactaretur Menandro, adeo ut unius vestis alteri convenire posset, Plautus Epicharmo etc. *b*) Obtinet. *c*) Ennii nepos: Tragoedias scripsit non inconcinne, ut erant tempora. Brundusii natus obiit Tarenti prope nonagenarius, unde ab Horatio doctus senex vocatur, Olimpiadis 156. anno 3. *d*) Gravis, elati in scribendo. *e*) Fuit Pacuvio junior annis 50. inter eius Fabulas insignis ea fuit cui nomen, Atreus: quam cum Ennio aliquando recitasset, carperetque Ennius nonnulla duriuscula respondit Accius ea similia esse pomis acerbioribus quae melius conservantur ac tempore ipso mitescunt. *f*) Quia Togatas comoedias scripsit: ita vocabantur illae, quarum erat argumentum latinum, et personae: Palliatae vero dicebantur quarum et personae a Graecis erant sumptae. Porro Afranius paullo iunior fuit, quam Terentius, peracutus, et disertus, Menandri diligens imitator, unde illius toga, id est, stylus et ratio scribendi fabulas latinas, dicitur convenisse, apta esse potuisse Menandro, qui graecas scripserat; arguitur eo maxime nomine quod argumenta sua foedis amoribus inquinaverit, in quo utinam ille solus peccasset! *g*) Ad imitationem. *h*) Diligenter, ac celeriter scribere non quaerendo diverticula ut Poetae multi factitant. M. Accius Plautus natione Umber, patria Sarsinas fuit. Affirmabat Varro Musas, si latine loquerentur, Plautino sermone loquuturas. Obiit Olimpiadis 144. anno 1. U. C. 570. teste Cicerone. *i*) Fuit ille Poeta Graecus Syracusanus. *k*) Poeta cominus Mediolanensis, aequalis fere Terentii;

Hos ediscit. et hoc arcto stipata theatro
Spectat *l*) Roma potens : habet hos, numeratque poetas,
Ad nostrum tempus Livi *m*) scriptoris ab aevo:
Interdum vulgus rectum videt *a*) est ubi peccat *b*)
Si veteres ita miratur, laudatque poetas;
Ut nihil anteferat: nihil illis comparet : errat:
Si quaedam nimis, antique *c*) si pleraque dure.
Dicere credit eos, ignave *d*) multa fatetur *e*):
Et sapit, et mecum facit *f*) et Iove iudicat aequo *g*).
Non equidem *h*) insector, delendaque carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum *i*) mihi parvo.
Orbilium dictare : sed emendata videri,
Pulchraque et exactis minimum distantia, miror.
Inter quae *k*) verbum emicuit si forte decorum, et
Si versus paullo concinnior unus et alter;
Iniuste totum ducit *l*), venditque *m*) poema;

vixit uterque circa annum ab U. C. 590. Terentii comoediae extant, ab omni obscoenitate purgavimus. *l*) Fabulas ab iis compositas, et in theatro exhibitas. *m*) Livius Andronicus primus Romae Fabulam docuit, id est, exhibuit comoediam, anno antequam Ennius nasceretur, ab U. C. 514.

a) Iudicat. *b*) Aliquando fallitur. *c*) Obsolete. *d*) Humiliter, negligenter. *e*) Ordo est: si fatetur populus eos multa ignave dicere. *f*) Sentit, a me stat. *g*) Probante. *h*) Neque vero haec eo dico, quod insectari dedita opera et carpere velim carmina Livii Andronici. *i*) In plagis infligendis multum, et immitem ludi magistrum. Horatii pueri praeceptorem qui ab eo male mulctatus, meminerat plagarum ut fit. *k*) Quibus in Livii carminibus. *l*) Producit, ostentat. *m*) Venditat:

Indignor quidquam reprehendi: non quia crasse
Compositum, illepideve putetur; sed quia nuper:
Nec veniam antiquis, sed honorem, et premia posci.
Recte *n*) necne crocum; floresque perambulet Attae *o*)
Fabula, si dubitem; clament periisse pudorem
Cuncti pene patres, ea cum reprehendere coner
Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt *a*);
Vel quia turpe putant parere minoribus *b*); et quae
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.
Iam Saliare *c*) Numae carmen qui laudat, et illud,

laudat, qui merces alias vendunt, eas vulgo laudant. *n*) Si ego dubitare me dicam comoedia quaedam ab J. Quinctio Atta veteri Poeta scripta mereatur, necne in theatro recitari, quod croco sit conspersum et floribus; statim senes omnes clamabunt me esse impudentissimum, qui velim eam reprehendere comoediam, in qua fuerint actores Aesopus et Roscius, duo praestantissimi ea tempestate Histriones; quasi hoc satis argumenti foret eam esse optimam. Hunc Roscium Tullius in iudicio defendit, extatque ejus orationis pars bona. Cum illo contendere solitum ferunt, utrum ille saepius eamdem sententiam variis gestibus exprimeret, an ipse Tullius variis verbis et figuris. Est autem *Crocus* herba odorata, quae in aqua macerabatur et illi suum odorem conciliabat: ea deinde aqua spargebatur in theatrum et in populum, instar roris etc. *o*) Is eam ob rem ita vocatus fuerat quod esset *Atta*, id est, vitiosis pedibus, et quod extremis insistens plantis ambularet: hoc enim ea vox sonat: ad quam alludit Horatius hoc verbo, *perambulet*.

a) Existimant, nempe senes. *b*) Iunioribus concedere, quos se inferiores putant, et fateri ea esse perdenda, quae olim didicerunt, cum essent imberbes. *c*) Quod Salii Martis

Quod *d*) mecum ignorat: solus vult scire videri;
Ingeniis non ille favet, plauditque *e*) sepultis,
Nostra sed impugnat: nos, nostraque lividus odit.
Quod si tam Graecis novitas invisa fuisset,
Quam nobis: quid nunc esset vetus, aut quid haberet,
Quo legeret, tereretque *f*) viritim publicus usus?
Ut primum positis nugari *g*) Graecia bellis
Coepit, et in vitium *h*) fortuna labier aequa *i*);
Nunc *k*) athletarum studiis, nunc arsit equorum
Marmoris, aut eboris fabros, aut aeris amavit;
Suspendit *l*) picta vultum, mentemque tabella.
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis:
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide *m*) petiit, mature plena *n*) reliquit.
Quid placet, aut odio est, quod non mutabile credas.
Hoc *o*) paces habuere bonae, ventique secundi,
Romae dulce diu fuit et sollemne, reclusa *p*)

sacerdotes a Numa Pompilio instituti saliendo cantabant, vetus erat cantilena et obsoleta. *d*) Quod aeque ac ego, nescit; erat enim valde obscurum. *e*) Hominibus ingeniosis mortuis: non id facit ut suam veteribus dignitatem et famam afferat, sed quid recentioribus invidet. *f*) Quod dum legitur publice a singulis, usu ipso celebraretur ac teneretur. *g*) Levioribus artibus operam dare, ut picturae, statuariae etc. Unde orta sit Poesis, quam Romae frequens, quam utilis, docere incipit. *h*) Otium, luxum. *i*) Prospera. *k*) Delectata est gladiatorum spectaculis, curulibus certaminibus. Quinam forent athletae, vide in variis Odarum locis ac Satyrarum, v. g. Ode 1. lib. 4. *l*) Aspexit et mirata est suspensis oculis et animis. *m*) Vehementer, enixe. *n*) Satiata, fastidiosa. *o*) Varietatem illarum leviorum artium. *p*) Aperta.

Mane domo vigilare: clienti promere *a*) iura,
Cautos *b*) nominibus *c*) certis expendere nummos;
Maiores *d*) audire: minori *e*) dicere, per quae
Crescere res *f*) posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi studio: pueri, patresque severi.
Fronde *g*) comas vincti coenant, et carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis *h*) mendacior; et prius *i*) orto
Sole; vigil calamum, et chartas, et scrini *k*) posco.
Navem agere ignarus navis *l*) timet; abrotonum *m*) aegro
Non audet, nisi qui didicit, dare. Quod medicorum est,
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctique poemata passim.
Hic error tamen, et levis haec insania, quantas
Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus

a) Explicare. De clientibus et patronis alias dictum. *b*) Datos fidis debitoribus, et certa cautione accepta v. g. pignore aut satisdatione. Collocare pecuniam apud locupletes debitores, qui sint solvendo. *c*) Ex eo quod foeneratores eorum quibus pecunia credebant, nomina referent in argentariorum tabulas, et in suos libros, factum est ut *nominis* appellatio ad omnem pactionem, et contractum pertineret. *d*) Seniores. *e*) Junioribus. Eos praeceptis utilibus instituero. *f*) Opes. *g*) Hedera, vel lauro, unde fiebant Poetis coronae. *h*) Saepe fidem Romanis datam fregerant, ut Crassus, et Antonius experti fuere: iidem tum acerrime pugnabant, cum fugam maxime simularent. *i*) Ante solem ortum. *k*) Capsulam, loculos, ubi libri reponebantur. *l*) Navigationis, artis nauticae, *m*) Herba est medica. Pro quolibet pharmaco

Non temere *n*) est animus: versus amat: hoc studet unum.
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet,
Non fraudem socio, puerove incogitat *o*) ullam
Pupillo: vivit siliquis *p*) et pane secundo *q*);
Militiae quamquam piger, et malus; utilis *r*) urbi,
Si das *a*) hoc, parvis quoque rebus magna *b*) iuravi:
Os *c*) tenerum pueri, balbumque poeta figurat,
Torquet *d*) ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus praeceptis format amicis,
Asperitatis *e*) et invidiae corrector, et irae:
Recte *f*) facta refert, orientia *g*) tempora notis
Instruit exemplis: inopem solatur, et aegrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti *h*)
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?

ponitur. *n*) Non facile, non vulgo. *o*) Machinatur. *p*) Leguminibus. Siliquae proprie sunt olerum involucra, et folliculi. *q*) Cibario, crassiori, cui admixtum furfur: farinae flos, ab omni furfure purgatus, siligo, vel similago, et pollen dicitur; ex eo fiebat panis primus, et delicatior: secundus, sive secundarius, ex ea farina, quae secundo loco excernebatur post illam florem: tertiarius ex alia farina perpurgata. *r*) Licet ad militiam parum sit idoneus, quia segnis, et timidus est, idem tamen est civitati utilis.

a) Si concedis res parvas esse adjumento maximis. *b*) Reipublicae administrationem et decus e rebus parvis efflorescere. *c*) Vocem, et pronunciationem format fingitque. *d*) Detorquet, avocat. *e*) Saevitia. *f*) Res a summis viris bene fortiterque gestas narrat. *g*) Praesentia et nascentia tempora docet instruitque praeteritis exemplis, quae notoria sunt. *h*)

Poscit opem chorus *i*), et praesentia Numina sentit *k*) :
Caelestes implorat: *l*) aquas docta prece blandus,
Avertit morbos : metuenda pericula pellit :
Impetrat et pacem , et locupletem frugibus annum.
Carmine Dî superi placantur ; carmine Manes *m*),
Agricolae prisci, fortes, parvoque beati *n*),
Condita *o*) post frumenta, levantes *p*) tempore festo
Corpus, et ipsum animum spe finis dura *q*) ferentem ,
Cum sociis operum pueris, et coniuge fida
Tellurem porco *r*) Sylvanum *s*) lacte piabant *t*).
Floribus et vino Genium *u*) memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc *a*) inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit,

Innuptas. *i*) Intelligit turbam puerorum, ac puellarum , quae in publicis calamitatibus, item post exactum saeculum et per urbem, et in templa procedebat certos hymnos concinnens etc. *k*) Exorat Deos , ac faventes illos experitur. *l*) Pluvias, quae decidunt e caelo, seu ex aere. *m*) Dii inferorum animae, Vide Od. 20. l. 2. *n*) Contenti. *o*) Collecta, percepta post messem. *p*) Recreantes. *q*) Labores agriculturae. *r*) Sue , quae telluri immolabatur ; sus enim foecunditate suae terrae ubertatem adumbrat. *s*) Sylvarum et pastorum Deum. *t*) Pium et propitium reddebant : expiabant , et luebant hoc sacrificio , si quid in eum peccatum foret. *u*) Genius apud veteres erat Deus vitae singulorum praesens, qui cum ipsis gigneretur una; et moreretur. Unde *brevis aevi memor* hic dicitur, nempe qui brevi, ut homines, vivat eosque ejusdem vitae brevitatis memores esse jubeat : sic tristis dicitur senectus, quia tristes facit.

a) Ex ea rusticorum consuetudine, qui post messem operum soluti genio indulgebant, orta est licentia, et libertas dicendi alterno carmine convicia quaedam rustica, quae quotannis

Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter; donec iam saevus apertam
In rabiem verti coepit iocus; et per honestas
Ire domos impune minax: doluere cruento
Dente lacessiti; fuit intactis *b)* quoque cura,
Conditione super communi: quin etiam lex,
Poenaque lata malo *c)* quae mollet carmine quemquam
Describi, vertere modum *d)*, formidine fustis
Ad bene *e)* dicendum, delectandumque reductis.
Graecia capta ferum victorem *f)* cepit *g)*, et artes
Intulit agresti Latio: sic *h)* horridus ille
Defluxit numerus Saturnius *i)*: et grave virus
Munditiae pepulere: sed in longum tamen aevum.
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris *k)*.
Serus enim Graecis admovit acumina *l)* chartis,

certo tempore recurrens, fuit grata, et praeter ludum jocosque amabiles nihil habuit: donec coeperunt homines ab istis jocularibus conviciis, ad vera, et aperta descendere, et cives honestissimos minaci carmine deformare, etc. Vocatur haec licentia Fescennina, ab Fescennina, oppido Etrurias unde ista rustica, et obscoena convicia sunt allata. *b)* Non lacessitis cura fuit commune periculum avertere. *c)* Maledico, famoso. *d)* Rationem scribendi mutavere. *e)* Qui maledicere antea solebant. *f)* Romanos feros vocat, id est, indoctos adhuc et bonarum litterarum rudes. *g)* Vicit litterarum voluptate ac inescavit eos, a quibus erat victa et subacta viribus armorum et saevitia: luxu et deliciis in Italiam illatis Romanorum temperantiam, frugalitatem, bonosque mores profligavit. *h)* Coepit obsolescere ac vilescere Poesis illa inculta, versus et numeri impoliti qui olim regnante in Italia Saturno floruerant. Et sermo mundus elegansque expulit gravem, virulentum et barbarum qui hactenus viguerat. Virus idem est ac venenum, ponitur pro quolibet odore gravi, qualibet asperitate et pravitate. *i)* Qui Saturno regnante in Italia vigebat. *k)* Rusticae Poeseos et incultae. *l)* Ingenii aciem, et oculorum legendis

Et post Punica *m)* bella quietus *n)* quaerere coepit
Quid Sophocles *a)* et Thespis, et Aeschylus utile ferrent :
Tentavit quoque rem *b)* si digne vertere posset;
Et placuit sibi, natura sublimis, et acer.
Nam spirat *c*) tragicum satis ; et feliciter audet :
Sed turpem putat in scriptis metuitque lituram.
Creditur *d*) ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris nimium, sed habet comoedia tanto
Plus oneris , quanto veniae minus . aspice , Plautus.
Quo pacto *e*) partes tutetur amantis ephebi *f*);
Ut patris attenti *g*), leonis ut insidiosi :
Quantus *h*)sit Dorsennus edacibus in parasitis.
Quam non *i*) adstricto percurrat pulpita socco.

Graecorum scriptis adhibuit Romanus populus sero. *m)* Quae contra Poenos , id est , Carthaginenses gesta sunt : tria numerantur ; vide Florum, l. 2. *n)* Pace fruens et otio.

a) Fuit scriptor tragoediarum Graecarum , ut Thespis et Aeschylus. *b)* Graecos versus in latinum sermonem. *c*) Spiritus tragicos habet , res tragicas commode cogitat effertque ; multa feliciter invenit, ac ingeniose, sed erubescit scripta sua emendare, inducere, ac delere timet , quae semel exaravit. *d*) Ordo est ; creditur comoedia minimum habere difficultatis ac laboris, quia res, id est, sua argumenta sumit e medio , id est, e communi et quotidiana vita. Est enim comoedia, repraesentatio actionis alicujus ex illis quae in plebeja fortuna et quotidiana vita contingunt. Tragoedia vero, illustris actionis et heroicae. *e*) Quam accurate ; alii exponunt , quam negligenter , et putant Plautum hic ab Horatio vituperari, licet obscurius, quia in honore et pretio apud multos erat , eumdem certe vituperat palam in arte Poetica , et hic jungit cum Dorsenno , quem aperte reprehendit. *f*) Adolescentis partes tutatur , id est , personam exhibet , mores efficit. *g*) Avari. *h*) Quam tragice Dorsennus parasitos exhibeat : eum videtur culpare qui ampullaretur ac saeviret in parasitis describendi qui jocoso et procaci carmine pingi debuerat. *i*)

Gestit *k*) enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat, an recto *a*) stet fabula talo.
Quem tulit *b*) ad scenam ventoso gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat.
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum *c*)
Subruit aut reficit *d*)! Valeat res ludicra *e*), si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum *f*)
Saepe etiam audacem *g*) fugat *h*) hoc, terretque poetam,
Quod numero *i*) plures, virtute et honore minores,

Quam laxo et dissoluto socco theatrum perambulet. Vestis non astricta, discincta, temere fluens, indicium est hominis negligentis: soccus erat cruris indumentum sive calceus humilior, quo utebantur actores comoediarum; cothurnus, grandior sublimior, quo tragoediarum; pulpitum, locus editior in theatro, ubi symphoniaci versabantur: pro toto theatro sumitur. *k*) Iste Dorsennus Poeta comicus id unum studet, ut lucrum faciat: (solebant enim histriones emere a Poetis comoedias) post hoc est sequutus, id est, sollicitus non est an cadat an stet, id est, utrum probetur sua comoedia, an explodatur.

a) Si enim talus invertatur, hominem subverti et cadere necesse est. *b*) Qui scribit fabulas gloriae captandae causa, is unum spectatorem consulit, spectatque; eo languente et fastidioso, moeret; laudante ac erecto, triumphat. *c*) Cupidum. *d*) Erigit, accendit. *e*) Scenica. Comoediae pereant omnes etc. *f*) Obesum, id est, ovantem, laetum. *g*) Qui in scribendo felix et strenuus sit. *h*) A scribendo deterret. *i*) Quod ex iis qui ad spectandum conveniunt pars multo maxima, dignitate inferior, indoctum vulgus et stolidum, in media comoedia, saepe poscat spectaculum aliquod, et certamen ferarum aut athletarum, paratum etiam ad arma et

Indocti, stolidique, et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt.
Aut ursum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum *k*) equitis quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis, ad incertos *l*) oculos, et gaudia vana.
Quatuor *m*) aut plures aulaea premuntur *n*) in horas,
Dum fugiunt *o*) equitum turmae, peditumque catervae.
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.
Esseda *a*) festinant, pilenta, petorrita, naves.
Captivum portatur *b*) ebur captiva Corinthus *c*)
Si foret in terris, rideret Democritus *d*): seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret ora:

verbera venire, si equites et nobiliores spectatores, qui sunt pauciore, discordent, id est, respuant id quod vulgus petit, malint spectare comoediam, quam ursos aut pugiles. *k*) Verum et ipsi quoque equites jam delectantur magis videndis spectaculis, quam audiendis comoediis et tragoediis, quod ex eo probat quia ornamenta actorum vestes et omnis ejusmodi apparatus magis placebant, quam ipsi versus. *l*) Qui huc illuc curiose circumferuntur. *m*) Id est, comoedia per horas quatuor aut plures durat: quamdiu scilicet aulaea strata jacent. *n*) Complicantur. Scena sive theatrum obtegebatur aliquo velo, quod demittebatur et stratum complicatumque humi jacebat cum actores prodibant, attollebatur, ex explicabatur finita fabula. Porro in ipsis tragoediis et comoediis interdum multa eduntur spectacula, v g. exercitus inter se certantes in ipso theatro, triumphus, in quo reges olim fortunati, trahuntur vinctis post tergum manibus etc. *o*) Dum hostes fugientes in theatro exhibentur.

a) Currus quidam erant, quibus Galli maxime utebantur; pilenta, matronarum vehicula; petorrita, apud Belgas erant usitata. *b*) Simulacra regum captorum, portantur, nempe in theatro ad pompam et spectaculum. *c*) Od. 6. l. 1. *d*)

Spectaret populum ludit attentius ipsis,
Ut sibi praebentem mimo spectacula plura.
Scriptores *e*) autem narrarre putaret asello
Fabellam surdo: nam quae pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum *f*) mugire putes nemus, aut mare
Tuscum *g*):
Tanto cum strepitu ludi spectantur, et artes *h*).
Divitiaeque peregrinae, quibus oblitus *i*)actor
Cum stetit in scena *k*), concurrit *l*) dextera
laevae:
Dixit adhuc aliquid? Nil sane: quid placet
m) ergo?
Lana *n*) Tarentino violas imitata veneno *o*).
Ac ne *p*) forte putes me, quae facere ipse
recusem,
Cum recte tractant alii, laudare maligne:

Fuit Philosophus insignis, qui ex omnibus ridendi ansam captabat, ut Heraclitus flendi. Ordo est: risum non teneret Democritus, cum videret populum ore converso et hiante spectantem, seu camelopardalim, quae est genus quoddam belluae diversum à panthera et camelo ex utroque tamen confusum et mixtum, seu elephantem album; certe Democritus plus voluptatis caperet ex populi admiratione et stulta curiositate, quam ex istis ludicris spectaculis, utpote qui populus sibi Democrito praeberet jucundiora spectacula, quam mimus quilibet; est autem mimus. histrio, qui ridiculos gestus edit; vel fabula scurrilis et jocularia, oblectandis spectatoribus inseri solita inter actus singulos tragoediae. *e*) Poetas qui tragoedias scribunt: surdo canere, est ei dicere qui non audiat, qui aliud agat: populus praeclara carmina non audit intentus spectaculis tragoediae, potius quam versibus, et inconditos clamores edens. *f*) Est mons Garganus in Apulia. *g*) Od. 10. lib. 1. 18, et 23. lib. 3. *h*) Opera veterum artificium, v. gr. picturae, aera. *i*) Indutus, inquinatus potius quam ornatus: oblinire quippe est luto, vel faecibus commaculare. *k*) Sat. 1. lib. 2. *l*) Plauditur. *m*) Cur spectatores plaudunt. *n*) Vestis purpurea, violacei coloris tincta in urbe Italiae Tarento. Od. 23. l. 2. *o*) Colore, succo. *p*) Noli arbitrari me

Ille *a*) per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta , meum qui pectus inaniter *b*) angit, *c*)
Irritat, mulcet : falsis terroribus implet ;
Ut magus *d*) et modo me Thebis, modo ponit Athenis *e*).
Verum age *f*) et his , qui se lectori credere malunt ,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi ;
Curam redde *g*) brevem, si munus *h*) Apolline dignum
Vis complere libris, et vatibus addere calcar *i*),
Ut studio maiore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala saepe poetae ,
(Ut vincta *k*) egomet caedam mea) cum tibi librum

tragicos poetas parce laudare quia tragoedias non scribo, quas illi recte tractant. Non modo illos non vitupero , ut fatear ultro, eos rem facere difficillimam, etc.

a) Poeta tragicus rem mihi videtur facere tam difficilem quam difficile est ire , per funem in aere suspensum , quod funambuli faciunt. *b*) In argumentis fictis , et nihil ad me spectantibus. *c*) Movet, perturbat. *d*) Praestigiator, qui arte magica homines ex uno loco in alium transfert. *e*) Od. lib. 1. 6. *f*) Quamvis tragici poetae artem magnam et arduam profiteantur , noli, o Caesar , illos non dignari tua cura , qui malunt odas et alia id genus carmina scribere legenda et placitura lectori placido , quam tragoedias spectandas a fastidioso spectatore. *g*) Impende ; debitam illis curam tribue, brevem, ob tuas graviores occupationes. Alii sic explicant : minue illis curam scribendi et laborem tua scilicet liberalitate : brevem illis et exiguam curam effice. *h*) Bibliothecam a te aedificatam et consecratam Apollini. *i*) Stimulos, animos. *k*) Ut ipsos quoque poetas qui lectoribus magis , quam spectatoribus placere amant, vituperem : vel , ut me quoque accusem , qui agam id quod in aliis re-

Sollicito *l)* damus, aut fesso, cum laedimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprendere versum,
Cum loca iam recitata revolvimus *m)* irrevocati *n)*,
Cum lamentamur, non apparere *o)* labores
Nostros, et tenui deducta poemata filo:
Cum speramus eo rem venturam, ut simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus *a)* ultro
Arcessas, et egere *b)* vetes, et scribere cogas.
Sed tamen *c)* est operae pretium cognoscere, quale
Aedituos habeat belli spectata, domique
Virtus, indigno non committenda Poetae.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerilus, incultis qui versibus, et male natis,

prehendo: alienas vites caedere, hostile facinus est: unde Virg. Ecloga 3. *Atque mala vites incidere falce novellas*: suas vero, est hominis qui se ipse oderit; unde metaphorice usurpatur de illo qui accuset ultro et reprehendat. *l)* Occupato. *m)* Repetimus. *n)* Non rogati ea iterum recitare. *o)* Non intelligi quantum laboraverimus, quam sint delicata et subtilia, quae scripsimus, poemata, ductum a tela subtiliter texta.

a) Benignus, liberalis. *b)* Opibus augeas: des nummos. *c)* Quamvis importuni tibi simus nos Poetae, o Caesar, neque si quid scribimus, continuo putare debeamus fore ut nos arcessas, et jubeas versus facere; tamen eos non debes negligere et repudiare, imo facies operae pretium, id est, rem tibi utilissimam facies, si eos cures cognoscere et fovere, qui tuae virtutis possint esse aeditui, id est, qui tuas res praeclare domi et militiae gestas possint conservare scribendo, ut aeditui templa servant; vel aliis explicare et enarrare, ut aeditui enarrant hospitibus et peregrinis in sacrario abditas: neque imitandus tibi Alexander Magnus qui carum habuit Choerilum malum poetam, eique ob incultos versus aurea

Rettulit *d*) acceptos : regale numisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam, labemque remittunt *e*)
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt *f*). Idem, rex ille poema
Qui tam ridiculum, tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se, praeter Apellem,
Pingeret, aut alius Lysippo *g*) duceret *h*) aera
Fortis Alexandri vultum simulantia: quod si *i*)
Iudicium subtile videndis artibus illud
Ad libros, et ad haec Musarum dona vocares,
Boeotum in crasso iurares aere natum.
At neque *a*) dedecorant tua de se iudicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius, Variusque Poetae.
Nec magis expressi vultus per ahenea signa

dedit numismata, Philippi patris sui vultu signata. *d*) Id est, qui Choerilus ob inculta carmina donatus est nummis Philippi: eos suis versibus acceptos retulit; acceptum aliquid alicui referre, est aliquod beneficium illi debere: fateri se illud ab eo accepisse. *e*) Allinunt manibus tangentium. *f*) Deterunt, commaculant. *g*) Quam Lisippus, insignis statuarius. *h*) Exenderet statuas ex aere. *i*) Sententia est. Si judicium illud Alexandri subtile ad aestimanda peritorum artificum opera, vocares, et traduceres ad libros et adjudicanda poetarum opera, si compararcs judicantem de tabulis pitis et statuis cum Alexandro judicante de versibus, diceres illum imperitum in aestimandis versibus, et tam stupidum quam sunt Boeoti, (quibus aer patriae crassior ingenium pingue facit) adeo prave de illis judicabat, qui tanti faceret Choerilum, insulsum poetam: in quo tu Alexandrum longe superas, dum Virgilium et Varium poetas optimos magni facis.

a) Non dedecorant tua de se judicia, imo laudi tibi et honori

Quam per vatis opus mores, animique virorum
Clarorum apparent: nec sermones *b)* ego mallem
Repentes per humum, quam res componere gestas:
Terrarumque situs, et flumina dicere, et arces
Montibus impositas, et barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella *c)* per orbem,
Claustraque *d)* custodem pacis cohibentia Ianum,
Et formidatam Parthis, te principe, Romam:
Si quantum *e)* cuperem, possem quoque. Sed neque parvum
Carmen maiestas recipit *f)* tua; nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas *g)* autem, stulte quem diligit, urget:
Praecipue cum se numeris commendat, et arte:

sunt, dum tales sunt revera, quales esse illos praeclare judicasti: ornant tua munera, quia dignis fuisse collata ostendunt. *b)* Ego vero non profecto mallem. Satyras et Epistolas, ut facio, humili stylo et tepenti scribere, quam tuam res gestas haeroico carmine componere. *c)* Bella finita et sublata. *d)* Et portas templi Jani a te clausas. Aperiebatur dum bellum erat, confecto claudebatur. Bis illud clausit Augustus. Vide Indicem secundum Odarum, et eas Odas ubi de Parthis et Augusti victoriis fuse agitur. *e)* Si facultas et eloquentia voluntati responderet. *f)* Non convenit dignitati tuae. *g)* Sensus est: qui studio et amore alicujus, bene mereri de illo laborat, cum laudando; si id prave faciat, amicum urget, id est, gravat, vexat, onerat po-

Discit enim citius, meminitque libentius illud
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat; ac neque ficto
In peius vultu proponi cereus usquam
Nec prave factis decorari versibus opto:
Ne rubeam *a*) pingui *b*) donatus munere, et una *c*)
Cum scriptore meo, capsa porrectus *d*) aperta
Deferar in vicum *e*) vendentem thus et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.

tius quam ornat, praecipue cum se illi probare et commendare studet versus faciendo in ejus laudem: mali enim isti versus citius a populo discuntur, quam boni: Ego vero nihil facio, non probo officium, quod cum dedecore meo et incommodo conjunctum sit: et quemadmodum non amem, nolim proponi meam imaginem a cera fictam, quae deformior sit, quam ipse sim, ita nolim laudari malis versibus.

a) Pudore afficiar. *b*) Crasso, inerudito. *c*) In eodem enim libro est nomen scriptoris et ejus qui scribitur, seu laudatur. *d*) Instar cadaveris. *e*) Unguentarii, et salsamentarii faciunt involucra suarum mercium ex inutilibus chartis, et ineptis libris. Erant autem Romae vicus thurarius, et plures vici ungnen-

EPISTOLA II. *Excusat se Julio Floro expostulanti quod nec epistolam, nec ea quae promiserat carmina, misisset. Varias affert rationes, cur in scribendis versibus negligentior sit. I. Quia natura cessator est, ac desidiosus II. Quia modicis opibus non caret. III. In urbe difficile est scribere ob tumultum, et negotia. IV. Res est magni laboris poema. V. Poetarum natio inepta est. VI. Quia iam id aetatis est, ut cogitare potius debeat de moribus recta componendis, et extirpandis cupiditatibus, quam de versibus pangendis.*

FLore, bono claroque fidelis amice Neroni *f*),
Si quis forte velit puerum *g*) tibi vendere natum
Tibure *h*), vel Gabiis; et tecum sic agat *i*): Hic et
Candidus, et talos a vertice pulcher ad imos,
Fiet, eritque tuum nummorum millibus *k*) octo,
Verna *l*) ministeriis ad nutus aptus heriles:
Litterulis Graecis *m*) imbutus, idoneus arti

tarii. *f*) Claudio Tiberio Neroni, qui Augusto successit. *g*) Servum. *h*) Tibur, Gabii, sunt Italiae urbes, de quibus saepe jam dictum. *i*) Loquatur, paciscatur. *k*) Nummos sestertios intelligit 8000. et sestertia 8. quae respondent libris Francicis 800. nummis vere Scutatis Romanis ducentis. *l*) Verba sunt venditoris: est, inquit, puer iste verna, id est, servus domi meae natus, aptus ad quodlibet ministerium obeundum heri nutu et arbitrio. *m*) Romani graecas literas discebant, ut Ga-

Cuilibet : argilla *a*) quidvis imitaberis uda ;
Quin etiam canet indoctum *b*), sed dulce bibenti.
Multa *c*), fidem promissa levant *d*), ubi plenius aequo *e*)
Laudat, venales qui vult extrudere merces.
Res urget me nulla : meo sum pauper in aere.
Nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a me
Quidvis ferret *f*) idem: Semel hic cessavit, et, ut fit
In scalis latuit metuens pendentis habenae *g*).
Deus nummos, excepta *h*) nihil te si fuga laedat.
Ille *i*) ferat pretium, poenae securus opinor.

li linguam germanicam aut italicam, unde cariora erant mancipia, quae graece scirent.

a) Fingi tam facile ac flecti potest, quam argillanda, ex qua fictilia vasa fiunt. *b*) Indocte, parum musice: ea tamen voce quae tibi epulanti non insuavis esse videatur. *c*) Pergit venditor : scio, inquit, iis venditoribus non facile credi, qui multa et mira de suis mercibus promittunt ac praedicant, quo facilius nimirum eas extrudant, id est, vendant, distrahant: ego non is sum, nulla me res cogit hoc mancipium vendere; pauper sum, at quod habeo meum est, nihil cuiquam debeo : certe nemo alius mango (est mancipiorum venditor) ita tecum ageret, tam candide, quam ego, vitia mancipii tibi aperiret: nec facile ipse cum alio quolibet emptore sic agerem: hic puer semel segnis fuit, non obtemperavit mihi imperanti, et, pro more servorum, cum metueret, ne suspenso e scalis loro vapularet, fugit ac latuit: si te non offendit ejus haec fuga, et cessatio quam a me vides excipi ex ejus aliis laudibus, et merito reprehendi, dare nummos indicatos jam potes, et emere. *d*) Minuunt, abrogant venditori; faciunt ne tam facile ipsi credatur. Emptor venditori suas merces plus nimio venditanti minorem fidem habet. *e*) Plus justo. *f*) Obtineret, extorqueret ; nempe ut tam levi pretio mancipium ejusmodi venderem. *g*) Scuticae, lori. *h*) Hunc servum affirmavi omni vitio carere praeterquam quod semel fugit. *i*) Loquitur jam Horatius. Venditor profecto ac-

Prudens emisti vitiosum: dicta tibi est lex.
Insequeris tamen hunc, et lite moraris iniqua?
Dixi *a*) me pigrum proficiscenti tibi: dixi
Talibus officiis prope mancum, ne mea saevus
Iurgares, ad te quod epistola nulla veniret:
Quid tum *b*) profeci, mecum facientia iura *c*)
Si tamen attentas *d*)? Quereris super *e*) hoc etiam, quod
Expectata tibi non mittam carmina mendax,
Luculli *f*) miles collecta viatica *g*) multis
Aerumnis, lassus dum nocte stertit, ad assem *h*)
Perdiderat: post hoc vehemens lupus *i*), et sibi, et hosti
Iratus pariter, ieiunis dentibus acer,
Praesidium *k*) regale loco deiecit, ut aiunt,
Summe munito, et multarum divite rerum.

cipere pretium a te emptore, potest securus poena, id est, non timens poenam iis imponi mercatoribus solitam, qui mercium quas vendunt, praesertim mancipiorum, vitia emptoribus non indicabant. Diceret enim tibi venditor; emisti vitiosum servum prudens, id est, sciens ejus vitia: dicta tibi est lex et conditio, qua illum emeres, nempe si te fuga illius non laederet, et tamen hunc venditorem a quo servum emisti, insequeris, vexas, et litem iniquam illi intendis? Facis inique.

a) O Flore, puta me similem isti venditori: dixi tibi, me esse in scribendo pigrum et ad haec urbanitatis officia ineptum. *b*) Vitium tibi meum candide aperiendo. *c*) Quae eum poenae et objurgationis securum esse volunt, qui rei cujuspiam et contractus vitia aperit contrahenti, ementi etc. haec jura pro me stant, mihi favent. *d*) Vis labefactare, oppugnas. *e*) Praeterea hoc quereris. *f*) Vixit eodem quo Cicero, Pompejus etc. tempore: bellum cum Mithridate Ponti in Asia rege, gessit cum Tigrane. *g*) Pecuniam dari solitam militibus ad iter conficiendum et emendas res necessarias. *h*) Usque ad ultimum teruncium; nihil ut superesset. *i*) Instar lupi famelici. *k*) Milites in arce quadam ad ejus praesidium relictos a rege Mithrida-

Clarus ob id factum donis ornatur honestis,
Accipit et bis dena *l*) super *m*) sestertia nummum.
Forte sub hoc *n*) tempus, castellum evertere Praetor *o*)
Nescio quod cupiens, hortari coepit eumdem
Verbis, quae timido quoque possent addere *p*) mentem:
I, bone *q*) quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum praemia. Quid stas?
Post haec ille catus *r*) quantumvis rusticus: ibit,
Ibit eo, quo vis, qui zonam *a*) perdidit, inquit.
Romae nutriri mihi contigit, atque doceri,
Iratus *b*) Graiis quantum nocuisset Achilles.
Adiecere *c*) bonae paullo plus artis Athenae:

te. *l*) 20. Sestertia. Sestertius nummus erat as duplex cum dimidio tertii: sestertius in neutro genere valebat mille sestertios; 20. Millia sestertiorum, seu 20 sestertia valebant libras Gallicas 2000. nummos scutatos Romanos 500. *m*) Praeter dona honorifica jam accepta, laures et coronas. *n*) Paullo post. *o*) Ductor exercitus, qui enim Magistratus in Urbe jus reddebat, idem in exercitu praeerat, et praetor utrobique vocabatur. *p*) Animos erigere, accendere. *q*) Vox blandientis est. *r*) Miles ille Luculli quamvis rusticus, tamen vafer et prudens post hanc orationem praetoris, ita respondit; ibit eo, quo jubes qui opes et viatica amisit, ego qui jam praeda sum onustus, non ibo: hoc in se transfert Horatius: alias versus faciebam lucri causa; nunc locuples factus, nolo istum laborem sumere.

a) Crumenam: quia in Zonis crumenas solebant gestare. *b*) Discere Homeri poemata: Ilias maxime continet damna per Achillis iram Graecis importata, cum ille Agamemnoni ob ereptam Briseidem infensus a bello abstinuit, Hectore Graecos ubique profligante, quem postea idem Achilles, cum Patrocli amici sui mortem ulturus bellum repetiisset, interfecit, capta est paullo post Troja. Vid, Ep. 2. lib. 1. *c*) Bonas artes, philoso-

Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum.
Atque inter sylvas Academi *d*)quaerere verum.
Dura sed amovere loco me tempora *e*) grato.
Civilisque rudem *f*)belli tulit aestus *g*) in arma,
Caesaris Augusti non responsura lacertis *h*),
Unde *i*) simul primum me dimisere Philippi,
Decisis *k*) humilem pennis, inopemque paterni
Et laris, et fundi; paupertas impulit audax
Ut versus facerem: sed, quod *l*) non desit, habentem,
Quae poterunt umquam satis expurgare cicutae *m*)
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?
Singula *a*) de nobis anni praedantur euntes *b*),
Eripuere iocos, Venerem, convivia, ludum,

phiam scilicet, Athenis didici: vide Horatii vitam in libri limine. *d*) Fuit Academus Atheniensis civis; erat illi suburbana villa pulcherrimis arboribus consita, quam philosophiae studiosis donavit: hinc dicti sunt Academici, et Gymnasia, literatorumque scholae, Academiae. *e*) Bella civilia inter Octavium et Caesaris percussores, Brutus Horatium ad militiam pertraxit. *f*) Militiae imperitum. Od. 5. lib. 2. 3. 4. *g*) Ducitur a mari metaphora. *h*) Viribus. *i*) Quo e civili bello statim ut dimissus sum post proelium Philippense, commissum ad Philippos urbem Thessaliae, in campis Pharsalicis, ubi victus est Bruti et Cassii exercitus. *k*) Amissa dignitate et opibus. *l*) Habentem quod sufficiat, quod mihi deesse nolim: quaenam cicutae me parvo fruentem, et utcumque locupletem, sanare possent, si adeo insanirem ut mallem versus multo labore scribere, quam feriari, et genio indulgere? *m*) Herba est frigidissima; adeoque idonea ad sanandam phrenesim, quae ex atra saepe bile et nimio calore nascitur. Sunt qui legant cum Lambino *sicujae*, quae vox a Graecis sumpta significat cucurbitam e vitro seu metallo factam, qua utuntur medici ad eliciendum e carne vitiosum sanguinem aut humorem. Hanc Lambini lectionem Torrentius erudite, ut solet, explodit.

a) Alia ratio cur non scribat, quia senior est. *b*) Effluentes,

Tendunt extorquere poemata *c*)? Quid faciam vis ?
Denique *d*) non omnes eadem mirantur ; amantque.
Carmine *e*) tu gaudes: hic delectatur Iambis,
Ille Bioneis *f*) sermonibus , et sale nigro *g*) ,
Tres mihi *h*) convivae prope dissentire videntur.
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? Quid non dem? Renuis tu, quod iubet alter ,
Quod petis, id sane est invisum, acidumque duobus.
Praeter cetera *i*) , me Romaene poemata censes
Scribere posse , inter tot curas , totque labores ?
Hic sponsum vocat *k*), hic auditum *l*) scripta, relictis
Omnibus officiis , cubat hic *m*) in colle Quirini ,
Hic extremo in Aventino : visendus uterque.
Intervalla vides humano *n*) commoda. Verum

praetereuntes. *c*) Facultatem condendi carminis. *d*) Alia ratio, nempe fastidium hominum, qui alii alia carmina probant, adamantque. *e*) Nempe heroico per antonomasiam. *f*) Sermonibus, Satyris, Bion philosophus quidam aut poeta fuit mordax et maledicus : Lambinus eum Aristophanis patrem facit. *g*) Salibus amaris et jocis. Porro sal niger est albo acrior et amarior, quia densior, et magis concretus est: itaque pro dicacitate jocisque asperioribus usurpatur. *h*) Videor mihi habere tres convivas diversi plane gustus, quibus satis facere nequeam. *i*) Ratio quarta cur non scribat, petita nempe ab urbanis negotiis. *k*) Ad respondendum pro se, ad fidejubendum. *l*) Ad audienda , quae amicis recitat , carmina. *m*) Alius quidam aegrotat procul in colle Quirinali, alius in extrema parte montis Aventini. Duo isti montes admodum disjuncti sunt. *n*) Belle com-

Purae *o*) sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet ?
Festinat calidus *p*) mulis gerulisque *q*) redemptor *r*).
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum :
Tristia robustis luctantur funera plaustris :
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus.
I nunc, et versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes ;
Rite cliens Bacchi somno gaudentis, et umbra.
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos ?
Vis canere, et contracta *a*) sequi vestigia vatum ?
Ingenium *b*), sibi quod vacuas desumspit Athenas,
Et studiis annos septem dedit, insenuitque *c*)
Libris, et curis, statua taciturnius exit
Plerumque, et risum populum quatit. Hic ego rerum

moda, ironice, id est, perquam incommoda. *o*) An liberae et patentes plateae sunt? Neutiquam sane. *p*) Praeceps, trepidus. *q*) Bajulis. *r*) Operis alicujus conductor, qui id faciendum certo pretio, in se recipit.

a) Angusta difficilia, impressa in locis arctis et reductis, non in viis publicis, et locis patentibus, ac tristis. *b*) Aliquando contingit ut homo ingeniosus, qui ut studeret facilius humanoribus literis, secessit Athenas urbem vacuam et tranquillam, postquam ibi per annos septem libris impalluit, parum tamen in otio tanto proficiat, imo hinc redeat statua taciturnior et infantior, populoque risum praebeat. Quonam igitur pacto ego inter tot fluctus curarum et negotiorum versus facerem Lyricos? c) Maxima contentione incubuit: operam indefessam posuit. Se

Fluctibus in mediis, et tempestatibus urbis,
Verba lyrae motura sonum connectere digner?
Frater *d*) erat Romae consulti rhetor: ut alter
Alterius sermone meros audiret honores:
Gracchus ut hic illi foret; huic ut Mucius ille.
Qui minus argutos *e*) vexat furor iste Poetas?
Carmina compono, hic elegos: mirabile visu *f*)!
Caelatumque novem Musis opus. Aspice *g*) primum
Quanto cum fastu, quanto molimine *h*) circum,
Spectemus vacuam Romanis vatibus *i*) aedem *k*)
Mox etiam, si forte vacas *a*), sequere, et procul *b*) audi,
Quid ferat *c*), et quare sibi nectat uterque coronam,

nium saepe usurpatur pro moerore, cura, etc. *d*) Rhetor quidam Romae fuit frater jurisconsulti, alter alteri sic adulabatur, ut nihil audiret ab altero, quam nomina merum honorem significantia, honorificentissima: hic jurisconsultus illum vocabat Gracchum (orator praestantissimus fuerat), ille Rhetor vocabat hunc fratrem suum Q. Mucium Scaevolam, quia olim Mutius Scaevola optimus jurisconsultus erat: an sunt poetae saniores? Quinta ratio; vatum ineptiae et adulatio putida, qua se invicem prosequuntur ac mulcent. *e*) Ingeniosos, elegantes. *f*) Subaudi, statim exclamant amici poetae, opus a me scriptum esse admirabile, et e novem Musis elaboratum. *g*) Primum hoc argumentum sit illius poetarum arrogantiae, quod aegre ferant sua scripta non reponi in bibliotheca Palatina, in qua tot Graecorum scilicet carmina diligenter et curiose servantur, quibus nihil se inferiores Romani illi poetae censent *h*) Fastu, ambitiosa indignatione. *i*) Scriptis romanorum poetarum. *k*) Apollinis Palatini, prope quam extructa est ab Augusto bibliotheca: eam vacuam esse idcirco dolebant, qui cupiebant sua in eam inferri scripta.

a) Si otiosus es, si nihil aliud habes, quod te detineat. *b*) Saepe vox ea significat prae oculis, cominus. *c*) Dicat: quid afferat causae cui uterque alteri dignus corona videatur et prae-

Caedimur, et totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites, *d*) ad lumina prima duello,
Discedo *e*) Alcaeus puncto *f*) illius: ille meo quis?
Quis, nisi Callimachus *g*)? Si plus ad poscere visus,
Fit Mimnermus *h*), et optivo cognomine crescit *i*).
Multa *k*) fero, ut placem genus irritabile vatum,
Cum scribo, et supplex populi suffragia capto,
Idem finitis studiis et mente recepta,

mio. Videbit illos poetas, omnes simillimos esse Samnitibus ubi lento et innoxio bello se invicem caedunt ad lumina prima, id est, sub noctem, cum faces accenduntur. *d*) Sic vocabantur gladiatores quidam ad pompam et voluptatem tantum comparati, qui se simulatis et compositis petebant vulneribus: ita poetae mutuis adulationibus se prosequuntur et si quid in aliis carpunt id molliter jactitant, vicissimque ab aliis carpuntur leniter, et animi causa. Samnites autem gladiatores a Samnitibus Italiae populis appellati sunt. Illi postquam a Romanis victi fuerunt, eorum arma et nomen istis gladiatoribus datum est odio Samnitium. Liv. lib. 9. *e*) Ille unus aliquis Poeta, me suo puncto, id est, suffragio, (quia veteres suffragia ferebant missis in cistam tabellis, quae certo punctorum numero notatae erant) vocat et parem dicit Alcaeo poetae graeco lyrico nobilissimo; At ille quis a me appellatur? Certe Callimachus; aut si ne istud quidem nomen, ea laus, ipsi satisfacit, voco illum Mimnermum, et hoc illi, quod optavit, cognomen do. De Alcaeo saepe dictum in Odis, maxime decima lib. 2. *f*) In comitiis inferebantur aliquando suffragia, ut unum punctum illius, quem eligebant nomini inscriberent. *g*) Poeta graecus, in primis elegans; elegias et aliquot scripsit epigrammata. Floruit Ptolemaeo Philadelpho regnante, circa annum ab U. C. 500. *h*) Epist. 6. lib. 1. *i*) Metaphora sumitur ab iis qui adoptantur in alienam familiam, qui suo nomini fere addebant eorum nomen a quibus adoptabantur, eoque crescebant. *k*) Ordo est: quando ver-

Obturem patulas impune legentibus aures.
Ridentur, mala qui componunt carmina: verum
Gaudent *a*) scribentes: et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant, quidquid scripsere, beati *b*).
At qui legitimum *c*) cupiet fecisse poema,
Cum tabulis *d*) animum censoris sumet honesti;
Audebit quaecumque parum splendoris habebunt,
Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis in vita recedant,
Et versentur adhuc intra penetralia Vestae *e*)
Obscurata diu populo, bonus eruet *f*), atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum:

sus facio, inulta perfero, audio vates patienter cum sua mihi recitant scripta, ut placatos habeam illos, sunt enim ad iracundiam fere proniores, adulor illis ut ipsorum benevolentiam aucuper, egeo enim illorum quoque suffragiis, ut populo placeant mea carmina, verum postquam finem imposui studiis me ab illa scribendi versus insania recepi ac liberavi; certe obturabo, liceat obturare mihi aures et occludere, ne illos audiam sua mihi carmina recitantes. Id faciam impune, id est, nihil metuens ab eorum censura et iracundia.

a) Sibi placent. *b*) Seipsis, et versibus suis contenti. *c*) Ad omnes boni poematis leges exactum, perfectum. *d*) In quibus poema suum scripsit. *e*) Vesta erat Dea ignis ac fori praeses: saepe sumitur pro ipsa domo, quia suum quaeque domus focum habebat. Rursum e templo et penetrali Vestae non licebat reos extrahere loci sanctitate munitos videlicet ac tutos. Itaque sententia esse duplex potest. Prima, etsi adhuc lateat domi, et si nondum editum sit poema in lucem. Secunda mutanda et loco suo movenda verba sunt, licet placeant, neque minus secura videantur, quam si in Vestae penetralibus temploque essent: quamvis loco moveri nolint. *f*) In lucem proferet benigne ac

Quae *g*) priscis memorata Catonibus, atque Cethegis,
Nunc situs informis premit; et deserta vetustas.
Adsciscet *h*) nova, quae genitor produxerit usus,
Vehemens *i*), et liquidus puroque simillimus amni,
Fundet opes; Latiumque beabit *a*) divite lingua.
Luxuriantia *b*) compescet, nimis aspera sano
Laevabit *c*) cultu: virtute carentia tollet,
Ludentis *d*) speciem dabit, et torquebitur, ut, qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
Praetulerim *e*) scriptor delirus, inersque videri,

liberaliter prisca verba et ab usu popularis atque quotidiani sermonis remota, ideoque obscura et obsoleta. *g*) Quae cum olim a Catone et Cethego, nobilibus Romanis, usurparentur, nunc iacent abdita in situ, id est, paedore, et squalore: ignota sunt et antiquata. *h*) Frequentabit, finget, novabit. *i*) Ipse Poeta; erit similis amni vehementi et liquido: id est sectabitur puritatem sermonis et vim verborum. Anapaestus pro spondaeo est initio versus. Ita Virg. Hexametrum incoepit *Fluviorum rex Eridanus*.

a) Ornabit, augebat. *b*) Abundantia et uberiora circumcidet. *c*) Poliet, reddet laevia; ita tamen ut nervos et robur nimio illo cultu ornatuque non adimat: et cultus ille seu color sit sanus, non fucatus etc. *d*) Similis erit homini parum laboriose scribenti, negligenter scribere videbitur, et multum laboris tamen insumet: ut qui movendo et saltando imitantur Satyros vel Cyclopes, licet motus edant incompositos et quasi artis expertes, in eo tamen operae multum ponunt ac sudant. *Moveri Satyrum*, pro motu et saltatione imitari. *e*) Malim tamen.

Dum mea delectent mala *f)* me, vel denique fallant *g)*,
Quam sapere *h)* et ringi *i)*. Fuit *k)* haud ignobilis Argis.
Qui se credebat miros audire tragoedos,
In vacuo *l)* laetus sessor, plausorque theatro,
Cetera qui vitae servaret munia *m)* recto
More, bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis,
Et signo *n)* laeso non insanire lagenae:
Posset qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus; curisque refectus *o)*,
Expulit elleboro morbum, bilemque meraco *p)*
Et redit ad sese *q)* Pol *r)* me occidistis, amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas.
Et demptus per vim *a)* mentis gratissimus error.
Nimirum *b)* sapere est abiectis utile nugis,

f) Carmina male composita. *g)* Lateant. *h)* Ornate scribere. *i)* Vexare me, et macerare recte scribam. Ringi proprie dicuntur canes, cum irritati diducunt os, quasi morsuri: transfertur in eos qui taciti dolent et os foede interdum distorquent. *k)* Ostendit exemplo ignoscendum esse malis poetis, qui sibi male placent, quique carituri sint magna voluptate, si dedoceantur. *l)* Ubi nulli actores essent. *m)* Officia et munera. *n)* Pice, qua obturabatur lagena; signum, sigillum Domini apponebatur, certa nota etc. Est autem is ordo: et qui posset non insanire, non irasci furentis in morem, laeso, id est, aperto, resignato, lagenae signo, si videret lagenam a servulis reclusam et delibatam. *o)* Curatur et recreatus a morbo, quo mens illius et phantasia laborabat: dum se actores ibi putaret audire ubi nulli essent. *p)* Puro et mero elleboro. Hac herba curabantur amentes. Satyr. 3. l. 2. *q)* Sanam mentem recuperavit. *r)* Per Pollucem.

a) Viribus pharmacorum. *b)* Ordo est. Nempe nunc mihi est utile sapere, operam dare verae virtuti et sapientiae, abje-

Et tempestivum pueris concedere ludum,
Ac non verba sequi *c*) fidibus modulan Latinis.
Sed verae numerosque *d*) modosque ediscere vitae.
Quocirca mecum loquor haec, tacitusque recordor:
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
Narrares *e*) medicis. Quod, quanto plura parasti *f*),
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi, monstrata radice, vel herba
Non fieret *g*) levius, fugeres *h*) radice, vel herba
Proficiente nihil curarier. Audieras *i*), cui
Rem Di donarent, illi decedere pravam
Stultitiam: et, cum sis nihilo sapientior, ex quo.
Plenior es *k*), tamen uteris montioribus iisdem?
At, si divitiae prudentem reddere possunt,
Si cupidum timidumque minus te, nempe ruberis *l*).
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est *m*), quod quis *n*) libra mercatur

ctis versibus et eiusmodi nugis, et hoc relinquere pueris quorum aetati ludus iste est tempestivus, conveniens. *c*) Rimari, componere. *d*) Epist. 18. lib. I. *e*) Aperires, medicos consulares. *f*) Plures opes comparasti. *g*) Non curaretur. *h*) Nolles, omitteres. *i*) Ita quippe vulgus loquitur, et putat, eos qui opes a superis accipiant, stultitia liberari et sapere. *k*) Ditior. *l*) Tibi turpe putares esse. *m*) Ad eum censetur pertinere, est eius dominus. *n*) Quod ab aliquo emptum est. Cum res aliqua emebatur, pretium illius seu pecunia, quae primis tempo-

Quaedam *o*), (si credis consultis), mancipat usus:
Qui te pascit ager, tuus est, et villicus Orbi *a*)
Dum segetes occat *b*) tibi mox frumenta daturus,
Te *c*) dominum sentit: das nummos, accipis uvam:
Pullos, ova, cadum temeti *d*). Nempe modo isto
Paullatim mercaris agrum, fortasse trecentis *e*),
Aut etiam supra, nummorum millibus emptum,
Qui refert *f*), vivas numerato nuper, an olim?
Emptor *g*) Aricini quondam, Veientis et arvi,
Emptum coenat olus, quamvis aliter putat, emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum,

ribus erat aerea, non numerabatur, ut fere nunc fit, sed appendebatur libra seu trutina. *o*) Contra, res quasdam (si iurisconsultis credis) usus proprias facit: evadunt usu ipso tuae tamquam si esses illarum dominus. Usus opponitur mancipio seu dominio, et iuri primario: sic aliquis uti et frui aliquo praedio potest cuius dominus non sit, quod dare, vendere etc. non possit: interdum fit ut earum rerum domini censeamur, quibus utimur, et diuturna possessio aliquando vim iuris, et dominii obtinet apud iurisconsultos. Hinc Horatius colligit res eas quibus utimur, v. g. fundum alienum unde fruges emimus ~~nostrum~~ quoque dici posse, quia eo fruimur, et eum quasi singillatim emimus ac sensim, quem totum ipse eius dominus olim emit.

a) Romani alicuius divitis, qui suo fundo villicum praefecit. *b*) Occare est semen sparsum terra operire fractis glebis. *c*) Perinde dat illas fruges tibi, ac si esset fundi dominus aeque ac Orbis. *d*) Vini: ita vinum appellatur quia tentat mentem. *e*) Sestertiis maioribus, quae valent septem millia et quingenta scutata Roman. librarum vero Gallic. 30000. *f*) Quid interest utrum vivas e fundos cuius pretium per partes a te numeratum et persolutum a domino? *g*) Qui olim emit arvum aliquod

Sed *h*) vocat usque suum, qua populus adsita
certis,
Limitibus vicinus refugit iurgia: tamquam *i*)
Sit proprium quidpiam, puncto quod mobilis horae,
Nunc prece *k*), nunc pretio, nunc vi, nunc
sorte suprema *l*).
Permutet dominos, et cedat in altera iura *m*).
Sic quia perpetuus nulli datur usus, et haeres
Haeredem alterius, velut unda supervenit
undam:
Quid vici *n*) possunt, aut horrea? Quidve
Calabris *o*)
Saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus *p*)
Grandia *q*) cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrena sigilla *a*)
tabellas,
Argentum, vestes Getulo *b*) murice tinctas.
Sunt qui non habeant: est qui non curat habere.

prope Ariciam (est oppidum in via Appia), qui prope Veios (urbem Volscorum praecipuam) coenat empta legumina, quamvis ea putet esse propria et sua, emptitiis lignis ollam suam vespere calefacit: dum enim arvum illud emit, emit quoque fruges ab illo post orituras. *h*) Vocat arvum illud tamen suum usque ad eam agri partem, in qua plantata in limite populus arbor, dirimit lites quae oriri possent de agri limitibus cum vicino. *i*) Quasi vero damnus enim rogantibus. *k*) Donatione. *l*) Morte. *m*) In alterius potestatem et dominium. *n*) Villae magnae, pagi toti. *o*) Calabria et Lucania sunt in extrema Italiae parte proprie Siciliam, et pascuis abundant. *p*) Pluto, mors. *q*) Nobiles cum ignobilibus.

a) Parva signa, statuas exiguas, et elegantes, e Tuscia. *b*) Afro. *c*) Quonam pacto sit ut e duobus saepe fratribus unus feriari malit, quam Herodis regnum possidere, alter misere

Cur alter *c*) fratrum *d*) cessare , et ludere, et ungi *e*),
Praeferat Herodis palmetis *f*) pinguibus, alter
Dives, et importunus *g*), ad umbram *h*) lucis ab ortu
Sylvestrem flammis et ferro mitiget *i*) agrum:
Scit Genius *k*), natale comes *l*) qui temperat astrum,
Naturae Deus humanae, mortalis *m*) in unumquodque
Caput, vultu mutabilis, albus *n*) et ater.
Utar *o*), et ex modico, quantum res poscet acervo
Tollam : nec metuam, quid de me iudicet haeres,
Quod non plura datis *p*) invenerit. Et tamen idem
Scire volam, quantum simplex *q*), hilarisque nepoti *r*)

sit avarus, et labori deditus? Certe non apparet causa tanti discriminis, estque soli Deo Genio nota, ego neutrum certe illorum fratrum imitabor, non ero prodigus, nec avarus etc. *d*) Terentii quaedam Comoedia inscribitur Adelphi, hoc est, *Fratres*. In ea inducuntur Fratres duo moribus dissimillimis, Demea, et Micio. Huc Horatius respexit hoc loco. *e*) Accumbebant ad mensam unguentis delibuti. *f*) Iudaeam significat, palmis abundantem : eius rex Herodes. *g*) Improbo et irrequieto labore se macerans ac defatigans. *h*) Ab ortu lucis, usque ad noctem. *i*) Incultum et rude solum igne, et aratro excolat: igne exuruntur v. g. filices et herbae steriles. *k*) Od. 12. lib. 3. Epist. 7. lib. 1. *l*) Qui comes nobis adiunctus et vitae moderator, temperat vim nostri astri natalis, et syderum influxus regit, ne nobis noceant. *m*) Qui moritur cum unoquoque nostrum. *n*) Felix etc. adversus, propitius idem et infensus. *o*) Partis bonis fruar, et ex acervo sumam etc. *p*) A me relictis: quod plura sibi non reliquerim. *q*) Qui candide et sine fuco, iucunde vivit. *r*) Pro-

Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an nequn sumptum
Invitus facias: neque plura parare labores.
Ac potius, puer tu festis Qinquatribus *s*), olim
Exiguo, gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda domus procul absit. Ego utrum
Nave ferar magna, an parva, ferar unus *a*) et idem.
Non agimur tumidis velis Aquilone secundo.
Non tamen adversis aetatem ducimus Austris.
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco *b*), rei *c*).
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non est *d*) avarus: Abi, Quid? Cetera iam simul isto
Cum viti fuger? Caret tibi pectus inani
Ambitione? Caret mortis formidine, et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula *e*), sagas *f*),
Nocturnos Lemures *g*) portentaque Thessala *h*) rides?
Natales grate *i*) numeras? Ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?

digo. Epod. Od. 4. *s*) Quinquatria sive Quinquatrus erant quinque dies Minervae festi, per quos pueri feriabantur. Inchoabantur istae feriae a XIV. Kal. April.

a) Sive magnis opibus utar, sive exiguis animum aequum sustinebo, non extollar, nec deprimar. *b*) Gradu et conditione. *c*) Opibus. *d*) At, inquiet mihi aliquis: o Horati, satis intelligo te avarum non esse: bene est; at num ceteris omnibus vitiis cares? *e*) Prodigia quaedam quibus terretur vulgus. *f*) Praestigiatrices veneficas. *g*) Larvas nocturnas et umbras. *h*) Res prodigiosas, quas Magi suis incantamentis edunt. In Thessalia Magi erant frequentes. Od, 5. Epod. *i*) Nimirum non dolens te senem fieri, plures a te

Quid te exempta iuvat spinis *k)* de pluribus una?
Vivere *l)* si recte nescis, decede peritis,
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti.
Tempus abire tibi est, ne potum largius aequo
Rideat, et pulset lasciva decentius aetas.

dies natales numerari: mortem aequo animo expectans. *k)* Vitiis. *l)* Si nescis hilariter vivere, si per aetatem non potes amplius indulgere voluptatibus, concede, locum, da iis, qui hoc sciunt et possunt, nempe iuvenibus, decet hoc illos magis, quam te. Hoc sibi ab aliquo monitore dici fingit Horatius, indeque innuit sibi iam a choreis, et versibus et ceteris ludicris abstinendum. Hoc discrimen inter Satyras, et Epistolas Horatii intercedit; quod in Satyris vitia graviora reprehendit acriori stylo: in Epistolis agit lenius, et virtutes fere commendat. In utriusque perfecta recte vivendi ars traditur, quae in vitiis vitandis et colendis virtutibus consistit.

Q. HORATII FLACCI
DE ARTE POETICA

LIBER.

ORDO ET SYNOPSIS TOTIUS OPERIS.

Primo materiam, et partes poematis, earum inter sese consensionem explicat, a versu 1. *ad* 46. *II. Elocutionem, seu verborum versuumque rationem expendit, a versu* 46. *ad* 119. *III. Agit de personis, quae inducuntur loquentes in carmine Dramatico a* 119, *ad* 136. *IV. De moribus aetati cuilibet, ac personae idoneis disserit a* 136, *ad versum* 189. *V. De Tragoedia, et Comoedia seorsum disputat a* 189, *ad* 309. *VI. Continet praecepta quaedam artis Poeticae, et ad Poetam formandum, alendumque docet valere in primis naturam, artem, laborem, et accurati Censoris iudicium a versu* 309 *ad finem.*

HUmano *a*) capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, et varias inducere plumas,
Undique collatis *b*) membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne;
Spectatum admissi risum teneatis amici?

a) Ordo est. O amici, an risum teneretis, si admitteremini aliquam in domum ut spectaretis tabulam pictoris, in qua esset humanum caput impositum cervici equi, corpus muliebre superiori parte plumis tectum, posteriori in caudam piscis desinens. *b*) Undique corrogatis et e variis animalibus

Credite, Pisones *c*), isti tabulae fore librum
Persimilem, cuius *d*), velut aegri somnia, vanae
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formae. Pictoribus *a*) atque poetis
Quidilibet audendi semper fuit aequa potestas,
Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim:
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni:
Incoeptis gravibus *b*) plerumque, et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus; cum lucus, et ara Dianae *c*):
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum *d*), aut pluvius describitur arcus *e*).

velut comportatis et collectis. *c*) Duo filii Lucii Pisonis in cuius patrem Cicero est invectus; magnae spei adolescentes. *d*) Cuius partes similes erunt illis monstris et figuris specie-busque ridiculis et inter se non cohaerentibus, quae somnianti aegroto obversantur: ita ut nec pes, id est, congruat eidem formae et imagini: eamdem formam efficiant.

a) At enim, inquiet aliquis, pictores, et poetae, facultatem habent fingendi et scribendi quidquid libuerit: scio, respondet Horatius, et fateor, hanc illis dari veniam, sed ea tamen lege, ut ne monstra fingant. ut coniungantur animalia placida cum feris, v. g. agni cum tigribus, aves cum anguibus. *b*) Initium poematis est aliquando magnificum; sed postea inanes quaedam descriptiones ad propositum nihil pertinentes attexuntur, et ut panni purpurei vesti assuuntur. *c*) Erat celebris Dianae ara in Aricino nemore, quod est in Latio, cuius arae sacerdos dicebatur Rex nemorum: alia fuit in Taurica Chersoneso, ubi hospites immolabantur, et ad quam Orestes expiandus se contulit. *d*) Rhenus ingens fluvius Galliam inter et Germaniam fluit. *e*) Iris pluviam fere denun-

Sed nunc non erat his locus, et fortasse *f*) cupressum
Scis simulare *g*), quid hoc, si fractis enatat exspes,
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora *h*) coepit
Institui, currente rota *a*), cur urceus exit?
Denique sit, quodvis *b*), simplex dumtaxat, et unum.
Maxima pars vatum, pater, et iuvenis patre digni,
Decipimur specie recti: brevis esse laboro,
Obscurus fio. Sectantem laevia *c*) nervi
Deficiunt, animique: professus grandia turget:
Serpit humi tutus nimium, timidusque procellae
Qui variare *d*) cupit rem prodigialiter unam,

ciat, nec nisi roscida in nube ac stillante apparet. *f*) Tu similis es illis imperitis tyronibusque pictoribus, qui nihil aliud sciunt pingere, quam arbores: sed quid hoc, id est quid arbores opus sunt ad describendum hominis naufragium? Qui tibi aes, seu pecuniam ideo dedit, ut naufragium suum depingeres ad excitandam spectantium commiserationem; ad quod cupressus scite et eleganter picta nihil facit. *g*) Pingere; picturae laus enim prima est ut res eas, quas pingit, similes veris ac vivis efficiat. *h*) Alia allegoria: tuum poema erat inceptum splendide et magnifice, vas aliquod magnum moliri ac fingere videbaris; mox abis ad minutas descriptiones, quae sunt instar urceolorum prae ingenti amphora: debebas institutam amphoram, poema bene coeptum ad finem usque eodem stylo, vel uti rota currente perducere.

a) Utuntur figuli rota in fictilibus quasi torno fabricantur. *b*) Quodlibet poema unum quiddam sit: eius partes omnes in unum velut coalescant corpus. Hoc primum artis praeceptum. Alterum subiungit de modo componendi singulas partes, quem esse talem oportere docet, ut brevitati consulatur sine obscuritate, elegantiae nervi addantur: fugiatur tumor etc. *c*) Volentem uti ratione levi, ac polita qui nimis concinnum et comptum dicendi genus consectatur, is orationem plerumque mollem et enervatam efficit. *d*) Qui oblectare cupit ma-

Delphinum sylvis appingit; fluctibus aprum.
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Æmilium *e*) circa ludum faber imus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur aere capillos:
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam pravo vivere naso,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo:
Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter *f*) erit res;
Nec facundia deseret hunc; nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit, et Venus *g*), aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
Pleraque differat: et presens in tempus omittat.
Hoc amet *a*), hoc spernat promissi carminis auctor.
In verbis *b*) etiam tenuis *c*), cautusque serendis *d*).

xima et inaudita rerum varietate, is interdum delabitur ad res non minus absurdas, quam si delphinum piscem in sylvis ludentem describeret etc. *e*) Est quidam faber aerarius, qui imam habet seu ultimam tabernam, ex iis quae sunt circa ludum gladiatorium Aemilii (erat ille lanista) is eleganter imitatur capillos et ungues statuae, sed totam statuam suis, pro rata portione, constantem partibus ponere non poterit, imperitus et rudis in opere consummando: ego tamen illi similis esse nolim, quam habere turpem nasum et pulchros oculos. *f*) Accommodata potestati, viribus et facultati scriptoris. *g*) Gratia, dignitas.

a) Sumat tractandum, in hoc moretur, aliud probet, aliud reiiciat. *b*) Primum praeceptum elocutionem spectans, seu verba et versus. *c*) Parcus, modestus, subtilis. *d*) Novan-

Dixeris *e*) egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum; si forte *f*) necesse est
Indiciis *g*) monstrare recentibus abdita rerum *h*)
Fingere *i*) cinctutis *k*) non exaudita Cethegis,
Continget *l*): dabiturque licentia sumpta pudenter *m*).
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem *n*), si
Graeco fonte cadant, parce detorta. Quid autem *o*).

dis, fingendis, et quasi producendis, ut fruges satione gignuntur. *e*) Ea voce uti poteris commode, quam nova et ingeniosa iunctura reddet veluti novam, licet constet e notis et antiquis vocabulis. Sic *Velivolus*, *Foedifragus* et alia id genus nomina sunt inventa, et facta e duabus vocibus apte iunctis. *f*) Si fuerit necesse verbum aliquod recens procreare ad rem aliquam significandam. *g*) Vocabulis quae sunt rerum signa; *h*) Res abditas et ignoratas veteribus. *i*) Si est opus fingere quasdam voces non auditas, ignoratas priscis Romanis etiam disertissimis, qualis erat M. Cornelius Cethegus quem laudat Cicero in Bruto. *k*) Vox vetus, pro cinctis, sive indutis cinctu, erat autem ille cinctus modus quidam vestis cum togae lacinia reiecta in humerum sinistrum inde ad imum pectus infra brachium destrum revocabatur, et instar cinguli convolvebatur circa lumbos, pendente crurum tenus subligaculo. Virg. lib. 7. vers. 612. cinctus etiam significat acer, strenuus; et opponitur discincto. Epod. 1. *l*) Fieri hoc poterit, licebit uti verbis eiusmodi factis, continget fabricari nova vocabula *m*) Parce, verecunde. *n*) Valebunt, probabuntur, auctoritatem obtinebunt, si e Graeca lingua derivata sint, et modice deflexa. *o*) Cur Romani dabunt et concedent Caecilio et Plauto veteribus poetis comicis aliquid, quod negent Virgilio et Vario? (recentes illi erant poetae heroici, Horatii aequales). Cur licebit Caecilio et Plauto nova verba fingere, Virgilio et Vario non licebit? Caecilius natione Insuber, Comoediarum scriptor fuit; vocat eum Tullius malum latinitatis auctorem, artis tamen comicae et componendae Fabulae peritum fuisse apparet, quippe quem ipse Terentius consulere non dubitaret. Plura de illo vide in Ep. 1. huius libri. Lucius Varius Augusto carus in primis fuit, eiusque iussu

Caecilio, Plautoque dabit Romanus, ademptum
Virgilio Varioque? Ego, cur acquirere *a)* pauca
Si possum invideor *b)*? Cum lingua Catonis
c), et Enni *d)*
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit
Signatum *e)* praesente nota producere nomen.
Ut sylvae *f)* foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit
aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata, vigentque,
Debemur morti nos, nostraque, sive receptus *g)*
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus *h)*, sterilisve diu palus *i)*, aptaque
remis

Aeneidem emendavit, cum eam ipsi cremandam Virgilius moriens commisisset.

a) Paucis verbis augere et ditare linguam latinam. *b)* Prae invidia vetor, cur moleste feror? *c)* Duo fuere Catones, alter senior, sive censorius; alter eius nepos, Uticensis dictus, de utroque facta in Odis mentio. *d)* Ennius poeta Latinus vetus fuit de quo dictum prima huius libri Epist. *e)* Recens veluti cusum proferre et usurpare, ut recentem nummum vocem quam usus praesens comprobat. *f)* Ordo est ac sententia, quando sylvae mutantur foliis, seu amittant folia, singulis annis prunis, et in finem vergentibus, id est, Autumno exeunte, tunc prima folia et vetera cadunt. *g)* Ostendit obiter omnia esse morti obnoxia, etiam opera maxima et regifica, quorum tria hic delibat ab Augusto profecta. Primum est portu in Lucrino lacu ab Agrippa, iubente Augusto, factus ad arcendos classibus Aquilones, sive ad naves in tuta statione collocandas. In sinu Puteolano inter Baias et Puteolos erat lacus Lucrinus (L. 2. Od. 12.) is a Mari vicino disiungebatur angusta terrae parte, qua perfossa, Augustus mare in eum lacum immisit effectique portum, qui Iulius est appellatus Virgil. 2. Georg. versu 160. *h)* Pomptina palus sive Pomtina, in Latio, inter fluvios Asturam et Amasenum, non procul ab Foro Appii, sic dicta quasi Pometina, nimirum ab urbe

Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum:
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis *k*),
Doctus iter melius. Mortalia facta peribunt,
Nedum *a*) sermonum stet honos: et gratia vivax:
Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.
Quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi.
Res gestas, regumque, ducumque, et tristia bella,
Quo *b*) scribi possent numero monstravit Homerus.
Versibus *c*) impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis *d*) tamen exiguos *e*) elegos emiserit auctor,

Suessa Pometia ad fluvium Asturam sita, unde agro toti et paludi nomen. Eam olim exsiccaverat Cornelius Cethegus Consul, teste Plin. lib. 4. c. 4. Verum cum iterum aquis esset oppleta, iaceretque ingens ager sterilis, imo etiam remis ac cymbis pervius, Augustus iterum eamdem siccavit. *i*) Regale opus; tanti sumptus, ut nemo alius id efficere posset nisi cui regiae imperatoriae, essent opes. *k*) Tyberis, qui cum saepe exundans agros vicinos, ipsiusque urbis partem mergeret, ab Augusto derivatus est in aliam partem, et priorem alveum deserere coactus, molibusque obiectis repressus.

a) Multo certe minus. *b*) Nempe versu heroico et grandiori, qualis vulgo hexameter. *c*) Querelae seu res lugubres inclusae primum sunt versu elegiaco, mox etiam sententia, id est, argumentum, seu res laetae et prosperae, quae nos voti compotes faciunt. Elegiam porro vocat versus impariter iunctos quia in Elegia primus versus, sed alter quinque pedibus constat. *d*) Ordo est. Tamen adhuc certant inter se grammatici et

Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est,
Archilochum proprio *f)* rabies armavit iambo.
Hunc *g)* socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis *h)* aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis,
Musa *i)* dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem *a)* victorem; et equum certamine primum *b)*
Et iuvenum curas; et libera vina referre.
Descriptas servare vices *c)*, operumque colores,
Cur ego si nequeo, ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire, pudens prave *d)*, quam discere malo?

nondum definita haec, atque diiudicata lis est, quis primus auctor et inventor Elegiae fuerit. *e)* Quia stylum Elegia tenuem postulat: non sublimem, ut versus heroicus. *f)* Quem invenit, et quo usus est in Lycamben cuius filiam Neobulen uxorem expetebat, sed ab eo repulsus, tam amaros in eumdem iambos scripsit, ut ipsum coegerit laqueo vitam finire. *g)* Iambum pedem et versum sumpsere sibi Comoediae et Tragoediae. Socci sunt humiliores calcei quibus utebantur actores Comoediarum; cothurni altiores, quos Tragoedi inducbant. *h)* Quia mutuis colloquiis est idoneus, et pronunciari facile atque audire ob gravitatem quamdam, potest in theatro, ubi strepitus ingens: denique videtur natus et factus ad hominum actiones et negotia verbis et actionibus repraesentanda, quod in Comoedia et Tragoedia fit. *i)* Musae voluerunt ut referrentur, seu canerentur fidibus, id est, versu lyrico, Divorum laudes et Heroum, qui sunt Deorum filii, victoriae pugilum, curae ludicrae iuvenum, cantilenae liberiores.

a) Vocabantur pugiles ii qui pugnis et caestibus certabant, seque deiicere alter alterum nitebatur in certaminibus Olympicis. Vide Od. 1. lib. 4. *b)* Caeteris celeriorem, in curuli certamine. *c)* Ordo est, si ego nequeo et nescio servare istam carminum varietatem ab Musis et usu ipso praescriptam, ita ut unumquodque opus et argumentum suo colore adumbrem, id est, suo exponam carmine, cur poeta dicor? *d)* Male et perpe-

Versibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item privatis *e*), ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae *f*).
Singula quaeque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen et vocem comoedia tollit *g*);
Iratusque Chremes *h*) tumido delitigat *i*) ore:
Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri *k*).
Telephus *l*) et Peleus, cum pauper, et exul uterque,
Proiicit *m*) ampullas; et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse quereia.
Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,
Et quocumque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus *a*) adsunt

ram verecundus. Cur praepostero pudore ductus malo ignorare quod meum erat scire, quam illud ab aliis discere, et fateri meam ignorantiam? *e*) Nihil altum et haeroicum sonantibus, sed plebeiis etc. *f*) Argumentum tragicum, qualis est Thyestae coena, qui cum Atrei fratris uxorem affecisset ignominia, Atreus illi suos liberos epulandos apposuit. Vid. Senecae Trag. hoc argumento scriptam. *g*) Grandiori stylo et versibus sonantioribus utitur. *h*) Senex, in Comoedia Terentiana. *i*) Acriter litigat, et in filium furit. Vide actum 5. Heautontimorumeni Teren. sic, *desaevit*, pro valde saevit, *denarrat* etc. *k*) Versibus Iambicis humilioribus et negligentius factis, quales a Comicis fere usurpantur. Hoc probat exemplis Telephi et Pelei. *l*) Rex Misiae fuit, qui cum transitum Graecis Troiam petentibus negasset, ab Achille vulneratus est, regnoque pulsus, mox tamen veniam a Graecis petens restitutus, et rubigine, quam ex Achillis hasta eraserat, sanatus est. Peleus Achillis pater, ab Aeaco suo parente ob fratrem interfectum, exulare est iussus. *m*) Abiicit, non utitur ampullatis et sonantibus, longis et magnificis verbis, si vult auditores ad commiserationem suis versibus querulis, movere.

a) Reddunt se statim similes: legunt aliqui, *adstent* sen-

Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia laedent
Telephe *b*), vel Peleu; male si mandata *c*),
loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia moestum
Vultum verba decent, iratum plena minarum:
Ludentem lasciva *d*): severum seria dictu,
Format enim *e*) natura prius nos intus ad
omnem
Fortunarum habitum: iuvat, aut impellit ad
iram,
Aut ad humum moerore gravi deducit, et
angit:
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites, peditesque cachinnum
Intererit multum, Davusne *f*) loquantur an
heros;
Maturusne senex, an adhuc florente iuventa
Fervidus; an matrona potens, an sedula nu-
trix *g*):
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli:

tentia est, nos in aliorum animis facile motum excitaturos quem ipsi prius in nobis effecerimus. *b*) O actor qui Telephum repraesentas exulem etc. *c*) Impositos tibi et mandatos ad recitandum versus. *d*) Iocosa, ludicra. *e*) Ostendit cur verba sint affectibus accommodanda: quia, inquit, natura imprimit nobis affectus fortunis nostris convenientes, et respondentes conditioni nostrae, habitui seu statui: nunc iuvat nos, id est, delectat, laetitiam inspirant, nunc ad iram impellit, aut humi prae tristitia quasi abiicit: sed quia latent illi affectus, eos effert et quasi foras promit lingua, quae cum tantum interpres sit, debet nihil aliud nec alio modo dicere, quam quod est illis affectibus appositum et conveniens. *f*) Servus aliquis vafer et perfidus. Legunt aliqui, *Divusne*. *g*) Tales vocabantur mulieres foeminis principibus ad honorem, consilium, et custodiam.

Colchus *h*), an Assyrius *i*), Thebis *k*) nutritus, an Argis. *l*).
Aut famam *m*) sequere, aut sibi convenientia finge
Scriptor: honoratum *a*) si forte reponis *b*) Achillem *c*):
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura *d*) neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea *e*) ferox invictaque, flebilis Ino *f*),
Perfidus Ixion *g*), Io *h*) vaga, tristis Orestes *i*),
Si quid inexpertum *k*) scenae committis, et audes

appositae. *h*) Colchis est Asiae regio ad Pontum Euxinum, barbara et veneni ferax. Assyrii sunt in cadem Asia ad meridiem, molles et voluptatibus dediti. Thebani in ea Graeciae parte sunt, ubi pcrerassior homines tardiores et hebetiores facit. Argivi in Peloponneso, generosi habebautur, et ambitiosi. *i*) Od. 4. Lib. 3. *k*) Od. 3. Lib. 4. *l*) Od. 6. Lib. 1. *m*) O scriptor, et poeta, si quam personam repraesentas fama notam, sequere illa quae vulgo de ipsa dicuntur, illam exhibe talem, qualem fuisse fama praedicat, si fingis novam personam et ignotam, cura ut quae de illa fingis constent sibi et conveniant: ne, v. g., primo barbaram, postea humanam exhibeas: utrumque hoc praeceptum exemplis firmat.

a) Illustrem, ab omnibus celebratum. *b*) Ab Homero, aliisque dictum, exhibes iterum, in scenam inducis. *c*) Lib. 1. Od. 5. 7. 9. 13. Lib. 4. Od. 4. *d*) Affirmet leges non sibi esse factas et impositas, sed aliis: se legibus hominum ceterorum solutum dicat. *e*) Od. 3. Epod. *f*) Cadmi filia, Athamantis uxor fuit. Athamas in furorem actus cum eam persequeretur ac interimere tentaret, fugiens. Ino cum filio Melicerta in mare se praecipitem dedit; Dea subinde maris est facta, et Leucothea vocata: eiusque filius, Palaemon appellatus. Ovid. lib. 4. Metamorph. nostras ibi notas vide. *g*) Uxoris suae patrem per fraudem interemit. *h*) Inachi primi Argivorum regis filia, quam Jupiter in vaccam mutasse fertur: eadem aestro a Junone immisso agitata multas orbis regiones peragravit ac tandem in Aegyptum venit, ubi culta est pro Dea. *i*) Agamemnonis filius, matrem Clytemnestram interemit, ac furiis agitatus est. *k*) Ea vox passivam hic significationem habet: intentatum; personam no-

Personam formare novam, servetur ad imum *l*)
Qualis ab incoepto *m*) processerit, et sibi
constet.
Difficile *n*) est proprie communia dicere: tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota, indictaque primus.
Publica materies privati iuris erit, si
Nec circa vilem, patulumque moraberis
orbem *a*):
Nec verbum *b*) verbo curabis reddere fidus
Interpres: nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet; aut operis lex.

vam, a te primum inventam. *l*) Usque ad finem poematis. *m*) Initio. *n*) Hortatur poetas ad trita et nota argumenta tractanda: quia inquit, plus est in iis tractandis, difficultatis et gloriae, quam vulgo creditur, si quis ea proprio quodam ac peculiari modo tractare velit, tuque commodius feceris, quicumque tragoediam meditaris, si tibi sumas argumentum ex Homeri Iliade notissima, quam si fingas aliud ignotum et indictum, id est, non dictum, non tractatum ab aliis. Porro publicum et commune argumentum privati iuris ac proprium efficies si non haereas in vili orbe et cyclo etc. Lambinus hic argumenta communia dici putat, in medio posita, nondum a quoquam occupata et tractata, censetque ab Horatio deterreri scriptorem, ne illa tractet, quia difficile fieri propria possunt, arduum est ea ornare de integro: facilius autem est tractata iam ornata variare, immutare, etc.

a) Erat apud Graecos liber quidam omnium fabularum serie quamdam usque ad Ulyssis reditum in patriam, complectens paucis verbis et sine ornatu. Hunc librum vocabant *Epicum Cyclum*, quasi orbem seu circulum poeticum, qui omnia contineret argumenta ex Orbe illo sumenda ut in eo scripta erant, sed variis fictionibus illustranda, et immutanda esse. *b*) Si quem imitaris, v. g. Homerum, non, interpretis ritu, exscribes omnia sic, ut verbum Graecum v. g. latino reddas; neque etiam (dum illum quem imitaris, veluti totidem passibus sequeris) deduci te patieris in aliquem angustum difficilemque locum, unde re-

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus *c*) olim:
Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum.
Quid dignum tanto feret *d*) hic promissor hiatu *e*)?
Parturiunt *f*) montes: nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic *g*), qui nil molitur inepte!
Dic mihi *h*) Musa virum *i*), captae post tempora Troiae;
Qui mores hominum multorum vidit, et urbes;
Non fumum *k*) ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem *l*), Scyllamque *m*), et cum Cyclope *n*) Charybdim:
Nec reditum *a*) Diomedis ab interitu Meleagri,

gredi sine pudore non possis, nec vero debeas, si legem tibi a te ipso impositam et operis totius filum institutumque iter sequaris. *c*) Poetae qui ex illo libro, quem Epicum Cyclum appellatum fuisse diximus, poematis sui sumpserat argumentum vel circumforaneus scriptor, qui in circulis sua carmina recitaret. *d*) Afferet, producet. *e*) Tam magnificis promissis, exordio tam splendido. *f*) Nota Aesopi fabula: mons quasi parturiens horrificos edebat sonitus; homines feraeque expectabant quorsum evaderent haec murmura, mus exiguus a radice montis prodiit, et metus omnis in risum est solutus. *g*) Homerus. *h*) Est initium Odysseae: *i*) Ulyssem. *k*) Non id agit Homerus ut splendida exordia praeponat poemati, daturus deinde fumum, id est, descensurus ad res humiles, et viles narrandas; sed ex fumo, post exordium obscurum, vulgare meditatus et grandia, et splendida subtexit. *l*) Fuit Antiphates Lestrigonum Rex, homines vorare solitus, quem vix effugit Ulysses praecisi navigiis retinaculis. *m*) Monstrum marinum, canibus succinctum. Phorci filia fuisse fertur et a Circe, mutata inferiore corporis parte in caninos rictus, fonte quo lavari solebat venenis infecto. Charybdis vero monstrum alterum fuit seu vorago tetra in freto Siculo e regione Scyllae. *n*) Polyphemo, qui tres Ulyssis socios devoravit, et ab eo inebriatus occaecatusque est: de quo fuse Homerus lib. 9. Odys. Virg. Lib. 3. Aeneid. versu 920.

a) Non accessit longe poematis exordium, ut ille poeta qui

Nec gemino *b*) bellum Troianum orditur
ab ovo.
Semper ad eventum *c*) festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit, et quae
Desperet tractata nitescere posse, relinquit *d*):
Atque ita mentitur *e*), sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego et populus mecum desideret,
audi,
Si plausoris *f*) eges aulaea *g*) manentis, et
usque
Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores:

narraturus Diomedis reditum in patriam, incipit ab Meleagri interitu, qui frater fuit Tydei, ex quo Diomedes natus. Virg. Lib. 6. versu 240. Meleagri necem illatam ipsi a matre Althea vide apud Ovid. Metam. lib. 6. *b*) Fingunt poetae Clytemnestram et Helenam, quae causa fuit belli Troiani, natas fuisse, ex ovo. *c*) Ad rerum finem: properat ad exitum, ita ut, cum inchoat, prope abesse illum a fine putes. Incipit extrema narrare, vel media, quasi auditor iam nosset ea quae antecessere. Sic Virgilius Homerum imitaturus, ab ultimo anno quo Aeneas post errores varios in Libyam tempestate delatus est, incipit, et occasionem dat Aeneae narrandi, quae passus fuerit totis sex ante annis. *d*) Omittit penitus ac silet ea quae poliri et ornari non possunt. *e*) Ingeniose fingit. *f*) Si expetis spectatorem qui plausu tuam fabulam, id est, tragoediam vel comoediam approbet, qui maneat, id est, expectet aulaea, id est, donec aulaea sive peristromata, quibus ornari scena solet, tollantur ea finita; qui eo usque sedeat, non ante exsurgat abeatque, quam aliquis actor, seu prece dimittens spectatores eos solemni voce ac formula compellet, plaudite. Uno verbo si placere fabulam tuam optas, diligens esto in notandis et exprimendis moribus unicuique aetati convenientibus; ita ut naturis hominum, ingeniis et moribus, qui cum aetate mutantur et mobiles sunt, detur suus decor, id est decorus et aptus sermo, indoles, studia idonea tribuantur. *g*) Vid. Epist. 1. Lib. 2.

Mobilibusque decor naturis dandus, et annis.
Reddere *a*) qui voces iam scit puer, et pede certo,
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram.
Colligit, ac ponit temere: et mutatur in horas.
Imberbis iuvenis tandem custode *b*) remoto,
Gaudet equis, canibusque *c*), et apricì gramine campi *d*),
Cereus *e*) in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium *f*) tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis *g*) cupidusque, et amata relinquere pernix *h*),
Conversis *i*) studiis *k*) aetas, animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet *l*): quod mox mutare laboret,
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit *m*), et inventis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide, gelideque ministrat *n*),
Dilātor, spe longus *o*), iners, avidusque futuri,

a) Puer qui iam articulate loquitur, ac firma humi ponere vestigia per aetatem potest. *b*) Moderatore, paedagogo. *c*) Venatione. *d*) In campo Martio sub urbis moenia iuvenes exercebantur cursu, saltu, disco. Od. 7. lib. 1. *e*) Facilis, mollis instar cerae. *f*) Tarde providens et comparans, ea quae utilia sint ipsī futura. *g*) Elatus, arrogans. *h*) Celer. *i*) Mutatis, dissimilibus. *k*) Propensionibus, curis, occupationibus, consiliis. *l*) Timet, fugit: cavet ne quid faciat cuius poenitere possit, quod infectum et mutatum velit. *m*) Subaudi opes. *n*) Administrat, gerit. *o*) Suas spes in longum ducens, raro desperans. Nemo est tam senex, inquit Cice-

Difficilis , querulus , laudator temporis acti
Se puero *p*), censor castigatorque minorum *q*).
Multa ferunt anni venientes *r*) commoda secum,
Multa recedentes adimunt , ne forte seniles
Mandentur iuveni partes *s*) pueroque viriles ,
Semper in adiunctis *t*) aevoque morabimur
aptis.
Aut agitur *u*) res in scenis *x*) aut acta refertur,
Segnius irritant animos demissa per aurem ,
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus ,
et quae
Ipse sibi tradit *a*) spectator : non tamen intus
Digna geri promes in scenam , multaque tolles
Ex oculis , quae mox narret facundia praesens.
Nec pueros *b*) coram populo Medea trucidet :
Aut humana palam coquat exta *c*) nefarius
Atreus :

ro , qui non putet se annum adhuc posse vivere. *p*) Temporis pristini quod actum est , ac praeteritum , quod fluxit , cum esset ipse puer. *q*) Iuniorum , qui minorem sua aetatem habent. *r*) Crescentes , iuveniles : anni venire et accrescere dicuntur usque ad annum 50. inde , abire ac recedere : iuventus v. g. memoriam , vires etc. affert , quas senectus adimit. *s*) Persona , mores. *t*) Vicinis , appositis. *u*) Aliquae res et actiones in theatro exhibentur et aguntur , aliquae narrantur tantum gestae ab aliis extra scenam. Plus movent illae videntur , segnius quae audiuntur , non tamen exhibendae sunt actiones quaedam tetrae atque immanes , sunt enim illae digniores quae intus , domi , clam et post scenam gerantur. Erunt igitur ab aliquo actore in ipso theatro diserte et ornate narrandae. *x*) Theatra seu illorum ornamenta his temporibus fiebant ex arborum ramis , quod ista vox , *scena* , sonat : deinde ex aulaeis et tabulis confecta sunt , denique ex marmore etc.

a) Videndo ; non accipit ab aliis , audiendo. *b*) Medea filios duos , quos ex Iasone susceperat , coram ipso interfecit. Vide Senec. in Med. lib. Epod. Od. 3. *c*) Viscera. Vide

Aut in avem Progne *d)* vertatur, Cadmus *e)*
in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci vult, et spectata reponi *f)*.
Nec Deus intersit *g)*, nisi *h)* dignus vindice
nodus
Inciderit: nec quarta *i)* loqui persona laboret
Actoris *k)* partes chorus *l)*, officiumque virile
Defendat, nec quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte,
Ille bonis faveatque *a)*, et consilietur *b)* amicis,
Et regat iratos, et amet peccare *c)* timentes.
Ille dapes laudet mensae brevis *d)*, ille salubrem
Iustitiam, legesque, et apertis otia *e)* portis,

vers. 91. supra, et Od. 14. lib. 1. *d)* Quae cum Ityn filium Tereo marito suo, a quo affectam iniuria sororem suam Philomelam cognoverat, comedendum apposuisset, in hirundinem est mutata. Od. 11. lib. 4. *e)* Senio confectus in draconem mutatus est. Ovid. 3. Metam. *f)* Iterum exhiberi, quamvis iam spectata fuerit. *g)* In scenam inducatur, et per machinam aliquam e caelo descendat. *h)* Nisi occurrat aliqua actio difficilis quae solvi et explicari non possit, quin vindex, interpres, et quasi servator Deus accedat: qui fabulam quasi perituram servet, vindicet in libertatem, nodo et vinculo soluto. *i)* Tres tantum personae loquantur in singulis scenis. *k)* Chorus locum, et partes unus actoris tueatur et obtineat, sit instar personae gravis, honestae, virilis, et cordatae, neque inter actus aliquid canat, quod toto fabulae non appositum sit, quod alienum sit ab argumento. *l)* Erat hominum multitudo, virorum ac mulierum quae intererat scenas et in actionem tragicam se interponebat. Locum enim ubi tragoedia exhibebatur, quam vulgo scenam vocamus statuebant fere poetae Graeci in aliqua platea seu vestibulo vel atrio palatii, ubi populus frequens adest.

a) Laudet homines probos. *b)* Det consilium. *c)* Viros innocentes a peccato abhorrentes. *d)* Frugalis et parcae. *e)* Subaudi amet, laudet: pacem commendet quae, securo paten-

Ille tegat *f*) commissa, Deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna *g*) superbis,
Tibia *h*) non, ut nunc orichalco *i*) vincta, tubaeque
Æmula, sed tenuis, simplexque foramine pauco
Adspirare, et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu,
Quo *k*) sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi *l*), castusque, verecundusque coibat *m*)
Postquam coepit agros extendere victor *n*), et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari *o*) Genius festis impune *p*) diebus,
Accessit numerisque *q*) modisque *r*) licentia maior.
Indoctus quid enim saperet *s*) liberque laborum,
Rusticus, urbano confusus, turpis honesto?

tibus urbium portis cives praestat. *f*) Ne prodat, ne aperiat arcana sibi credita. *g*) Felix nempe et secunda. *h*) Non olim erat tibia, ut est nunc, vincta et ornata circulis quibusdam ex orichalco factis, non erat ingens et tubae par, sed tenuis erat ac eiusmodi, ut aspirare, seu canere, et iuvare chorum posset, audirique per sedilia in quibus erant spectatores non nimis spissi et frequentes, atque adeo numerari faciles. *i*) Orichalcum est aeris genus quoddam splendidum, et auri fulgorem imitans. *k*) In quem locum, ad quae sedilia. *l*) Probus. *m*) Conveniebat, confluebat. *n*) Romanus. *o*) Postquam coeptum est vino indulgere, potari de die liberius, impune et sine legum metu. Genium Deum putabant esse vitae singulorum hominum praesidem, amantem voluptatis et deliciarum, quia illis maxime fovetur vita, illum placari et conciliari vino et comessationibus; unde genio indulgere, est carpere dulcia, obsequi animo. Epist. 1. Lib. 2. *p*) Aliis enim diebus, quam festis, non licebat de die convivia celebrare, sed tantum sub vesperam. *q*) Versibus. Vid. Od. 1. Lib. 1. *r*) Cantui, Musicae. *s*) Quem tenere modum posset? An se modeste ac sapienter poterat gerere multitudo conflata ex rusticanis etc.

Sic priscae motumque *a*) et luxuriam *b*) addidit arti
Tibicen, traxitque *c*) vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus *d*) voces crevere severis,
Et tulit *e*) eloquium insolitum facundia praeceps.
Utiliumque sagax rerum, et divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis *f*).
Carmine *g*) qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox *h*) etiam agrestes Satyros nudavit, et asper *i*)
Incolumi gravitate iocum tentavit eo, quod
Illecebris erat, et grata novitate morandus.

a) Gestus incompositos ac lascivos, saltationem. *b*) Ornatum elegantiorem et supervacaneum, sumptus, copiam et luxum in ornandis tibiis, in vestiendis histrionibus etc. *c*) Cum longa veste, quae syrma dicitur, per pulpita, id est, scenam et locum in ea destinatum histrionibus, vagatus et spatiatus est. *d*) Citharis quoque antea gravibus ac severis additae sunt chordae, ac voces novae, ut foramina fuerunt addita tibiae. *e*) Facundia seu oratio, quae olim erat modeste eloquens, iam praeceps et incitata protulit, attulit novam eloquentiam; sonantior et ambitiosior facta est; sententia, seu morales sermones qui a choro et actoribus adhibebantur olim ad res utiles sagaciter explicandas, et futura prospicienda, adeo evasis obscura et implexa, ut non discrepuerit, ut similis fuerit Delphicis aenigmatis, quibus oracula forte, id est, in cartis aut tabellis sorte, et fortuito, eductis, eduntur et exponuntur. *f*) Delphi urbs Phocidis in Graecia, ubi templum Apollinis celeberrimum. *g*) Id est, qui primus scripsit et invenit tragoediam. Hircus enim, sive ut alii volunt, uter factus hircino e corio, vino plenus, erat praemium illorum qui tragoedias scriberent. *h*) Non ita multo post inventam tragoediam, adhibuit eius inventor inter actus singulos et nudavit, seu nudos introduxit satyrorum et aliorum eiusmodi agrestium Deorum compositas cum auriculis, caprinis pedibus etc. quae risum moverent et asperitatem serii ac severi carminis exhilararent: ita tamen ut sua maneret, incolumis, et salva esset tragoediae gravitas. *i*) Et cum esset ipse asper, id est, eius carmen et tragoedia esset seria et severa, tentavit

Spectator, functusque sacris *k)*, et potus *l*), et exlex *m*).
Verum *a*) ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet satyros, ita vertere serie ludo,
Ne, quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros.
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas,
Aut dum vitat humum, nubes, et inania captet.
Effutire *b*) leves indigna tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri iussa diebus,
Intererit, satyris paullum pudibunda protervis
Non ego *c*) inornata et dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisones; Satyrarum scriptor amabo:

illi sales et suavitatem aspergere etc. *k*) Defunctus sacrificiis, peractis sacrificiis, quae post vindemiam fiebant in honorem Bacchi. *l*) Epulatus, ebrius. *m*) Sine lege, erat enim magna in illis diebus festis licentia.

a) Tamen ita decebit commendare, laudare, et adhibere istos satyros, qui sunt risores, qui iocis delectantur, et dicaces, id est, qui sales et faceta convicia spargunt; ita oportebit seria mutare et vertere iocosis, immiscere graviori carmini ludicra spectacula et carmina, ut quicumque heros vel Deus fuerit in tragoedia introductus et paullo ante, v. g. in superiori actu conspectus ostro et auro indutus, idem non misceatur satyris, aut personam eiusmodi ridiculam agat, ac viles opifices et tabernarios loquendo imitetur: aut, dum humilitatem sermonis vult fugere, nimium se attollat, elato utatur et ampullato sermone; instar avis quae supra nubes tollitur et inania illa quae inter caelum ac terram sunt spatia, captat. *b*) Tragoedia, indigna quae versus leves effutiat, ac temere petulanterque garriat, id est, cuius gravitas abhorret ab versibus iocosis; intererit, versabitur paullum, id est, raro, cum satyris protervis; idque pudibunda et ut matrona iussa saltare diebus festis, quod cum gravitate quadam facit. Sententia est, raro Satyros in tragoedia esse admiscendos. *c*) Porro in his satyris seu versibus ridiculis componendis non

Nec sic *d*) enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum.
An custos, famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto *a*) fictum carmen sequar; ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum, frustrāque laboret
Ausus idem: tantum *b*) series, iuncturaque pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.
Sylvis *c*) deducti cave aut, me iudice, Fauni *d*):
Nec velut innati triviis, ac pene forenses,
Aut nimium teneris iuvenentur versibus umquam,
Aut immunda crepent *e*), ignominiosaque *f*) dicta,

sectabor, nolim a poeta praecipue operam poni in adhibendis verbis inornatis et quibus res obscoenae appellentur nominibus dominantibus, id est, propriis: vox enim, *dominans*, graece proprium significat. *d*) Neque tamen in isto Carmine quos Satyros vulgo vocant si adhibebo sermonem a Tragico sermone differentem et quasi discolorem, ut idem sit sermo actorum omnium et personarum Comoediae, et eodem modo in ea loquatur Deus aliquis, v. g. Silenus Bacchi custos, ac Davus nempe servus comicus, aut Pythiae, ancilla comica, quae talentum dolo abstulerit ab hero suo Simone. Emungere aliquem argento est locutio Terentiana, pro, auferre et extorquere per fallaciam. De talenti valore mentio non semel est facta.

a) Id potius observabo in istis Satyris et iocis componendis, ut e rebus et vulgaribus notis et vulgaribus fingam aliquid ingeniose, quod qui audierit, speret idem se facile facturum, at si tentet, experiaturque, sudaturus sit atque intellecturus rem esse opinione difficiliorum. *b*) Noti et vulgaris argumenti e medio sumpti tractatio iucunda et elegans fiet propter seriem rerum ipsarum et coagmentationem ingeniosam fabulae. *c*) Cum agrestes personae in scenam inducentur, velut e sylvis deductae, caveant ne tamquam urbani scurrae et in mediis triviis ac foro nati lasciviant, et excultis versibus ac politulis iuveniliter garriant. *d*) Od. 3. lib. 3. *e*) Loquantur, ore putido proderant. *f*) Contumeliosa. *g*) Equites Romani, nobiles et locupletes. Patrem habere dicebantur, qui erant parente

Offenduntur enim, quibus est equus *g*), et pater, et res,
Nec, si quid fricti ciceris *h*) probat, et nucis emptor:
Æquis accipiunt animis, donantve corona.
Syllaba longa brevi subiecta *i*), vocatur iambus,
Pes citus: unde etiam *k*) trimetris accrescere *l*) iussit
Nomen iambêis, cum senos redderet ictus *m*),
Primus *n*) ad extremum similis sibi: non ita pridem.
Tardior ut paullo, graviorque veniret ad aures,
Spondaeos stabiles *a*) in iura paterna recepit
Commodus, et patiens: non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. Hic *b*) et in Acci *c*)

claro et nobili, cuius nomen saepe in publicis monumentis eum filii nomine ponebatur. *h*) Est cicer leguminis genus, quo pauperes vescebantur. *i*) Postposita. *k*) Eo quod iambus citus et celer sit, factum est ut versus iambei licet senos ictus reddant, sex pedibus constent, tamen trimetri nominentur quasi tres tantum mensuras habeant et duo pedes iambi pro una censeantur mensura. *l*) Addi, imponi. *m*) Cum versus metiebantur Rom. et audiebant eorum pedes singulos pedum plausu ictuque, aut micantibus sonantibusque digitis numerabant. *n*) Olim pes Iambus a prima parte versus, usque ad extremam erat similis sibi nempe unus et idem Iambus: totus versus constabat e meris pedibus Iambis, at non ita pridem recepit instar benigni et commodi hospitis in iura paterna, in sedes quas a patre et inventore suo acceptas tenebat, spondaeos stabiles, id est, graviores, non ita citos; nempe ut plus haberet gravitatis, ut tardius et lentius pronuntiaretur: non ita tamen admisit Spondaeum ut de secunda sede, aut quarta cederet; ut eas socio et hospiti suo concederet, sed illas sibi retinuit, semper esse debet Iambus in 2. loco: 4. et 6. aliis sedibus et locis poni potest spondaeus.

a) Aequaliter nixos ac firmos. Iambus veluti claudus est, et altera syllaba impar, constans nempe brevi, et longa. *b*) Pes Iambus. *c*) Accius et Ennius veteres poetae latini, in

Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni,
In scenam d) missos magno cum pondere versus
Aut operae celeris nimium, curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata e) poemata iudex;
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager f), scribantque licenter, an omnes g)
Visuros peccata putem mea tutus, et intra
Spem veniae cautus? Vitavi a) denique culpam,

scribendo fuere negligentiores, unde in eorum trimetris, id est, iambicis versibus senariis, rari apparent Iambi, plures spondaei etc. d) Legitur vulgo missos: et est sententia, Iambus rarus, qualis est in Ennio arguit illius versus iambicos traditores et quasi spondaeis oneratos, et condemnat eos operae nimium celeris, id est ostendit scriptos fuisse nimium festinanter, ac deproperatos, aut ab eo compositos, qui artem poeticam turpiter et flagitiose ignoraret. Quidam punctum adhibent post voculam Enni, et legi volunt *missus*: nihil tamen afferunt cur lectio recepta mutanda videatur, ita sententiam exponunt: versus Iambicus in scenam missus, pronunciatus in theatro, magno cum pondere, gravitate et tarditate quam illi afferunt videlicet spondaei frequentiores, premit et arguit scriptores et poetae, damnatque turpi crimine vel negligentiae, qui operam celeriorem quam parsit, adhibebant, qui iusto citus et festinantius scribant. e) Suis pedibus modulisque carentia. f) Quod se primum obtulerit, arripiam, leges carminum et quasi vincula negligam? g) An ita scribam, ut putem omnes peccata mea visuros, facile enim adversuros, quid peccem in scribendo, tamen parum curem accurate scribere, tutum me existimans, ea spe fore ut eamdem mihi veniam concedant, quam aliis ante me poetis concesserunt: et eatenus tantum sim cautus ac diligens in scribendo, quatenus est opus ad obtinendam veniam? Qui veniam sperat debet aliquam adhibere diligentiam, iis enim non ignoscitur, qui omnino vitiose et negligenter scribunt.

a) Ubi tamen istas leves pedum versuumque regulas observavero, culpam certe effugiam, non idcirco tamen laudem et praemium merebor, quae tantillis rebus non debetur. b) Graeci

Non laudem merui. Vos *b*) exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi Plautinos *c*) et numeros, et
Laudavere sales: nimium patienter utrumque *d*),
(Ne dicam stulte) mirati, si modo *e*) ego, et vos.
Scimus inurbanum lepido seponere dicto.
Legitimumque sonum digitis callemus, et aure.
Ignotum *f*) tragicae genus invenisse Camoenae
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quae canerent, agerentque, peruncti foecibus ora.
Post hunc *g*) personae pallaeque repertor honestae.
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit *h*) vetus his Comoedia non sine multa
Laude: sed in vitium *i*) libertas excidit, et vim

in pedibus versuum retinendis et adhibendis Salibus longe fuerunt nostris poetis religiosiores et sapientiores, eos legite diu noctuque. *c*) Epist. 1. l. 2. *d*) Numeros Plauti, seu iocos illiberales. *e*) Si quidem ego et vos, o Pisones, scimus scurriles facetias ab lepidis et honestis distinguere, et metiri versus eorumque numeros deprehendere. *f*) Thespis poeta Graecus dicitur primus invenisse camoenam seu carmen tragicum antea ignotum: Tragoediae inventor fuit, et imposuit plaustris rusticos recitantes poemata et agentes, qui larvae loco sibi vultum perungebant vindemiae faecibus, l. 1. Ep. 1. *g*) Post Thespin, Aeschilus poeta graecus invenit et dedit suis actoribus personam, seu larvam, et pallam, seu longiorem vestem, honestam: idem theatrum extruxit, et tignis imposuit, cothurnos addidit, et grandiora verba. *h*) Post Thespim et Aeschilum, poetae omissis tragicis argumentis contulerunt se ad hominum vita nominatim, et palam carpenda, et in scenam inducenda. Hoc fecit Comoedia vetus de qua Vide Sat. 4. l. 1. *i*) Vitiosa evasit licentia dicendi, et in

Dignam lege regi, lex est accepta: chorusque
Turpiter obticuit; sublato iure nocendi.
Nil *a*) intentatum nostri liquere poetae.
Nec minimum meruere decus: vestigia *a*) Graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas *c*), vel qui docuere *d*) togatas.
Nec virtute *e*) foret, clarisque potentius armis,
Quam lingua, Latium, si non offenderet unumquemque
Poetarum limae *f*) labor, et mora. Vos o
Pompilius sanguis *g*) carmen reprehendite, quod non
Multa dies, et multa litura coercuit *h*), atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem *i*).
Ingenium *k*) misera quia fortunatius arte

maledicendi consuetudinem delapsa est, tanta cum procacitate, et violentia, ut eam comprimendam esse legibus homines putaverint. Lata lex et accepta est, ademptum ius illud maledicendi, et nocendi alienae famae, quod cum praecipue faceret Chorus, silere iussus est, sublatus est.

a) Poetae latini versati sunt in Comoedia pariter et Tragoedia. *b*) Postquam imitari Graecos desierunt, et omissis argumentis, quae ab illis erant tractata, Romanas res celebrare versibus coeperunt. c) Latinas Fabulas, et Tragoedias in quibus agunt nobiles personae, et heroicae, praetexta enim vestis erat nobilium puerorum, et Magistratuum Romanorum, Toga, vestis, plebis et communis. Unde Fabula Togata Romanam Comoediam hic videtur significare. *d*) Egere, scripsere. *e*) Bellica. *f*) Limandi carminis et poliendi. *g*) O Pisones, qui originem ducitis a Numa Pompilio. *h*) Emendavit, correxit. *i*) Id est, eo usque donec unguis perfectus, sive artificis perfecti, in eo nihil vitii deprehenderit. Ducitur metaphora haec a marmorariis, qui in poliendis, et iungendis marmoribus ungue superinducto probant opus, et explorant num iuncturae sint probe commissae, num politum recte marmor sit. Legit Lambinus *perfectum ad unguem*, sive *praefectum*. Homines elegantes, et polituli ungues diligenter praesecant: quod ad opus diligenter elaboratam transfertur.

Credit, et excludit sanos Helicone *l*) poetas
Democritus *m*), bona pars non ungues ponere
curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium; nomenque poetae,
Si tribus Anticyris *a*) caput insanabile numquam
Tonsori Licino commiserit: o ego laevus *b*)
Qui purgo bilem sub verni temporis horam,
Non alius faceret meliora poemata, verum
Nil tanti est: Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi.
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo,
Unde parentur opes *c*); quid alat, formetque
poetam:
Quid deceat, quid non: quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte sapere *d*) est et principium et
fons,

Sat. 5. l. 1. *k*) Quia dixit Democritus Poetas ingenio magis, quam arte, fieri et valere, et negat eos poetas esse satis bonos, qui non tantisper insaniant, hinc fit ut magna pars vatum, tamquam si essent insani, barbam non tondeant, non secent ungues, fugiant hominum consortia. Nimirum iste vates Tribolaris nomen egregium poetae se consequuturum sperat, si suum caput stultum et nullo purgandum satis elleboro, non committat tondendum Licino, (erat ille tonsor notissimus Romae). *l*) Ars enim suis praeceptis homines vexat, et constringit. *m*) Mons Boeotiae fuit in Graecia, musis sacer. Philosophus Graecus, Abdere natus, quia omnia solebat ridere, ut omnia deflebat Heraclitus, alter philosophus. Epist. 12. lib. 1.

a) Anticyra est insula in mari Aegeo notissima, ibi frequens nascebatur Elleborum, quo purgantur furiosi, et insani. Strabo duas eo nomine insulas fuisse tradit; alii etiam plures. *b*) Nae ego sum parum prudens qui appetente vere purger, ut bilem excutiam, quam nisi purgarem, et eiicerem, possem facile insanus; atque adeo praestantissimus poeta existimari quamquam nolim hanc praeclaram appellationem emere detrimento valetudinis: non emo tanti poetam esse; si poeta non sum igitur, dabo certe praecepta poetis idonea instar cotis, quae acuit ferrum, licet secare ipsa non possit. c) Facultas, et copia scribendi. *d*) Sapientia, mens recta et sapiens,

Marmoreo tumulo Licinus jacet: at Cato

Rem *e*) tibi Socraticae *f*) poterunt ostendere chartae :
Verbaque *g*) provisam rem non invita sequentur :
Qui didicit, patriae quid debeat, et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus, et hospes
Quod sit conscripti *h*), quod iudicis officium: quae
Partes in bellum missi ducis ; ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere *i*) exemplar vitae, morumque iubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.
Interdum *a*) speciosa locis, morataque recte
Fabula, nullius Veneris, sine pondere, et arte,
Validius oblectat populum, meliusque moratur
Quam versus inopes rerum, nugaeque canorae.
Graiis ingenium: Graiis dedit ore rotundo *b*),
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris *c*).

fons est, et principium bene scribendi. *e*) Praecepta morum : sententias, suppeditabit philosophia. *f*) Od. 15. l. 3. *g*) Ubi materiam scribendi recte provisam et comparatam habueris, verba ipsa et locutiones offerent se sponte. *h*) Senatoris : vocati sunt senatores, patres conscripti, iam inde a Bruto, qui post eiectum Tarquinium auxit numerum Senatorum, et alios centum adscripsit ad ducentos e quibus iam constabat senatus. *i*) Praecipio illud in primis ; ut poeta imitetur accurate mores, et vitam hominum quotidianam ac proinde illam respiciat, et cognoscere studeat, et hinc proprias rerum voces sumat, quibus utatur in scribendo.

a) Saepe fabula festivis iocis ornata, et mores hominum recte pingens imitansque; quamquam sit sine ulla venere, id est, elegantia, sine pondere, id est, careat sonantibus, et numerosis versibus etc. *b*) Ornate loqui, eleganter, oratio numerosa, et bene tornata rotunda dicitur, quia figura rotunda, est omnium perfectissima, ac maxime volubilis. *c*) Cupidis. Ea

Romani pueri longis rationibus *d*) assem
Discunt in partes centum diducere , dicat
Filius Albani *e*) ; si de quincunce *f*) remota est
Uncia , quid superat *g*) ? Poteras *h*) dixisse : triens : Eu *i*) !
Rem *k*) poteris servare tuam : Redit *l*) uncia , quid fit ?
Semis *m*) : an haec animos aerugo *n*) ; et cura peculi *o*)
Cum semel imbuerit ; speramus carmina fingi
Posse linenda cedro *p*) , et levi servanda cupresso ?
Aut prodesse volunt , aut delectare poetae.
Aut simul et iucunda , et idonea dicere vitae.
Quidquid praecipies , esto brevis , ut cito dicta
Praecipiant animi dociles , teneantque fideles.
Omne supervacuum pleno de pectore manat *q*).
Ficta *r*) voluptatis causa sint proxima veris.
Nec quodcumque volet , poscat sibi fabula credi :

causa est , inquit , quare tantam in dicendo gloriam assequuti sint Graeci , quia non erant avari pecuniam , ut Romani , sed laudis , famae. *d*) Implexis supputationibus. *e*) Cuiusdam foeneratoris. *f*) De quinque unciis. *g*) Supererat , remanet ? ab Hoc dicit Albani filius. *h*) Me interrogas : ait ille , at poteras tu ipse dixisse : superesse trientem , idest , tertiam partem assis , uncias quatuor. *i*) Hoc ille dicit qui filium Albani interrogasse fingebatur. Estque Graeca vocula significans, belle, Euge , praeclare dicis. *k*) Opes. *l*) Addatur quincunci. *m*) Sex unciae , media pars assis. *n*) Proprie est vitium et rubigo aeris : Avaritia hic significatur. *o*) Pecuniae. Est proprie peculium pecunia quaedam proprio labore parta , praesertim a servo vel filiofamilias. *p*) Cedri succus et oleum cariem arcet ; cupressus blattas et tineas. *q*) Effluit , excidit , res inutiles e memoria obruta et illis plena : elabuntur. *r*) Quae delectationis causa finguntur , debent esse verosimilia, neque fabula seu poeta petere debet a spectatore ut credat , sibi dicenti : quodcumque libuerit , quamlibet sit incredibile , neque debet extrahere seu fingere extractum ex

Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat
alvo.
Centuriae *a*) seniorum *b*) agitant expertia
frugis,
Celsi praetereunt austera poeta Rhamnes *c*).
Omne tulit punctum *d*), qui miscuit utile
dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret *e*) aera liber Sosiis, hic et mare
transis,
Et longum noto scriptoris prorogat aevum.
Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus *f*)
Nam neque corda sonum reddit, quem vult
manus et mens,
Poscentique gravem persaepe remittit acutum,
Nec semper feriet, quodcumque minabitur,
g) arcus.

alvo Lamiae vivum puerum, quem ipsa devoraverit, et quo pransa fuerit. Erant Lamiae monstra quaedam, mulierum specie, quae pueros blanditiis allectos vorare credebantur.

a) Sensus est. Senes improbant carmina inutilia, non morata: at iuvenes, Equites trossuli et elegantes, aspernantur gravia et severa. Utrisque satisfaciet: ac iuvenum et seniorum suffragiis punctisque, bonus ille habebitur poeta, qui dulcia et utilia faciat poemata, qui delectaverit lectorem et docuerit. *b*) Servius Tullius populum Romanum in sex classes distribuit, ita ut prima classis ditissimos contineret: secunda minus divites, itemque tertia, et aliae deinceps. Singula classes multas continebant centurias: unaquaeque vero centuria bifariam dividebatur in senes et iuvenes. *c*) Romulus populum in tres divisit tribus. Qui erant in prima, quique ferme omnes merebant equo vocabantur Rhamnes; qui in secunda Tatienses, qui in tertia Luceres. Numerus tribuum, aucta rep. excrevit ad 35. Ep. 13. l. 1. *d*) Iudices olim suffragia sua notabant punctis in tabella scriptis: itaque ferre omne punctum, est, omnibus suffragiis probari: auferre, promereri, omnium approbationem. *e*) Talis liber promereretur aera, pecuniam, Sosiis (erant illi Bibliopolae insignes) illos ditat. *f*) Oportet, aequum est. *g*) Promittet. Non semper feriet arcus signum in quod sagitta di-

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offedar maculis: quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo *h*)?
Ut scriptor *i*) si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret, et citharoedus
Ridetur chorda qui semper oberrat eadem.
Sic mihi, qui multum cessat, fit Chaerilus *a*) ille.
Quem bis terque bonum cum risu miror, et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.
Ut pictura *b*), poesis erit: quae si proprius stes,
Te capiat magis, et quaedam, si longius abstes.
Haec amat obscurum, volet haec sub luce videri,
Iudicis argutum, quae non formidat acumen.
Haec placuit semel: haec decies repetita placebit.
O maior *c*) iuvenum, quamvis et voce paterna

rigetur: aliquando aberrabit. *h*) Quaenam ego servanda est in eo regula? *i*) Quemadmodum non ignoscimus Librario scriptori, id est, illi qui manu libros describit, si semper eadem in re peccat, licet monitus etc. Si poeta qui multum cessat, id est, peccat, negligentior est, mihi fit Chaerilus, a me comparatur Chaerilo illi malo poetae, quem miror, si quid bis, terve commode scribat: ego idem tamen indigne et aegre fero quandocumque Homerus dormitat, labitur, et errat. Vix enim summo poetae videtur in condonandum nisi quis illum forte ob longitudinem operis excuset.

a) Epist. 1. l. 2. poeta malus, cui nummum aureum dabat Alexander si bonum scripsisset versum: colaphum, si malum: colaphis enectus periisse fertur. *b*) Est similis picturae poesis alia eminus, alia cominus placet. *c*) O Pisonum aetate prove-

Fingeris ad rectum *d*) et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle *e*) memor, certis *f*) medium, et tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus iuris, et actor
Causarum mediocris abest *g*) virtute diserti
Messalae. nec scit quantum Cassellius Aulus *h*).
Sed tamen in pretio est. Mediocribus esse poetis
Non homines, non Dî *i*), non concessere columnae *k*).
Ut gratas inter mensas symphonia discors *l*),
Et crassum *m*) unguentum, et Sardo *n*) cum melle papaver
Offendunt, poterat duci *o*) quia coena sine istis:
Sic animis natum, inventumque poema iuvandis *a*),
Si paullum a summo *b*) discessit, vergit ad imum *c*).
Ludere qui nescit, campestribus *d*) abstinet armis,

ctior. *d*) Ad perfectam poeticae laudem informatis. *e*) Tene memoria hoc praeceptum. *f*) In quibusdam artibus mediocritatem tolerari. *g*) Ab eloquentia Messalae Oratoris ea tempestate disertissimi longe abest, distat, De Messala mentio fit Sat.6. lib.1. *h*) Aulus Cassellius Juris Consultus doctissimus. *i*) Apollo, Musae. *k*) Librariorum pilae ad quas librorum venalium nomina prostabant. Bibliopolae porro non facile poema vendunt, nisi perfectum sit primae notae. *l*) Male concinens. *m*) Obtusi et mali odoris, pingue, et adipatum: caput ungebant sibi convivae unguento subtili, aquae instar rosaceae. *n*) Amaro: quia erant in Sardinia herbae amarissimae, unde apes mel conficiebant asperum et amarum. *o*) Produci, grata esse.

a) Delectandis. *b*) Perfecto. *c*) Deterrimum: poema nisi summum sit, fit imum; nisi fuerit eximium, sordebit ac repet. *d*) Disco, v. g. hasta etc. quibus in campo Martio se iuvenes

Indoctusque pilae, discive, trochive quiescit,
Ne spissae risum tollant impune coronae *e*).
Qui nescit, versus tamen audet fingere. Quid ni *f*),
Liber, et ingenuus praesertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.
Tu nihil *g*) invita dices, faciesve Minerva:
Id tibi *h*) iudicium est, ea mens. Si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat iudicis aures.
Et patris, et nostras, nonumque prematur *i*) in annum
Membranis intus positis, delere licebit
Quod non edideris *k*): nescit vox missa *l*) reverti.
Sylvestre *m*) homines sacer interpresque Deorum
Caedibus, et victu foedo *n*) deterruit *o*) Orpheus,

Romani exercebant. Od 7. l. 1. *e*) Spectatores densi, in orbem et coronam circumstantes. *f*) Est obiectio. Cur ego, inquiet aliquis imperitus, versus non faciam, praesertim cum sim liber, ingenuus, id est, ortus e liberis parentibus, et census, id est, compertus in censu et censorum lustratione habere summam equestrem, quae in eo requiritur scilicet qui Eques Rom. esse velit nempe sestertia 400. Vid. Ep. 1. l. 1. *g*) Responsio est: Alii sane licere sibi putent scribere modo sint liberi, ingenui, probi, at ut hoc satis esse ne crede; opus est ad id quoque genio quodam peculiari, faveat oportet Minerva praeses arcum, qua invita tibi sum auctor nihil ut facias et moliaris. *h*) Scio te, satis esse consultum ut id faciendum tibi pudes quod suadeo: qua es mente et prudentia, id facies: tamen si quid scripseris, fac illud audiat expendatque tamquam iudex, Metius: erat is Criticus emunctae naris. Sat. 10. l. 1. *i*) Supprimatur domi tuae, in musaeo tuo lateat: donec intus positae erunt chartae, poteris delere quod videbitur. *k*) Vulgaveris, in lucem edideris. *l*) Carmen editum. *m*) Feros, in sylvis degentes, nondum extructis urbibus. *n*) Glandibus constante etc. *o*) Ab-

Dictus *p*) ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.
Dictus et Amphion Thebanae conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit haec sapientia *a*) quondam.
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago: dare iura maritis:
Oppida moliri: leges incidere *b*) ligno:
Sic honor; et nomen divinis vatibus, atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus
Tyrtaeusque *c*) mares *d*) animos in Martia bella
Versibus exacuit. Dictae per carmina sortes *e*),
Et vitae monstrata via est *f*), et gratia regum
Pieriis *g*) tentata *h*) modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis *i*), ne forte *k*) pudori
Sit tibi musa lyrae solers, et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,

duxit. *p*) Narrant quoque Amphionem extruxisse Thebas saxis lyra motis, ita ut aliis alia se sponte superponerent: fuit ille Iovis et Antiopae filius, vates et Musicus praestantissimus. Od. 8. l. 3. Ep 18. l. 1.

a) In eo consistebat omnis olim Philosophia, nempe in dividendis bonis privati cuiusque a communis et publicis, in prohibendis adulteriis etc. hoc autem vates factitabant, unde erat in pretio, quasi homines divini et sapientes. *b*) Insculpere, inarrare. *c*) Fuit poeta Atheniensis, luscus et claudus, qui dux Lacedaemoniis bellum contra Messenios gerentibus oraculo datus, ita suis versibus militum animos accendit, ut insignem de hoste victoriam retulerint. *d*) Viriles, generosos. *e*) Oracula versibus ab Apolline reddita fuere. *f*) Moralis Philosophiae praecepta versibus conscripta sunt. g) Od. 2. lib. 4. *h*) Quaesita, collecta. *i*) Reperta fuit oblectatio post longos labores, fessos animos poetico ludo, comoediis, cantilenisque recreando. *k*) Hortatus te sum, o Piso, maior duorum fratrum, ut in poeticam incumberes et carmina tua diligenter recognosceres: haec subieci unde cognosceres poeseos dignitatem, ac ne te puderet artistam praeclarae, cui praesunt Musae et ipse Apollo. Musam

Quaesitum est *l*). Ego nec studium sine divite vena *m*),
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius *n*) sic
Altera poscit opem res; et coniurat *o*) amice.
Qui studet *p*) optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, et alsit,
Abstinuit Venere et vino. Qui Pythia *a*) cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum.
Nunc satis est dixisse. Ego mira poemata pango.
Occupet *b*) extremum scabies, mihi turpe relinqui est;
Et quod non didici, sane nescire fateri.
Ut praeco *c*) ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta,

autem solertem lyrae, dixit, id est, peritam, potentem. *l*) Haec agitata est inter peritos controversia, num plus ad bonum carmen faciendum valeret ars quam natura. *m*) Ingenio benigno, et locuplete. Translatio ducitur vel a fontium venis, vel a venis metallicis. *n*) Naturae ars, artis natura opem postulat. *o*) Conspirat ad bonum poetam efficiendum. *p*) Qui in ludis Olympicis cupit alios cursu vincere et ad metam primus pervenire, is cum adhuc esset puer multa tulit etc. Tibicen adhibitus ad canendas laudes heroum in Pythiis, id est, ludis celebratis in honorem Apollinis Pythii (sic dicti quod serpentem Pythonem occidisset) didicit prius canere sub severo cytharaedo. Nos nullum in perdiscendo poetica laborem ponimus: satis est, ut quis poeta sit, si dicat, ego poemata mira facio, in ultimis poetis numerari nolo, ac velut in extremo studio relinqui aliis praecedentibus; pudet me fateri nescire quod revera nescio; palam et aperte profiteri me nescire poeticam quam ignoro, quia numquam appuli animum ad eam perdiscendam.

a) De istis ludis vide Ovid. l. 1. Met. Praeterea Pythia vocabantur quaedam cantica in choris comoediarum usitata. *b*) Proverbium quoddam a pueris ductum qui scabiem, ei imprecabantur, qui ultimus ad metam pervenerit. *c*) Ordo est: Poeta dives agris et nummis foenori datis iubet ad se venire do-

Dives agris dives positis in foenore nummis.
Si vero *d*) est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter
Noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu seu donaris *e*), seu quid donare velis cui,
Nolito ad versus *f*) tibi factos ducere plenum *g*).
Laetitiae. Clamabit enim, pulchre, bene recte.
Pallescet *h*) super his; etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem *i*), saliet, tundet *k*) pede terram.
Ut qui conducti *l*) plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus *a*) ex animo, sic
Derisor *b*) vero plus laudatore movetur *c*);
Reges dicuntur multis urgere *d*) culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
An sit amicitia dignus. Si carmina condes,

mum suam assentatores quibus laudet venderetque sua carmina, lucro et praemio illis, id si faciant, proposito, ut praeco evocat populum ad auctionem et ad emendas cum lucro merces. *d*) Sin autem est ille poeta satis dives et liberalis ut lauto convivio possit illos assentatores excipere, vadem se offerre pro paupere, cuius pauperis levis et suspecta est fides etc. mirabor si possit mendacem adulatorem ab vero amico distinguere. *e*) Si quid muneris dederis alicui, aut dare volueris. *f*) Ad audiendos versus a te compositos. *g*) Ob munus a te acceptum. *h*) Ad haec carmina tua rapi se in admirationem finget, et poene a sensibus abduci, quo tempore pallet vultus, etc. *i*) Lachrymulas prae gaudio. *k*) Exiliet, saltabit. *l*) Romani habebant certos homines in funeribus qui pretio plorarent et gemitus miserabiles ederent, maxime mulieres quas Praeficas appellant.

a) Quam qui vere dolent. *b*) Assentator. *c*) Laudat, probat. *d*) Multis cyathis, seu poculis invitare, et quasi tormentum, seu quaestionem illis adhibere quos velint scire an sint amicitia sua digni: quippe cum vino maduerint, fa-

Numquam te fallant animi sub vulpe latentes,
Quintilio *e*) si quid recitares: corrige, sodes *f*),
Hoc, aiebat; et hoc: melius te posse *g*) negares
Bis terque expertum frustra: delere iubebat
Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere *h*) delictum, quam vertere, malles,
Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem:
Quin sive rivali *i*) teque, et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Transverso calamo signum *k*): ambitiosa *l*) recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget;
Arguet ambigue dictum; mutanda notabit,
Fiet Aristarchus *m*), nec dicit *n*), cur ego amicum
Offendam in nugis? Haec nugae seria ducent
In mala, derisum semel; exceptum sinistre.

eile eorum detegunt indolem, ebrius enim celare nihil solet: deberet poeta hoc idem facere, et omnibus modi explorare illos quos suorum carminum iudices adhibet ac censores, ne adulator aliquis latens quasi sub vulpina pelle ipsum falleret. *e*) Erat ille Quintilius Varus poeta eximius et censor sincerus: eius mortem deflet l. 1. Od. 10. *f*) Oro te, amabo. *g*) Scribere. *h*) Excusare. *i*) Aemulo. Nemo etiam reperitur qui deformes et male tornatos versus amet. *k*) Lituram. *l*) Plus pompae ac splendoris, quam rei et veritatis habentia. *m*) Fuit Grammaticus clarissimus et acerrimus, qui in eo maxime operam posuit ut germanos Homeri versus a spuriis, qui in eius opera irrepserunt distingueret. *n*) Non castigabit poetam lenius, aut illius delicta dissimulabit, ne amicum offendat in nugis: haec enim delicta non sunt adeo levia, et in vera mala poetam deceptum ducent, dum eius cacoethes scribendi fovebunt, et ipsum risui omnium cavillisque exponent.

Ut mala *a*) quem scabies, aut morbus regius *b*) urget,
Aut fanaticus *c*) error, et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent, fugiuntque poetam,
Qui sapiunt: agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic *d*), dum sublimes *e*) versus ructatur, et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foveamque: licet, Succurrite, longum
Clamet, Io cives; non sit, qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre et demittere funem,
Quis scis an prudens huc se deiecerit, atque
Servari nolit? Dicam Siculique poetae
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam

a) Ordo est. Omnes qui sapiunt, fugiunt vesanum poetam, ut illum, non secus atque illum, quem scabies inquinat. *b*) Icterum vocant, sive aurugineum: eo facies, ob flavam bilem abundantem, fit tota crocea, instar quod metallum regium est. Eum regificis epulis, et lauto victu curari fertur. *c*) Vocabantur fanatici qui a Diana seu Luna percussi credebantur dementia, quae illos huc illuc errantes ageret et vagos: dicebantur ab Luna, lunatici, fanatici vero, ab fanis seu templis quorum in foribus vulgo stabant, aut stipitem ab hominibus petituri, aut Diis supplicaturi. *d*) Poeta vesanus. *e*) Dum versus iudicio suo egregios et sublimes, quia sublato in caelum vultu, erecto capite, buccis tumidis crepat illos ac fundit, errans temere huc illuc, si decidi in puteum vel foveam, ut anceps merulis capiendis, intentus, licet longum, id est, diu clamet: io cives, mihi succurrite, erigite me: non fit, id est, non reperietur, neminem videas, qui velit eum e puteo vel fovea tollere. Ac si quis demittat funem, ut eum inde tollat, ego dicam illi qui scis an sciens volensque in puteum reciderit? addamque quo pacto interierit Empedocles poeta Agrigentinus in Sicilia, qui se in Aetnae ignes praecipitem deiecit, frigidus, id est, mentis compos, non furore aut ira

Insiliit. Sit ius, liceatque perire poetis.
Invitum qui servat, idem *f*) facit occidenti.
Nec semel hoc fecit *g*): nec si retractus erit, iam
Fiet homo *h*), et ponet famosae *i*) mortis amorem.
Nec satis *k*) apparet, cur versus factitet: utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus *a*) certe furit, ac velut ursus;
Obiectos cave *b*) valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus,
Quem vero arripuit *c*), tenet occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo *d*).

acstuans, sua sponte, ut immortalis, ac Deus nimirum crederetur, Epist. 12. lib. 1. *f*) Idem facit atque ille qui eum occideret. Hellenismus. *g*) Ille poeta deiecit se in foveam. *h*) Fiet sanior, et cautior. *i*) Ex qua sibi, ut Empedocles, gloriam et immortalitatem quaerit. *k*) Horatius aliam rationem affert, cur ei succurrendum non sit: quia forte ille poeticus furor in poenam scelerum ipsi est immissus, v. g. quod paternum sepulchrum et cineres dissipaverit ac violaverit, quod bidental calcarit: est autem bidental locus ictus fulmine, qui apud veteres Rom. erat religiosus, sacerque fiebat, ara extructa et peracto sacrificio ex ovibus bidentibus, unde nomen ductum: eum porro locum nefas erat ingredi vel calcare.

a) Impius, flagitiosus, non castus. Casta autem vocabantur omnia, pia et sancta quod pars sanctitatis magna sit castimonia. *b*) Cancellos et septa domunculae, qua includitur. c) Veluti per vim ad se recitantem audiendum pepulic. *d*) Sanguisuga, pisciculus instar serpentis exigui, qui nantium corpora invadit, et cuti se applicans sanguinem ita sugit, ut non mittat, seu dimittat cutem, excidatque, antequam plenus sanguine sit: adhibetur aegrotis ad vitiosum sanguinem exprimendum: illi similem esse ait Horatius importunum poetam.

INDEX ALPHABETICUS

SATYRARUM ET EPISTOLARUM

A

C

E

F

H

I

N

Finis Partis Secundae.

Dinsdag. [illegible]
Vrijdag. [illegible]
[illegible]. [illegible]